PHARMACOPOEA NEDERLANDICA.

EDITIO QUARTA.

TYPIS J. H. DE BUSSY. — AMSTELODAMI.
MCMV.

PHARMACOPOEA NEDERLANDICA.

EDITIO QUARTA.

TYPIS J. H. DE BUSSY. — AMSTELODAMI.
MCMV.

Volgens artikel 3 der wet van 2 November 1871 *(Staatsblad* n⁰. 118) gewaarmerkt.

DE MINISTER VAN BINNENLANDSCHE ZAKEN,

P. Mijer

ERRATA.

Pag. 30, vs. 8, inf. pro: cen*tri*metra lege *centimetra*.

„ 33, vs. 4, sup. pro: pulch*rum*, rubrum lege *pulchre rubrum*.

„ 60, vs. 18, sup. pro: tu*ba*. . . . long*a*, lege *tubo*. . . . *longo*.

„ 519, vs. 11, inf. pro: „a*er*ometer vitreus" lege *areometrum vitreum*.

„ 522, vs. 4, sup. pro: „a*er*ometer" lege *areometrum*.

PRAEFATIO.

Quo modo Consilium constitutum sit.

1. Ex Augustissimae Reginae decreto d.d. VIII mensis Martii a^{i}. MDCCCIC tertio decimo, referente viro excellentissimo Consiliario Regio a rebus internis, cum visum esset: „Pharmacopoeam Nederlandicam, sicut Augustissimi Regis decreto d.d. XXVII mensis Septembris a^{i}. MDCCCLXXXIX (in Acta publica relato sub n^{0} 125) postremum constituta est, semper supplendam vel mutandam esse", Xviri creati sunt, quibus mandatum est:

„ut quotannis designarent quid in Pharmacopoea Neder-
„landica supplendum, quid mutandum esset;
„cum opus esset, de Pharmacopoea Nederlandica denuo
„edenda ad Reginam referrent".

In hunc numerum creati sunt

v. d. A. van der Loeff, Praefectus curae medicae publicae in Zeelandia et Brabantiae-Septentrionalis parte occidentali in pago Teteringen, praeses;

v. d. L. van Itallie, pharmacopola Roterodamensis, ab-actis;

v. d. H. P. Wijsman, professor Leidensis;

v. d. H. Wefers Bettink, professor Ultraiectinus;

v. d. J. Gu. Moll, professor Groninganus;

v. d. B. J. Stokvis, professor Amstelodamensis;

Gu. Stoeder, professor extraordinarius Amstelodamensis;

M. J. Schröder, pharmacopola Nosocomii Academici Groningani;

v. d. M. Greshoff, praefectus minor Musei eorum, quae coloniae ferunt, Harlemensis;

v. d. F. C. E. van Embden, pharmacopola Ultraiectinus.

Omnes, qui creati erant, munus sustinuerunt, sed non omnibus concessum est ut ad hanc Pharmacopoeae Nederlandicae editionem perfectam in hoc opus vires impenderent.

Morte nobis erepti sunt v. d. B. J. Stokvis et Gu. Stoeder; praeterea v. d. F. C. E. van Embden et v. d. A. van der Loeff propter valetudinem, ut se dimitteret, ab Augustissima Regina petere coacti sunt. Non multo postquam v. d. van Embden dimissus est litteris quoque et suis morte est ereptus.

Mortuos tres quin debitis laudibus prosequamur facere non possumus. Quamquam iam tertiae huius Pharmacopoeae editioni operam navarant, qua de causa melius quam novi socii sciebant quanti laboris, quanti temporis inquisitiones, quas Pharmacopoea edenda secum fert, sint, tamen iterum nomen dare non dubitarant et magnam partem suscipere huius operis apparatus, qui, praesertim initio, non parvi aestimandus est. Lucem quam praeferebant maximi faciebamus et eorum monitis plurimum tribuebamus. Eorum memoria grato et pio animo a nobis omnibus coletur.

Modus quo v. d. van der Loeff praeses negotia nostra regebat non minus dignus est quem socii pristini magni faciant. Quod a nobis discessit nobis magno dolori fuit.

Ad numerum supplendum suffecti sunt:

C. Guldensteeden Egeling, pharmacopola in pago Zeist (Decretum Regium d. d. VII mensis Novembris a^i. MCMII)

v. d. Gu. Nolen, professor Leidensis (Decretum Regium d. d. mensis Novembris XIX a^i^. MCMII);

v. d. P. A. Vos, pharmacopola Roterodamensis (Decretum Regium d. d. XV mensis Ianuari a^i^. MCMIII);

v. d. H. Zeehuisen, medicus militaris classis 1^ae^ Ultraiectinus (Decretum Regium d. d. XV mensis Ianuari a^i^. MCMIII).

Eodem decreto Regio v. d. H. Wefers Bettink, socius, praeses Xvirorum factus est.

Hi quoque viri munus sustinuerunt.

v. d. M. Greshoff, praefectus Musei eorum, quae coloniae ferunt, Harlemensis dictus, et v. d. H. Zeehuisen, medicus militaris dirigens classis 3^ae^ dictus, et v. d. L. van Itallie, doctor Scholae veterinariae publicae Ultraiectinae dictus, quamquam ad alia munera vocati sunt, socii nostri, v. d. van Itallie simul ab-actis, esse non destiterunt.

Nova editio an supplementum editionis tertiae.

2. In primo conventu nostro, qui die VI mensis Mai a^i^. MDCCCIC habitus est, multum disputatum est utrum statim de Pharmacopoeae Nederlandicae editione nova ad Reginam referre an editionem tertiam ante supplere et corrigere magis e re esset.

Rati nobis curam mandatam esse ut in posterum quoque Pharmacopoea Nederlandica hodiernis litteris et usui hodierno conveniat, itaque nostrum laborem fundamentum operis esse oportere, constituimus continuo opus condere quae Pharmacopoeae Nederlandicae editio quarta foret. Ut vero nosceremus utrum opus esset supplemento ad tempus an mutata Pharmacopoea, Societatem ad excolendam artem medicinam et Societatem ad excolendam artem pharmaceuticam consulere statuimus. Quarum societatum e responsis cum appareret eas Supplementum editionis 3^ae^ nihil curare et Pharmacopoeae editionem prorsus novam praeferre, tale Supplementum missum facere decrevimus.

Auxilium rogatur.

3. Praeterea medicis et pharmacopolis Nederlandicis facultatem dare explicandi quid in Pharmacopoeae nova editione optarent nobis placuit. Ad Societatem ad excolendam artem medicinam et ad Societatem ad excolendam artem pharmaceuticam litteras dedimus hunc in modum conceptas:

„Xviri, quibus de Pharmacopoeae Nederlandicae nova editione ad Reginam referre mandatum est, auxilium vestrum in hoc labore rogare sibi sumunt.

Ut enim noscant, quid Pharmacopolae et Medici Nederlandici sentiant his de rebus:

Quid, qua de causa in Pharmacopoea mutandum censetis?

Quae capita in Pharmacopoea tollenda, quae addenda putatis?

a Vobis petunt, ut omnibus $\frac{\text{medicis}}{\text{pharmacopolis}}$ his de rebus optata significandi facultatem detis.

Quia auxilium Vestrum plurimi faciunt, Xviri ut responsa ad quaestiones supra memoratas, quae ad Vos pervenerint, sibi mittatis ante Kalendas Ianuarias a^i. MCM a Vobis petere audent".

Simul ad Consilia medica publica litteras misimus hunc in modum conceptas:

„Xviri, quibus de Pharmacopoeae Nederlandicae nova editione ad Reginam referre mandatum est, a Vobis modeste petere sibi sumunt, ut secum communicetis quid censeatis his de rebus:

Quid, qua de causa in Pharmacopoea mutandum censetis?

Quia auxilium Vestrum plurimi faciunt, Xviri ut responsum Vestrum sibi mittatis ante Kalendas Ianuarias a^i. MCM a Vobis petere audent".

Insuper virum excellentissimum Consiliarium Regium a rebus internis adiimus, ut viro excellentissimo Consiliario Regio a coloniis significaret nobis gratum fore, si medicis et pharmacopolis, qui sunt in India tam Orientali quam Occi-

dentali, quid de Pharmacopoeae nova editione optarent et desiderarent explicandi facultas daretur.

Petentibus nobis magna copia data est monitorum, quae in duobus libris arte et ratione ordinata sunt.

Quae monita nobis pro regula fuerunt in labore universo; nec minus ea, quae in capitibus singulis observata erant, in nova forma redigenda accurate pensata sunt et magnam partem grato animo recepta.

Ubi Pharmacopoea valeat.

4. Societas Indica Orientalis ad disciplinas medicas excolendas votum emisit ut in usum Indiae Nederlandicae Pharmacopoea componeretur a peritis in India Nederlandica creandis; aut si in patria huius rei molestiae superari non posse viderentur, Consilio medicorum et pharmacopolarum in India Nederlandica habitantium Supplementum Pharmacopoeae Nederlandicae condendum mandaretur.

De his optatis inter nos diu disputatum est. Examinatis multis quoque scriptis a Consiliario Regio a coloniis profectis, quae a Consiliario Regio a rebus internis nobis cognoscenda missa erant, in quibus i. a. votum factum erat ut una atque eadem Pharmacopoea esset Regno universo, viro excellentissimo Consiliario Regio a rebus internis suadere statuimus ut rem eo deduceret, ut Pharmacopoeae Nederlandicae editio 4ª valeret in Regno universo et intra et extra Europam, ea ratione ut Pharmacopoea indicaret, quae medicamenta in quoque pharmacopolio Regni in Europa adesse oporteret; ut iis Regni partibus, quae extra Europam sitae sint, Consilia, hoc in propositum expresse creata, tabulas componerent medicamentorum, quae illic in pharmacopoliis adesse oporteret.

Medicamenta recipiuntur in usum Indiae Nederlandicae.

5. Praeterea ex sententia rei peritorum in India Nederlandica habitantium, quos consuluimus, varia medicamenta recepta sunt, quae usque ad hunc diem in patria nostra omnino non vel parum in usum venerunt, sed in eorum numero sunt

quae in India saepius adhibeantur. Insuper ratio habita est variorum elementorum in unguentis parandis adhibendorum quae varium coelum necessaria reddit; simul haec Pharmacopoea ea, quae usus coloniarum postulet, non neglecta esse aliis locis indicat.

Quae corpora describantur.

6. Quod ad corpora attinet quorum descriptiones receptae sunt, in universum monitum sit rationem esse habitam desideratorum, quae nobis significata sint; eo consilio ut non neglexerimus corporum naturam chemicam, physicam, physiologicam, quo modo melius servari possint, omnia, quibus corpora varia, effectus similis vel affinis, facilius diiudicari possint. Omnium corporum, quae desiderarentur, descriptiones si recepissemus, Pharmacopoea multo maior facta esset.

Quandoquidem autem haec Pharmacopoea fundamentum est, in quo opus extruemus, et nobis mandatum est, ut quotannis codicem suppleamus vel mutemus, medicamenta nonnulla, hodie saepe adhibita, deesse inde explicari potest quod operis editionem, iterata, eheu, sociorum mutatione iam diu retardatam, diutius differre noluimus.

Nonnulla quoque corpora non describuntur, quae ut iam satis diu a medicis praescribantur, tamen quomodo parentur non ita satis constat ut iuste et recte puritatis leges describantur vel parandi modus indicetur. Plerumque corpora sunt in officinis parata, quae certo nomine prostant quaeque, tuta praesidio legum et externarum et internarum, singula in singulis officinis parantur, quas qui regunt, monopolio suo nisi, Pharmacopoeae praescriptis non facile oboedient.

Editiones Nederlandica et Latina.

7. E legis d.d. II mensis Novembris a^{i}. MDCCCLXXI (Acta publica, n^{0}. 118) tituli 3^{i} parte 1^{a} haec Pharmacopoea tam lingua Belgica quam Latina statuitur. Plerique nostrum commoda editionis Latinae tanti faciebant, ut qui legem

abrogandam esse censerent idque Consiliariis Regiis suaderi vellent, minor pars essent.

Pharmacopoea sermone Belgico condita, deinde in Latinum versa est. Quamvis multum curae in libro vertendo collocatum sit, editio Nederlandica nobis praeferenda esse videtur.

De ordine capitum.

8. In capitibus disponendis sicut in editione 3ª servatus est ordo litterarum, qui usui, cui Pharmacopoea imprimis servire debet, maxime accommodatus est.

Corporum nomina.

9. Corporum nomina, paucis exceptis, eadem sunt quae editionis 3ᵃᵉ. Initio nobis proposuimus corporum chemicorum nominibus uti, quae in regnis vicinis usitata sunt, quo facto non solum Pharmacopoea Nederlandica codicibus illorum regnorum magis se applicaret, sed etiam, ordine litterarum servato, ordo, quod ad pharmacologiam attinet, melior esset.

In Consultationibus autem anno MCMII Bruxellis habitis ut medicamenta validiora paranda inter omnes nationes convenirent, eos, qui ad Consultationes missi essent, sine variatione censere apparuit medicamentorum nomina quoque inter gentes consentire e re esse; ubi cum optatum sit hanc rem in posterioribus Consultationibus iterum tractari, nos non recte facturos putavimus, si in mutandis nominibus corporum, quae ad rem chemicam pertinent, perstaremus, quod initio nobis proposueramus.

Corporum nomina Belgica, quae praeter pauca Latina sequuntur, non semper ad verbum translata sunt. Ubi aliud nomen usu sanctum erat, vel breve et aptum fingi poterat, illud nomini ad verbum translato anteponendum esse nobis visum est.

Descriptio Simplicium.

10. In Simplicibus describendis nomina herbarum, qualia in Indice Kewensi leguntur, et verba litteraria ibi laudata, quantum fieri poterat, recipere decrevimus.

Simplicium descriptiones non eandem vim habere ac pleraque Pharmacopoeae praecepta necesse est. Attamen, etiam quod ad pulverum insignia microscopica attinet, ita elaboratae et perfectae sunt, ut herbas cognoscendi et admixta falsaque, quamquam non nominata sunt, investigandi facultatem praebeant.

Descriptiones insignium microscopicorum Simplicium ipsorum non receptae sunt, quia ad herbas cognoscendas non nisi raro necessaria sunt et imago structurae microscopicae quae litteris vel aliqua ex parte satisfaciat, terminos huic operi constitutos longe egrederetur.

Pulverum vero microscopia recepta est, quia ad cognoscendas herbas necessaria est, simul ut leges puritatis statuerentur, quibus pulveribus, qui prostant, satisfaciendum est.

In his descriptionibus quae usus postulat primum locum obtinent. Semper descriptio incipit ab iis elementis, quae pulveris massam primariam efficiunt; inde ordine ad ea elementa, quae minus frequentia sunt, transit. Quae in amylo investigando reperta sunt, semper memorantur, etiam ubi haec materies prorsus vel prope deest. Talia indicia negativa hac in re nobis necessaria visa sunt, quia saepe accidit ut pulveres amylo misceantur ideoque omnis dubitatio tollenda est; haec indicia in fine descriptionum inveniuntur.

In iis pulveribus, qui dubitationem afferunt, imprimis si pulveres herbarum affinium partibus mixtos esse suspicio adest, pulverem normalem comparari necesse est.

Pulveres per microscopium inquiruntur in aqua, in hydrate chlorali, in hydrate chlorali iodato. Si extra ordinem alia materies media adhibetur, memoratur.

Si de crystallis, nullo alio indicio facto, sermo est, crystalla oxalatis calcici designantur.

Ubi nucleus amyli granorum positus sit, numero fracto indicatur, ita ut index et numerans rationem indicent, quae est inter spatia, quae nucleus ab utraque extremitate granorum

longitudinis distat. E. g. $^1/_1$ significat nucleum centralem, $^1/_2$ in tertia parte longitudinis positum esse, cet.

De modis et numeris, quae in descriptionibus inveniuntur, haec monere liceat. Hac in causa peritorum consilium nondum constat. Notum est variationem fluctuantem secundum certas leges fieri, quae ratione, statisticam quam vocant, investigari possint, et variationes eo modo fieri, qui curvis probabilitatis errorum varii generis significari possit. Accuratius rem inspicienti aestimationes pristinas saepe falsas esse quoque magis magisque apparet. Sed raro tantum in rebus certis et definitis definitiones, statisticae quae dicuntur, factae sunt, quae in Pharmacopoeae editione sequenti deesse non poterunt.

Quae cum ita sint, rationem bene institutam sequi non potuimus. Ubi facta statistica aderant, recepta sunt: in exemplis simplicissimis tantum frequentiis eventuum singulorum in rerum natura occurrentium memorandis; in exemplis minus simplicibus variis modis, prout variatio secundum curvam probabilitatis errorum aut secundum curvam asymmetram fiat.

Si secundum curvam probabilitatis errorum variatur, indicantur: 1° Mediana (M), i. e. numerus ultra citraque quem frequentiae pares sunt, simul numerus probabilissimus, medius; 2° Quartilis (Q), error probabilis mathematicorum, i. e. numerus, M addendus et demendus, ut termini statuantur, qui ipsam dimidiam partem rerum singularum capiunt. Ad illustrandum exemplum afferamus: si reperitur numeri carpellorum Fructuum Papaveris M = 9,5, Q = 1,2 esse, hoc significat fructuum dimidiam partem carpellos 8,3 ad 10,7 [1]) habere. Qui numeri si rotundantur, sequitur ut fructuum dimidia pars carpellos 8 ad 11 habeat, quarta pars minus quam 8, quarta pars plus quam 11. Igitur numeris M et Q bene repraesentatur non solum numerus medius sed etiam frequentia declinationum.

---

[1]) Hunc numerum fractum esse, non est mirandum; numerum carpellorum ructus cuiusdam integrum esse liquet, sed non ita est in numero medio.

Ubi variatio secundum curvam probabilitatis errorum asymmetram fit, tantum numerus medius arithmeticus ($\bar{x}$) indicatur.

Principium ut inde factum sit in Pharmacopoea modos et numeros Simplicium ratione et ordine definiendi, plerumque, factis deficientibus, ita constanter facere non potuimus. In talibus capitibus pro re nata indicia ita facta sunt, ut numeri darentur, qui fide maxime digni viderentur: nonnunquam numerus medius aestimatus, interdum duo numeri extremi, qui observati sunt, saepe tantum numerus maximus, qui observatus est, igitur extra ordinem occurrere potest.

Simplicia sicca, quantum opus erit, e. g. folia multa, ante inquisitionem emollienda sunt.

In insignibus externis describendis saepius usi sumus corpore quinquagies dilatato, luce incidente.

Numerus Simplicium, in quibus certa pars elementorum efficacium postuletur, hac in editione auctus est. In quibus quae ratio inquisitionis sequenda sit accurate descriptum esse rei peritis satis liquebit.

Composita chemica describuntur.

11. Composita chemica non solum nominibus, sed plerumque etiam formulis chemicis significata sunt. Qua re materiam puram, quae cum ea formula conveniat, significari non semper indicatum esse voluimus. Qui gradus sit puritatis in materia postulatae e descriptione satis effici potest. Quod formula chemica adiecta est, igitur ita est intellegendum ut nova ratio sit materiae cognoscendae, quae cum initiis descriptionum Simplicium, in quibus unde materies oriunda sit indicatur, comparari potest.

Ceterum corporum chemicorum descriptiones magnam partem Pharmacopoeae editionem 3^{am} sequuntur. Numeri, qui indicant, quem ad modum materies quaedam solvi possit, quo caloris gradu liquescat, quo ebulliat, paucis exceptis, denuo definiti sunt. Quid variae reactiones velint, quisquiliis enumerandis, quas spectant, compluribus locis planius est explicatum.

Medicamenta Galenica describuntur.

12. In describendo quo modo medicamenta Galenica parentur magis quam in editione 3ª eam viam tenuimus ut rationes subigendi deinceps ordine explicaremus neque ut enumerationem elementorum necessariorum sequeretur methodus parandi.

Quod eorum corporum numerus, in quibus certa pars elementorum efficacium postuletur, auctus est, arte cohaeret cum aucto numero factorum hac in re repertorum.

Medicamenta validiora inter omnes nationes ordinentur.

13. Consultationes, supra laudatas, Bruxellis habitas ut medicamenta validiora paranda inter omnes nationes convenirent, secuta est tabula elementorum et medicamentorum ex iis compositorum, quae, ut quoad posset cautum esset ut medicamenta secundum ea praescripta componerentur, ex sententia consultationum participum in omnibus Pharmacopoeis sive certum numerum partium efficacium continere sive certa statutaque ratione parari deberent.

Non diiudicamus utrum praescripta, quae in ea tabula leguntur, meliora sint quam modi parandi in Pharmacopoeae Nederlandicae editione 3ª praescripti an non sint; tamen ea praescripta, quae inter omnes gentes valent, in Pharmacopoeam recipere non dubitavimus. Indicantur litteris F. I. (Formula internationalis), quae post capitis titulum leguntur. Etenim ut medicamenta semper et ubique eodem modo parentur ita omnium votis expetitur ut huic proposito sententias eorum, qui locum quendam habitent, iis, quae inter omnes nationes conveniant, etiamsi non desiderata simul mutentur, cedere oporteat.

De modis et ponderibus.

14. In parandi praeceptis plerumque partes ponderis exprimuntur. Ubi partes mensurae usurpari nihil molestiae habebat, rati praescripta ita se magis applicare rebus et usui, modestum gradum in ea via faciendum esse decrevimus.

Grammatis partes iterum voce milligrammatis signifi-

cantur; quem morem medicis, ut in receptis conscribendis teneant, sicut iam in editione 3ª factum est, denuo auctores sumus.

De medicamentorum validiorum dosibus maximis.

15. Hac quoque in editione multis medicamentis validioribus doses maximae statutae sunt et singulae et in horas vicenas quaternas. Qua re votis satisfactum esse maioris partis pharmacopolarum nobis persuasum est, quibus dux sit in observanda 2ª parte tituli 8ⁱ Legis d. Kalendis Iuniis aⁱ. MDCCCLXV de arte pharmaceutica exercenda. Contra eas doses statuendas argumenta, e litteris sumpta, afferri posse probe novimus. Cum autem eas statui permagno usui sit nec medicis facultas desit fines his medicamentis praescriptos egrediendi, nobis causa gravis non fuit cur a pristina consuetudine discederemus.

Doses maximae et singulae et in horas vicenas quaternas non solum suis quaeque capitibus subscriptae sunt, sed etiam in indice adiectae. Ita interpretandae sunt ut ad usum hominum adultorum sint accommodatae. In receptis eas egredi medicis non licet, nisi notam! post numerum dosis maioris ponunt.

Nisi dosis certa certum in usum praescripta est, doses indicatae sunt ad usum per os, ad iniectiones subcutaneas, ad clysmata, ad suppositoria, ad iniectiones in apparatum urogenitalem.

De primo auxilio in veneficiis.

16. In hac Pharmacopoeae Nederlandicae editione primus dux recipitur, qui in primo auxilio in veneficio repentino ferendo prodesse potest. Quia plerisque talem ducem in desiderio esse nobis notum erat, eum recepimus. Ut remedia indicata, quae facile subministrari posse necesse est, adhibeantur, tamen auxilium medici non minus statim invocandum est.

Quae tabulae confectae sint.

17. Mandatu viri excellentissimi Consiliarii Regii a rebus internis retractatae sunt:

a. tabula venenorum, quae in arcis clausis servanda sunt;

b. tabula venenorum, quae, dummodo *cruce caerulea* manifesta signata sint, extra arcas clausas servari licet.

Nobis in voto est venena in tabula *a* indicata *cruce rubra* signari et a venenis in tabula *b* enumeratis seposita in arcis separatis servari; simul venena in tabula *b* indicata, etiam si in arcis clausis servantur, cruce caerulea signari;

c. tabula corporum, quae spectat titulus 30us Legis d. Kalendis Iuniis a^{i}. MDCCCLXV de arte pharmaceutica exercenda (Acta publica n^{0}. 61);

d. tabula medicamentorum, quorum medici, qui rem pharmaceuticam attingunt, copiam habere debent.

Tabulae.

18. In Pharmacopoeam receptae sunt tabulae nonnullae, quas sive ad praescripta exsequenda sive ad usum cotidianum necessarias vel optabiles esse apparuit. Modus Pharmacopoeae, qui ratione qua nonnulla capita elaborata sunt, iam satis amplus factus est, ne augeretur, tabulae complures, quae in Pharmacopoeae editiones superiores separatae receptae sunt, in hac editione cum indice sunt coniunctae.

Tituli tabularum, quae separatae receptae sunt, in brevius contracti infra scripti sunt:

I. Tabula Reagentia continens.

II. Tabula Liquores titrimetricos continens.

III. Tabulae indicantes pondera specifica solutionum nonnullorum alcali et acidorum et quae ratio intercedat inter eorum ponderum partium centesimarum numeros et numeros titrimetricos.

IV. Tabula indicans pondera specifica nonnullorum liquorum gradu caloris 12^0 ad 35um.

V. Tabula indicans quot guttae nonnullorum liquorum in grammate 1 insint.

VI. Tabula indicans quae ratio intercedat inter pondera specifica et volumina alcoholis in spiritu.

VII. Tabula saturationis quae dicitur.

VIII. Tabula indicans pondera atomorum usurpata.

AMSTELODAMI, pridie Kalendas Iunias a^i. MCMV.

H. WEFERS BETTINK, *Praeses.*
L. VAN ITALLIE, *Ab-Actis.*

PRAECEPTA GENERALIA.

1. Quae medicamenta adesse in quoque pharmacopolio non opus est, eorum nomina cruce (+) notata sunt.

2. Medicamenta tam cetera, quam quae in cella penaria reposita sunt, ita servari oportet, ut quam maxime praecaveatur ne luce vel aere vel humore mutentur.

Medicamenta volatilia quaeque partes volatiles vel mutabiliores continent servanda sunt in lagenis vel vasis metallicis vel aliis idoneis, bene clausis.

Nonnulla medicamenta hygroscopica per calcem vivam servanda esse praescriptum est. Hoc praescriptum tantum valet in medicamenti copia, quae ad usum cotidianum in pharmocopolio adest. In cella penaria medicamenta hygroscopica, praeterquam per calcem vivam, servari licet in tubis vitreis, quorum partes extremae liquefactae clausae sunt, vel in lagenis epistomeis vitreis praeditis, bene obturatis, vel in lagenis quarum epistomia strato paraffini imposito vel alia materia aquam excludente humore penetrari nequeunt vel in tubis metallicis.

Nonnulla medicamenta a luce remota esse servanda praescriptum est. In medicamenti copia, quae ad usum cotidianum in pharmacopolio adest, hoc significat medicamentum in lagenis e vitro atro vel rubro vel obscure flavofusco confectis servandum esse. Unguenta et extracta servari licet in vasis

e materia non perlucida confectis. Copiam, quae non ad usum cotidianum in pharmacopolio destinata est, locis luci solis clausis servari licet.

3. Nisi aliter praescriptum est, plantarum particulae, quae ad paranda medicamenta adhibentur, sicca esse semper intelleguntur.

4. „Partium" vocabulo significantur partes ponderis; „partium centesimarum" vocabulis partes centesimae ponderis significantur.

Ad solutionum temperationes explicandas ubi scriptum est (1 = 2), (1 = 10), (1 = 50), cet. hoc significatur materiae solvendae partes singulas solvi in liquoris partibus 1, 9, 49 cet.

5. Numeri, quibus caloris gradus indicantur, Celsiani sunt. Ubi gradus non indicatur, calor aeris circumfusi intellegendus est. Sin de solutionibus et de pondere specifico agitur, semper ad gradum 15um referendum est.

„Calefacere" est calorem augere ad gradum 100um et infra, „fervefacere" ad gradum plus quam 100um.

Praeterea significat:

aqua tepida . . . . aquam caloris gradus 30^{i} ad 40um;
aqua calida . . . . aquam caloris gradus 60^{i} ad 70um;
aqua percalida . . aquam caloris gradus 85^{i} ad 95um;
macerare . . . . calefacere caloris gradu 15^{0} ad 25um;
digerere. . . . . calefacere caloris gradu 35^{0} ad 45um;
infundere. . . . calefacere caloris gradu 90^{0} ad 98um;

6. Numerorum, quibus pondus specificum indicatur, unitas est aqua caloris gradus 4^{i}.

7. Quo gradu caloris materies quaedam liquefiat, ea ratione statuitur, ut parva pars materiae ante siccatae in

tubulo capillari, cuius altera extremitas liquefacta clausa est, quique ad thermometrum, ubi bulla incipit, affixus est, ita calefiat vel fervefiat, ut thermometri tabula calore, quantum potest, conveniat cum calore bullae.

Quo gradu caloris adipes et corpora adiposa liquescant, ea ratione statuitur, ut materiae liquefactae parva quantitas in tubulum parietibus tenuibus, utrimque apertum, immittatur. Post horas 24 tubulus, ad thermometrum, ubi bulla incipit, affixus, in glycerino calefit dum adipis columna perlucida facta sit et glycerino tollatur.

8. Quo gradu caloris materies quaedam solidescat, ea ratione statuitur, ut materiae centimetra cubica nonnulla in tubo vitreo liquefiant, in massam liquefactam thermometrum immergatur atque tubus cum iis, quae continet, in balneo aeris vel aquae, sepositus, refrigescat paulo infra caloris gradum, quo materies solidescere putatur. Initium solidescendi fit materiae crystallo immisso; quo gradu caloris materies solidescit, is sumitur, quo columna hydrargyri temporis puncta pauca immutata stat.

9. Quo gradu caloris materies quaedam ebulliat, ea ratione statuitur, ut materies ita destilletur, ut thermometri bulla et columna hydrargyri vapore liquoris ebullientis undique circumdentur.

Caloris gradus, quibus corpora ebullire indicantur, referuntur ad barometrum millimetra 760 indicans.

10. Ubi leguntur vocabula „quae supererunt, ponderari nequeant" ita sunt intellegenda, ut pondus eorum, quae supererunt, sit minus quam milligrammatis 1.

Nisi aliud indicatum est, reactiones, quibus puritas materiae cuiusdam statuitur, faciendae sunt per liquoris inquirendi centimetra cubica 5 et reagentis guttas 3.

In nominibus reagentium solutorum vox „solutionis" brevitatis causa omittitur.

11. Nomina ponderum et modorum breviter scribendi modus hic est:

G.	= Gramma.	mM.	= Millimetrum.
mG.	= Milligramma.	cM.	= Centimetrum.
cM³	= Centimetrum cubicum.	dM.	= Decimetrum.
μ	= Mikron (millimetri pars millesima).	M.	= Metrum.

12. Trutinae in medicamentis parandis adhibendae sunt haece:

A. *Trutinae per milligrammata*: capitibus paribus, quibus quod pondus maximum conceditur pensandum inter grammata 10 et 50 continetur.

B. *Trutinae per grammata*: B_1 capitibus paribus, quibus quod pondus maximum conceditur pensandum inter grammata 100 et 250 continetur, vel

B_2 quibus quod pondus maximum conceditur pensandum inter grammata 250 et 1000 continetur.

Hae trutinae *sensibiles* et *accuratae* et *constantes* sunto.

a. Sintne *sensibiles* cognoscitur examinis constanti e centro declinatione, in trutinis oneratissimis parvo momento effecta. Quae declinatio pro examinis longitudinis decimetris singulis non minus quam millimetrum 2 sit.

Momentum ne excedat:

in trutinis A	pondus milligrammatum	5.
in trutinis B_1	pondus milligrammatum	50.
in trutinis B_2	pondus milligrammatum	250.

b. Sintne *accuratae* inde cognoscitur, quod in trutina oneratissima, cum pondera sedes inter se permutant, examinis extremitas a statu librato priore non plus discedit quam

millimetri partem dimidiam (0,5) pro examinis longitudinis decimetris singulis.

c. Sintne *constantes* inde cognoscitur, quod trutina, et onerata et non onerata, mota, oscillationibus constanter minutioribus ad statum libratum redit et status libratus examinis extremitatis alter post alterum non plus differt quam millimetri partem dimidiam (0,5) pro examinis longitudinis decimetris singulis.

13. Liquorum guttarum pondus statuitur per stillatorium, receptum in Consultationibus habitis ut medicamenta validiora paranda inter omnes nationes convenirent. Huius stillatorii os, quo liquor effluit, diametro millimetri quintarum trium (0,6), situm est in medio plano rotundo, cuius diametros est millimetrum 3. Aquae guttae 20, caloris gradu 15°, per hunc apparatum stillatae, pondus habent grammatis 1.

14. In medicamentis liquidis praescribendis medicis auctores sumus, ut, quantum possunt, dosis numerum centimetrum cubicorum, non cochlearium indicent. Quod ubi fieri non potest, cochlearia aestimentur continere haece:

Cochlear cibarium	1	=	centimetra cubica	15.
Cochlear pultis	1	=	centimetra cubica	8.
Cochlear theae	1	=	centimetra cubica	3.

+ Acetanilidum.

Antifebrinum.

$C_6H_5.NH(C_2H_3O)$.

Crystalla coloris et odoris expertia, nitida, rhombea; caloris gradu 113° liquescunt, aucto calore tota comburuntur. Acetanilidum in aquae partibus 210, in spiritus partibus 3,6 solvitur nec minus in chloroformo. Ita soluta neutrius reactionis sunt.

Acetanilidi milligrammatis 10 cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 3 concoctis, anilinum secernitur; additis chloroformi guttis 3, calore adhibito, benzoisonitrilum expellitur. Acetanilidi milligrammatis 100 cum acidi hydrochlorici centimetro cubico 1 per horae partem vicesimam concoctis, liquor clarus exsistit, qui, additis aquae centimetris cubicis 3, phenoli liquidi gutta 1, hypochloritis calcici centimetris cubicis 2, colorem sordide violaceum trahit, qui, addita ammoniae quantitate excedenti, in caeruleum transit.

Acetanilidi milligrammatum 500 cum acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 5 conquassatorum filtrata, modo indicato tractata, ne decolorentur (*sales anilini*).

Acetanilidum in aqua solutum, calore non adhibito saturatum, addito chloreto ferrico, tantum subflavum fiat.

Acetanilidi pars 1 in acidi nitrici partibus 10 soluta coloris expers sit (*phenacetinum*).

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2.

+ Acetas aethylicus.

Aether aceticus.

$CH_3.COOC_2H_5$.

Liquor coloris expers, clarus, odoris aetherei, plane volatilis, inflammabilis; pro qualibet portione spiritu et aethere misceri potest. Pondus specificum 0,900 ad 0,904. Ebullit caloris gradu 74^0 ad 77um.

Acetas aethylicus cum evaporatur odorem alienum ne spargat neve in charta exploratoria caerulea maculam rubram relinquat. Caloris gradu 15^0 cum aquae pari volumine conquassatus Acetas aethylicus voluminis ne plus quam parte decima minuatur

Acetate aethylico acidi sulfurici pari volumini prudenter superimposito, stratum confine colorem ne trahat.

Acetas kalicus.

$CH_3.COOK$.

Crystalla foliacea, coloris expertia, nitentia vel pulvis albus, granosus. Acetas kalicus hygroscopicus est; in aquae partibus 0,3, in spiritus parte 1,25 solvitur.

Acetatis kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 20 solutum, addito acidi tartarici grammate 1 in aquae centimetris cubicis 5 soluto, praecipitatum album, crystallinum deponit; Acetas kalicus in aqua (1=10) solutus, addito chloreto ferrico, colorem obscure rubrum trahit.

Acetatis kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 10 solutum clarum, coloris expers, neutrius reactionis sit aut tam leviter alcalinae, ut, addita acidi decinormalis centimetri cubici parte decima (0,1), non amplius alcaline reagat.

In aqua (1=20) solutus ne addito acido hydrosulfurico

neve sulfohydrate ammonico neve oxalate ammonico neve acido sulfurico diluto speciem mutet.

In aqua (1=50) solutus, per acidum nitricum dilutum acidus factus, addito nitrate argentico vel nitrate barytico, per horae partem non minus quam duodecimam clarus sit.

Acetas kalicus, addito acido sulfurico, ne effervescat neve coloretur.

Per calcem vivam servandus.

Acetas plumbicus.

Saccharum Saturni.

$(CH_3.COO)_2Pb.3H_2O$.

Crystalla coloris expertia, perlucida, monoclinia, saepe superficie quodammodo fatiscenti, saporis dulcis, deinde adstringentis. Acetas plumbicus in aquae partibus 2,4 solvitur. Ita solutus reactionis est acidae.

Acetas plumbicus calefactus primum aquam amittit, tum acidum aceticum emittens liquescit; aucto calore dioxydum carbonicum et acetonum emittens dissolvitur, denique oxydi plumbici cinerem aurantiacum relinquit plumbo metallico minuto mixtum.

Acetas plumbicus in aqua (1 = 20) solutus clarus aut leviter turbidus est; addito bichromate kalico, praecipitatum flavum deponit, quod in solutione hydratis natrici facile solvitur, addito acido sulfurico, acidum aceticum emittens, praecipitatum album deponit, quod in solutione acetatis ammonici facile solvitur.

Acetatis plumbici grammata 5 in aquae centimetris cubicis 15 soluta, additis acidi acetici centimetris cubicis 2, clara sint.

Acetas plumbicus in aqua (1 = 20) solutus, addito ferro-

cyaneto kalico, praecipitatum deponat pure album (*ferrum, cuprum*). Cum Acetatis plumbici grammati 1 in aquae centimetris cubicis 10 soluto acidum hydrochloricum additum erit dum iam nihil deponatur, tum e liquore filtrato plumbo relicto per acidum hydrosulfuricum remoto, liquor denuo filtratus, addita ammonia, speciem ne mutet neve iis, quae supererunt, evaporatis et fervefactis, quicquam relinquat, quod ponderari queat.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 300.

+ Acetotartras aluminicus.

Solve

Acidi tartarici partes septendecim 17

in

Aquae partibus viginti 20

Soluta misce

Solutionis Acetatis aluminici partibus centum sexaginta. 160

Liquorem in patina porcellanea evapora ad spissitudinem sirupi, quo facto effunde in laminas vitreas strata tenuia, sicca caloris gradu 30°, massam siccam in lagena bene obturata serva.

Frustula coloris expertia, non crystallina, acidum aceticum leviter redolentia, saporis aciduli et adstringentis. Acetotartras aluminicus in aquae pari pondere solvitur, in spiritu non solvitur.

Acetotartras aluminicus in aqua (1 = 10) solutus chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram; addito carbonate natrico, praecipitatum album, gelatinosum deponit, quod in solutione hydratis natrici facile solvitur.

Acetotartratis aluminici milligrammatis 500 in aquae centimetris cubicis 5 solutis si carbonatis kalici milligrammata 600 addita et mixta, postquam per horae partem sexagesimam ebulliverint, filtrata erunt, filtratis refrigeratis acidi acetici centimetris cubicis 2 mixtis et fortiter quassatis, praecipitatum crystallinum deponetur.

Acetotartras aluminicus si calefit, dissolvitur acidum aceticum emittens et odorem spargens qualis est sacchari tosti, cinere carbone mixto relicto, qui chartam exploratoriam rubram ne reddat caeruleam.

Acetotartras aluminicus in aqua (1 = 2) solutus, calefactus, clarus et tenuiter liquidus sit. Aquae quantitate quadrupla mixtus, additis acidi hydrochlorici guttis nonnullis, per acidum hydrosulfuricum speciem ne mutet; additis acidi nitrici guttis nonnullis, omnino ne turbetur per nitratem argenticum neve statim per nitratem baryticum.

Acetotartras aluminicus candefactus oxydi aluminici partes centesimas relinquat non minus quam 22,5.

Acetum Digitalis.

Macera, frequenter conquassans, per dies 5

Foliorum Digitalis in pulverem (B_{10}) redactorum partes decem. 10

per mixtas

Acidi acetici diluti partes nonaginta 90

et

Spiritus partes decem 10

Cola, exprime, filtra.

Liquor clarus, fuscoflavus, saporis acidi et peramari.

Aceti Digitalis centimetris cubicis 5 evaporatis, iis, quae relicta erunt, in aquae centimetra cubica 2 exceptis et solutionis acetatis plumbici basici guttis 10 mixtis, praecipitatum deponitur; cum deinde filtratum erit, filtratis cum

chloroformo conquassatis et iis, quae de chloroformo evaporato supererunt, in acidi acetici concentrati centimetris cubicis 2 solutis et, addita chloreti ferrici vel minima quantitate, acido sulfurico superimpositis, stratum confine rubescat, stratum superius caeruleum fiat.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 6.

+ Acetum Mylabridum.

Macera, frequenter conquassans, per dies 5

Mylabridum in pulverem (B_{20}) redactarum partes decem. 10

per mixtas

Acidi acetici partes nonaginta 90

et

Spiritus partes decem 10

Cola, exprime, filtra.

Liquor fuscoflavus, admodum vesicans, qui in India Orientali Nederlandica loco Tincturae Cantharidum adhibetur et cantharidini triplum continet.

Doses maximae singulae milligrammatum 60.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 200.

+ Acetum pyrolignosum depuratum.

Acetum pyrolignosum.

Liquor destillatione paratus ex aceto pyrolignoso crudo, $CH_3.COOH$ partes centesimas 6 continens.

Liquor clare flavus vel clare flavofuscus, clarus, odoris et saporis empyreumatici et acidi acetici.

Acetum pyrolignosum depuratum, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet. Acetum pyrolignosum depuratum aquae quantitate duplici mixtum, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, clarum sit per horae partem non minus quam centesimam vicesimam.

Acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 et permanganatis kalici (1 = 1000) centimetris cubicis 50 commixtis, Aceti pyrolignosi depurati centimetris cubicis 5 additis, color ruber evanuerit intra horae partem sexagesimam.

Aceti pyrolignosi depurati centimetra cubica 10 ut neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 10 requirant.

+ Acetum Rhinacanthi.

Macera, frequenter conquassans, per dies 5

Rhizomatis Rhinacanthi in pulverem (A 1,5) redacti partes decem 10

per mixtas

Acidi acetici diluti partes nonaginta 90

et

Spiritus partes decem 10

Cola, exprime, filtra.

Liquor flavus.

A luce remotum servetur.

+ Acetum Scillae.

Macera, frequenter conquassans, per dies 5

Bulbi Scillae minutim concisi partes decem . 10

per mixtas

Acidi acetici diluti partes nonaginta 90

et

Spiritus partes decem. 10

Cola, leviter exprime, fac desidant, filtra.

Liquor clarus, subflavus, saporis prius acidi, deinde amari.

Quae de evaporato Aceti Scillae centimetro cubico 1 supererunt, si una cum acido hydrochlorico in balneo aquae calefient, colorem rubrum trahent

A luce remotum servetur.

+ Acidum aceticum.

Liquor constans $CH_3.COOH$ partibus 30 et aquae 70.

Liquor coloris expers, clarus, acidus, odoris pungentis, qui pro qualibet portione aqua et alcohole misceri potest, calefactus totus volatilis fit. Pondus specificum 1,041.

Acidum aceticum aqua (1=5) mixtum, per alcali neutrius reactionis factum, addito chloreto ferrico, colorem obscure rubrum trahit.

Acidum aceticum, per alcali neutrius reactionis factum, ne sit odoris empyreumatici.

Acidum aceticum aqua (1=5) mixtum ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate argentico speciem mutet, neve nitrate barytico ne aqua chlorata quidem ante addita (*dioxydum sulfuris*).

Gaz oriens e zinci frusto reagente in mixta Acidi acetici centimetra cubica 3 et acidi hydrochlorici diluti centimetra cubica 6 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Acidi acetici centimetra cubica 20 et permanganatis

kalici (1 = 1000) centimetrum cubicum 1 commixta ne decolorentur intra horae partem sextam.

Acidi acetici centimetra cubica 5 ut neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 26 requirant.

+ Acidum aceticum concentratum.

Acidum aceticum glaciale.

$CH_3.COOH$.

Liquor coloris expers, clarus, acidus, odoris pungentis, qui pro qualibet portione aqua et alcohole misceri potest, calefactus totus volatilis fit. Pondus specificum 1,055 ad 1,062. Ebullit gradu caloris 117° ad 118um.

Acidum aceticum concentratum frigore concrescit in massam crystallinam, quae gradu caloris plus quam 16° liquescit.

Acidum aceticum concentratum aqua (1 = 20) mixtum, per alcali neutrius reactionis factum, addito chloreto ferrico, colorem obscure rubrum trahit.

Acidum aceticum concentratum, per alcali neutrius reactionis factum, ne sit odoris empyreumatici.

Acidum aceticum concentratum aqua (1 = 10) mixtum ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate argentico speciem mutet, neve nitrate barytico, ne aqua chlorata quidem ante addita (*dioxydum sulfuris*).

Gaz oriens e zinci frusto reagente in mixta Acidi acetici concentrati centimetrum cubicum 1 et acidi hydrochlorici diluti centimetra cubica 5 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Acidi acetici concentrati centimetra cubica 5, aquae centimetra cubica 15, permanganatis kalici (1 = 1000) centi-

metrum cubicum 1 commixta ne decolorentur intra horae partem sextam.

Acidi acetici concentrati grammatis 10 aqua ad centimetra cubica 100 dilutis, liquoris ita parati centimetra cubica 10 ut neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica non minus quam 16,2 requirant, quod convenit cum acidi partibus centesimis non minus quam 97,2.

Acidum aceticum dilutum.

Acetum.

Liquor constans $CH_3.COOH$ partibus 6 et aquae 94.

Misce

Acidi acetici partes viginti. 20
Aquae partibus octoginta 80

Liquor coloris expers, clarus, acidum aceticum redolens, plane volatilis, qui, non dilutus, isdem legibus puritatis satisfaciat, quibus Acidum aceticum.

Acidi acetici diluti centimetra cubica 10 ut neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 10 requirant.

Acidum arsenicosum.

As_2O_3.

Frusta alba, porcellanea, nonnunquam nucleo vitreo praedita, vel pulvis ex iis paratus. Acidum arsenicosum aqua non facile madefit, at in aquae partibus 70, quamvis tarde, totum solvitur.

Acidum arsenicosum in tubo sicco calefactum totum volatile fit et sublimatum album praebet octaedris constans.

Acidi arsenicosi milligrammata 100 in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 10 soluta, addito acido hydrosulfurico, praecipitatum flavum deponunt, quod in ammonia totum solvitur.

Acidi arsenicosi milligrammata 200 in ammoniae centimetris cubicis 2 et aquae centimetris cubicis 5 soluta coloris expertia et clara sint; additis acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 5 ne turbentur.

Acidi arsenicosi milligrammatis 200, in solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 2 solutis, additis acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 3, aquae centimetris cubicis 25, bicarbonatis natrici grammate 1, solutionis amyli guttis nonnullis, liquor ita paratus ut coloris caerulei sit, iodii decinormalis centimetra cubica 40,0 ad 40,4 requirat.

Doses maximae singulae milligrammatum 5.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 10.

Acidum benzoicum.

$C_6H_5.COOH$ cum empyreumaticis admixtis e benzoe acidi cinnamylici experti sublimatione paratum.

Crystalla initio coloris expertia, deinde flavescentia, prismatica vel lamellaria, nitida, benzoen redolentia. Acidum benzoicum calefactum liquescit, aucto calore parvum residuum atrum relinquens sublimatur, aere totus comburitur.

Acidum benzoicum in aquae partibus fere 420 et in spiritus partibus 3 solvitur. Calefactum in aquae partibus 16, partim liquescens, in liquorem leviter turbidum solvitur.

Acidi benzoici milligrammata 150 cum aquae centimetris cubicis 20 et alcali normalis centimetro cubico 1 conquassata, deinde filtrata, addito chloreto ferrico, praecipitatum flavofuscum deponunt.

Acidi benzoici milligrammatis 100 cum aquae centimetris cubicis 10 concoctis et, ubi refrixerunt, mixtis acidi sulfurici diluti centimetro cubico 1 et permanganatis kalici (1 = 1000) centimetro cubico 1 additis, color ruber intra horae partem sexagesimam evanuerit.

Acidi benzoici milligrammata 500 una cum permanganatis kalici (1=10) centimetris cubicis 5 caloris gradu 40° calefacta benzaldehydum ne gignant (*acidum cinnamylicum*).

Acidi benzoici milligrammatum 100 carbonatis calcici milligrammatis 200 et aquae centimetris cubicis 3 mixtorum, deinde exsiccatorum, tum in tubo admodum calefactorum vapores emissi chartam exploratoriam rubram, madefactam caeruleam ne reddant (*acidum hippuricum*). Ea, quae supererunt, ubi refrixerunt, in acidi nitrici diluti centimetris cubicis 3 soluta, deinde aquae centimetris cubicis 10 diluta, tum filtrata, addita nitratis argentici gutta 1, ne turbentur.

A luce remotum servetur.

Acidum boricum.

H_3BO_3.

Crystalla squamosa coloris expertia, nitida, tactu pinguia vel pulvis ex iis paratus. Acidum boricum calefactum, valde turgescens atque aquae vaporem emittens, liquescit; materiem, ubi refrixit, vitream relinquit. Acidum boricum in aquae partibus 25, in spiritus partibus 22, in glycerini partibus fere 5 solvitur.

Acidum boricum flammam non lucentem colore viridi inficit, in aqua (1 = 50) solutum chartam exploratoriam caeruleam subrubro, acidi hydrochlorici diluti voluminis parte decima (0,1) mixtum, chartam curcumae, arescentem,

colore rubrofusco, qui, si charta ammonia madefit, in colorem e viridi nigrum abit.

Acidum boricum in aqua (1 = 50) solutum ne addito acido hydrosulfurico neve oxalate ammonico neve nitrate barytico neve nitrate argentico speciem mutet neve magis phosphate natrico, ubi ammonia addita erit.

Acidi borici grammati 1, aquae centimetris cubicis 2, acidi sulfurici centimetris cubicis 3 commixtis si sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetra cubica 3 prudenter superimposita erunt, stratum confine ne coloretur.

+ Acidum camphoricum.

$C_8H_{14}(COOH)_2$.

Crystalla lamellaria, coloris et odoris expertia, nitida; caloris gradu 185° ad 186um liquescunt; aucto calore vapores albos, pungentes emittentia, tota volatilia fiunt. Acidum camphoricum in aquae partibus 156 et in spiritus parte 1,1 solvitur.

Acidum camphoricum in aqua frigida, dum saturata sit, solutum ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico turbetur; cuius solutionis centimetris cubicis 3 et acidi sulfurici centimetris cubicis 3 commixtis si sulfatis ferrosi (1=3) centimetra cubica 3 prudenter superimposita erunt, stratum confine ne coloretur.

Acidi camphorici siccati gramma 1 ut neutrius reactionis sit, alcali normalis centimetra cubica 10 requirat.

+ Acidum chromicum.

CrO_3.

Prismata rhombea, fuscorubra, nitida, sicca. Acidum chromicum in aquae partibus 0,6 solvitur.

Acidum chromicum una cum acido hydrochlorico calefactum, liquore paulatim virescente, chlorium emittit.

Acidi chromici pars 1 in aquae partibus 90 et acidi hydrochlorici partibus 10 soluta addito nitrate barytico ne turbetur.

Quae de Acidi chromici milligrammatis 200 candefactis supererunt, aquae centimetris cubicis 20 detrita et filtrata, coloris expertia sint neve evaporata plus quam milligramma 1 relinquant (*chromates*).

Per calcem vivam servandum.

Acidum citricum.

$C_3H_4.OH(COOH)_3.H_2O$.

Prismata rhombea, coloris expertia, perlucida; calefacta liquescunt, aucto calore carbonescentia comburuntur. Acidum citricum in aquae partibus 0,6 et in spiritus parte 1 solvitur.

Acidi citrici milligrammata 100 in aquae centimetro cubico 1 soluta, additis aquae calcis centimetris cubicis 50, mixta praebent clara, quae, cum coquuntur, praecipitatum album, floccosum deponunt, quod, liquore refrigescente, totum vel fere totum evanescit.

Acidum citricum in aqua (1 = 10) solutum addito nitrate barytico ne turbetur; per ammoniam alcalinum factum ne addito oxalate ammonico neve sulfohydrate ammonico speciem mutet.

Acidi citrici grammata 5 in ammoniae centimetris cubicis 12 soluta ne addito acido hydrosulfurico neve sulfate calcico (*acidum oxalicum*) speciem mutent.

Acidi citrici pulveris gramma 1, additis acetatis kalici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 3, liquorem praebeat clarum (*acidum tartaricum*).

Quae de Acidi citrici grammate 1 combusto supererunt, ponderari nequeant.

+ Acidum hydrobromicum.

Acidum hydrobromicum quadrinormale.

Solve

Brometi kalici in pulverem redacti partes decem. 10

in mixtis

Acidi sulfurici partibus undecim 11

et

Aquae partibus decem. 10

Destilla dum quae retorta continet solidescere coeperint.

Destillata rectifica et liquorem redestillatum aqua diluedum tam fortis factus sit quam praescriptum erit.

Liquor coloris expers, clarus, acidus, qui calefactus totus evanescit. Pondus specificum 1,224.

Acidi hydrobromici centimetro cubico 1 cum chloroformi centimetris cubicis 3 et aquae chloratae centimetris cubicis 10 conquassato, stratum chloroformi colorem flavorubrum trahit. Addito nitrate argentico, Acidum hydrobromicum praecipitatum flavoalbum deponit, quod in ammonia non facile solvitur.

Acidum hydrobromicum mixtum aquae voluminibus 5 et

ammoniae tanta quantitate, ut vix acidae reactionis sit, ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate barytico speciem mutet, neve magis chloroformi centimetra cubica 2, cum huius liquoris centimetris cubicis 5 conquassata, colorem flavum trahant (*bromium*), neve, addita chloreti ferrici gutta 1, violaceum (*acidum hydroiodicum*).

Praecipitato, Acidi hydrobromici centimetrum cubicum 1 miscendo nitratis argentici centimetris cubicis 15 parato, collecto et abluto dum aqua addito brometo kalico (1=10) non amplius turbetur, per horae partem duodecimam cum carbonatis ammonici centimetris cubicis 5 conquassato, liquoris ita parati filtrata, addito brometo kalico (1=10), clara sint (*acidum hydrochloricum*).

Acidi hydrobromici centrimetrum cubicum 1 cum acidi nitrici centimetro cubico 1 concoctum et, ubi refrixit, ammonia supersaturatum addita mixtura magnesiae post ne horam quidem unam turbetur (*acidum phosphoricum*).

Gaz oriens e zinci frusto reagente in mixta Acidi hydrobromici centimetra cubica 3 et aquae centimetra cubica 3 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Acidi hydrobromici centimetra cubica 5 ut neutrius reactionis sint, alcali normalis centrimetra cubica 20 requirant.

A luce remotum servetur.

+ Acidum hydrochloricum.

Liquor constans HCl partibus 25 et aquae 75.

Liquor coloris expers, clarus, saporis peracidi, qui calefactus totus volatilis fit. Pondus specificum 1,126.

Acidum hydrochloricum una cum permanganate kalico

calefactum chlorium emittit; addito nitrate argentico, praecipitatum deponit album, quod in ammonia solvitur.

Acidum hydrochloricum, aquae volumina 5, ammoniae tantum, ut mixta modo leviter acidae reactionis sint, commixta, addito iodeto kalico cum amylo, caerulea ne fiant intra horae partem duodecimam, neve addito nitrate barytico turbentur, ne aqua chlorata quidem addita (*dioxydum sulfuris*); addito acido hydrosulfurico, ne per ammoniam quidem alcalina facta, speciem mutent.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in mixta Acidi hydrochlorici centimetra cubica 3 et aquae centimetra cubica 6 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Acidi hydrochlorici centimetra cubica 5 ut neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 38,5 requirant.

Acidum hydrochloricum dilutum.

Acidum hydrochloricum quadrinormale.

Misce Acidum hydrochloricum aquae tanta quantitate, ut mixtorum centimetra cubica 10, quo neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 40 requirant.

Quod ut fiat, opus est Acidi hydrochlorici grammatis 583,4 in mixtorum centimetrum cubicorum singula milia.

Liquor coloris expers, clarus, ponderis specifici 1,067, qui isdem puritatis legibus satisfaciat, quibus Acidum hydrochloricum.

+Acidum hydrocyanicum dilutum. F.I.

In Aquae voluminibus 80 et Spiritus 20 commixtis HCN partes centesimae 2 solutae.

Liquor coloris expers, clarus, acidum hydrocyanicum redolens, qui calefactus totus volatilis fit. Pondus specificum 0,977 ad 0,978.

Acidi hydrocyanici diluti gutta 1 una cum solutionis hydratis kalici centimetro cubico 1 et sulfatis ferrosi milligrammatis 10 calefacta dum ebulliant, liquor refrigeratus, acidi hydrochlorici centimetro cubico 1 mixtus, caeruleus fit et brevi post praecipitatum caeruleum exsistit.

Acidum hydrocyanicum dilutum, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet, ne ammonia quidem postea addita; addito nitrate barytico ne turbetur.

Quae de Acidi hydrocyanici diluti centimetro cubico 1 una cum biboratis natrici milligrammatis 100 in balneo aquae evaporato supererunt, cum in aquae centimetris cubicis 2 soluta et acidi nitrici diluti guttae 4 additae erunt, ne turbentur addito nitrate argentico (*acidum hydrochloricum*).

Acidi hydrocyanici diluti grammatum 5, aqua ad centimetra cubica 100 dilutorum, centimetris cubicis 10 si solutionis hydratis natrici guttae 6 et chloreti natrici (1 = 10) guttae 2 additae et nitratis argentici centinormalis tantum instillatum erit, ut turbatio, quassato liquore, non amplius evanescat, centimetra cubica 18 ad 19 requirantur.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 400.

+ Acidum lacticum.

Liquor constans $CH_3.CHOH.COOH$ partibus fere 75 et aquae 25.

Liquor coloris expers, clarus, spissus, odoris expers, acidus, qui pro qualibet portione aqua et spiritu et aethere misceri potest; carbonescens comburitur flamma initio caerulea, deinde lucenti. Pondus specificum 1,21 ad 1,22.

Acidum lacticum una cum permanganate kalico calefactum aldehydum emittit.

Acidum lacticum aqua (1 = 10) mixtum ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate argentico neve oxalate ammonico speciem mutet neve magis, si coquitur, aqua calcis mixtum ut reactionis alcalinae sit.

Acido lactico leniter calefacto, odor hircinus ne sentiatur.

Iis, quae de Acidi lactici grammatis 2 et aquae centimetris cubicis 2 et oxydi zincici grammatis 3 commixtis et evaporatis supererunt, per alcoholis absoluti centimetra cubica 10 extractis, deinde filtratis, quae de filtratis evaporatis supererunt, ponderari nequeant (*glycerinum*).

Acido lactico acidi sulfurici pari volumini prudenter superimposito, stratum confine ne coloretur intra horae partem quartam (*saccharum*).

Acidi lactici centrimetro cubico 1 in aetheris centimetra cubica 2 instillato, nulla turbatio, ne praeteriens quidem, sentiatur (*mannitum*).

Acidi lactici gramma 1 ut neutrius reactionis sit, alcali normalis centimetra cubica 8,2 ad 8,4 requirat.

+ Acidum nitricum.

Liquor constans HNO_3 partibus 50 et aquae 50.

Liquor coloris expers, clarus, odoris pungentis, peracidus; calefactus totus volatilis fit. Pondus specificum 1,316.

Acidum nitricum una cum cupro calefactum vapores fuscorubros emittit.

Acidum nitricum ammonia supersaturatum ne sulphohydrate ammonico quidem addito speciem mutet.

Acidum nitricum aquae volumine quadruplo mixtum ne turbetur addito nitrate barytico neve nitrate argentico.

Chloroformi centimetrum cubicum 1 cum Acidi nitrici centimetris cubicis 5 et aquae centimetris cubicis 5 conquassatum ne aqua hydrosulfurata quidem instillata coloretur *(acidum iodicum)*.

Acidi nitrici centimetra cubica 5 ut neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 52,2 requirant.

A luce remotum servetur.

+ Acidum nitricum dilutum.

Acidum nitricum quadrinormale.

Misce Acidum nitricum aquae tanta quantitate, ut mixtorum centimetra cubica 10, quo neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 40 requirant.

Quod ut fiat, opus est Acidi nitrici grammatis 504,4 in mixtorum centimetrum cubicorum singula milia.

Liquor coloris expers, clarus, ponderis specifici 1,133, qui isdem puritatis legibus satisfaciat quibus, Acidum nitricum

---

Acidum phosphoricum.

Liquor constans H_3PO_4 partibus 25 et aquae 75.

Liquor coloris et odoris expers, clarus, acidus. Pondus specificum 1,153.

Acidum phosphoricum, per alcali neutrius reactionis factum,

addito nitrate argentico, praecipitatum flavum deponit, quod in acido nitrico et in ammonia solvitur.

Acidum phosphoricum aquae volumine quadruplo mixtum ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate barytico speciem mutet intra horae partem duodecimam, neve nitrate argentico, ne calore quidem adhibito.

Acidum phosphoricum, ammonia supersaturatum, ne addito sulfohydrate ammonico neve oxalate ammonico speciem mutet.

Acidi phosphorici centimetris cubicis 2 acidi sulfurici centimetris cubicis 3 mixtis ubi sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetra cubica 3 prudenter superimposita erunt, stratum confine ne coloretur.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in mixta Acidi phosphorici centimetra cubica 5 et acidi sulfurici diluti centimetra cubica 5 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Acidi phosphorici centimetra cubica 3 ut neutrius reactionis sint, phenolphthaleino indicatore, alcali normalis centimetra cubica 29,4 requirant.

Acidum salicylicum.

$C_6H_4.OH.COOH.1,2.$

Crystalla coloris et odoris expertia, levia, tenuia, nitida, saporis primum dulcis, deinde acidi, denique acris. Acidum salicylicum calorис gradu 157° liquescit; prudenter calefactum totum sublimatur. Acidum salicylicum in aquae partibus fere 500, in spiritus partibus 3,5, in aetheris partibus 2,25 solvitur; ita solutum coloris expers sit.

Acidi salicylici milligrammata 2 in aquae centimetris cubicis 10 soluta, additis chloreti ferrici guttis 2, colorem obscure violaceum trahunt.

Acidum salicylicum in acido sulfurico (1 = 7) solutum coloris expers vel fere expers sit.

Acidi salicylici milligrammata 500 et carbonatis natrici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 10 una soluta clara sint; quibus solutis cum aetheris centimetris cubicis 5 et aetheris petrolei centimetris cubicis 5 conquassatis, quae de liquore aethereo evaporato supererunt, ponderari nequeant neve phenolum redoleant.

Acidi salicylici gramma 1 in spiritus centimetris cubicis 10 solutum, acidi nitrici guttis 5 mixtum, additis nitratis argentici guttis 2 ne turbetur.

+ Acidum sulfuricum.

Acidum H_2SO_4 partibus centesimis 94 ad 96.

Liquor coloris expers, clarus, spissiusculus, odoris expers, peracidus; calefactus totus volatilis fit. Pondus specificum 1,837 ad 1,840.

Acidum sulfuricum aquae partibus 100 dilutum, addito nitrate barytico, praecipitatum album deponit, quod in acidis non solvitur.

Acidum sulfuricum aquae volumine quincuplici mixtum ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate argentico speciem mutet, neve addito sulfohydrate ammonico, ubi per ammoniam alcalinum factum erit. Acidi sulfurici aqua diluti centimetra cubica 10 permanganatis kalici (1 = 1000) gutta 1 addita ne decolorentur intra horae partem duodecimam (*dioxydum sulfuris*).

Gaz oriens e zinci frusto reagente in mixtorum supra

descriptorum centimetra cubica 5 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Acidum sulfuricum, in spiritus volumen quincuplex infusum, post horae spatium unius clarum sit (*plumbum*).

Acidi sulfurici centimetris cubicis 5 ubi sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetra cubica 3 prudenter superimposita erunt, stratum confine ne coloretur; neve magis, ubi Acidi sulfurici centimetris cubicis 5 sulfitis natrici milligrammata 20, in acidi hydrochlorici centimetris cubicis 5 soluta, superimposita erunt (*selenium*).

Acidi sulfurici grammatum 5 aqua ad centimetra cubica 100 dilutorum centimetra cubica 25 ut neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 24,0 ad 24,5 requirant.

Acidum sulfuricum dilutum.

Acidum sulfuricum quadrinormale.

Misce Acidum sulfuricum aquae tanta quantitate, ut mixtorum centimetra cubica 10, quo neutrius reactionis sint, alcali normalis centimetra cubica 40 requirant.

Quod ut fiat, opus est Acidi sulfurici grammatis 204 ad 208 in mixtorum centimetrum cubicorum singula milia.

Liquor coloris expers, clarus, ponderis specifici 1,124, qui isdem puritatis legibus satisfaciat, quibus Acidum sulfuricum.

Acidum tartaricum.

Acidum tartaricum lucem polarisatam dextrorsum detorquens.

$C_2H_2(OH)_2(COOH)_2$.

Prismata coloris expertia, perlucida, non hygroscopica, monoclinia; calefacta liquescunt, aucto calore, spargentia odorem velut sacchari tosti et carbonescentia, comburuntur. Acidum tartaricum in aquae partibus 0,8 et in spiritus partibus 2,6 solvitur.

In aqua (1 = 2) solutum, addito acetatis kalici (1 = 3) pari volumine, continuo praecipitatum album, crystallinum deponit.

In aqua (1 = 10) solutum, addita aqua calcis, non priusquam reactio alcalina exstitit, praecipitatum album deponit, quod in chloreto ammonico totum solvatur. Addito nitrate barytico ne turbetur; per ammoniam alcalinum factum ne addito oxalate ammonico neve sulfohydrate ammonico speciem mutet.

Acidi tartarici grammata 5 in ammoniae centimetris cubicis 10 soluta ne addito acido hydrosulfurico neve sulfate calcico (*acidum oxalicum*) speciem mutet.

Quae de Acidi tartarici grammate 1 combusto supererunt, ponderari nequeant.

+ Acidum trichloraceticum.

$CCl_3.COOH$.

Crystalla coloris expertia, admodum hygroscopica, rhomboedra, acidum aceticum leviter redolentia, reactionis admodum acidae; in exsiccatore siccata caloris gradu fere 55° liquescunt; calore aucto tota volatilia fiunt. Acidum trichloraceticum in aqua, in spiritu, in aethere facile solvitur.

Acidi trichloracetici milligrammata 100, una cum spiritus

guttis 2 et acidi sulfurici guttis 3 calefacta, aethera trichloraceticum gignunt, qui, aqua dilutus, ut liquor gravis secernitur et odoris est velut olei menthae piperitae.

Acidum trichloraceticum in aqua (1 = 20) solutum, addito nitrate argentico, clarum sit per horae partem non minus quam sexagesimam.

Acidi trichloracetici in exsiccatore siccati gramma 1 in aquae centimetris cubicis 10 solutum, ut neutrius reactionis sit, alcali normalis centimetra cubica ne plus quam 6,1 requirat.

+ Adeps Lanae.

Aetheres cholestoli depurati lanae ovium crudae.

Adeps Lanae clare flavus est, odoris fere expers, in aethere et in chloroformo solvitur; aquae non minus quam partibus centesimis 100 misceri potest.

Cum Adeps Lanae in chloroformo (1 = 200) solutus acido sulfurico superimponitur, stratum confine paulatim colorem rubrofuscum trahit.

Adipis Lanae grammata 2 in aetheris centimetris cubicis 10 soluta, additis phenolphthaleini guttis 2, ne rubescant; addita insuper alcali decinormalis centimetri cubici parte quinta (0,2), mixta rubescant.

Adipis Lanae grammatis 10 una cum aquae centimetris cubicis 50, assidue agitatis, calefactis dum liquescant, aqua inde secreta clara, neutrius reactionis sit, evaporata nihil relinquat, una cum aqua calcis calefacta gaz ammoniae ne emittat.

Adipis Lanae gramma 1 combustum cineris ne plus quam milligramma 1 relinquat, reactionis non alcalinae.

Adeps Lanae cum Aqua.

Lanolinum.

Misce

Adipis Lanae partes septuaginta quinque . 75
Aquae partibus viginti quinque 25

Mixtum clare flavum, aequabile, unguinosum.

Adipis Lanae calore secreti partes centesimae 75 adsint; satisfaciant isdem postulatis, quibus Adeps Lanae.

Adeps suillus.

Axungia.

Adipem omentorum et renum Suum Scrofarum sanarum, in frustula concisum, in balneo aquae calface et liquefactum cola.

Adeps albus, odoris fere expers, qui caloris gradu 40° ita liquescat, ut liquor clarus fiat.

Adeps suillus olei gossypii et olei sesami et oleorum mineralium expers sit, id quod statuitur quomodo Oleis pinguibus praescriptum est. Index acidimetricus ne sit maior quam 3. Index iodimetricus, in milligrammatis 300 ad 340, experimento per horae partem quartam continuato, statutus, ne sit minor quam 49 neve maior quam 60.

Adeps suillus potissimum serveturin lagenis bene clausis.

Adeps suillus benzoatus.

Axungia benzoata.

Adipis suilli partes centum 100

una cum

Benzoes in pulverem (B_{10}) redactae partibus duabus 2

saepe agitans, in balneo aquae per horam unam calface, deinde filtra.

Adeps suillus benzoatus benzoen evidenter redoleat, subflavidus, liquefactus clarus sit.

Aether.

$(C_2H_5)_2O$.

Liquor coloris expers, clarus, odoris proprii, plane volatilis, facile inflammabilis. Aether pro quavis portione spiritu, chloroformo, oleis pinguibus misceri potest, in aquae partibus fere 10 solvitur. Pondus specificum 0,720. Caloris gradu 34,5^0 ad 35um ebullit.

Aether si cum aquae pari volumine caloris gradu 15^0 conquassatur, volumen Aetheris ne plus quam parte decima minuatur; aqua chartam exploratoriam caeruleam rubram ne reddat neve iodetum kalicum cum amylo caeruleum intra horae partem duodecimam (*peroxydum hydrogenii*).

Aetheris centimetro cubico 1 acidi sulfurici pari volumine prudenter mixto, liquor exsistat coloris expers, clarus.

Aetheris centimetra cubica 2, chloreti hydrargyrici guttis 6 et aquae barytae centimetris cubicis 6 mixta, praecipitatum flavum deponant, liquore quassato non evanescens; quae mixta filtrata, addito sulfohydrate ammonico, ne calore quidem adhibito, speciem mutent (*acetonum*).

Hydratis kalici sicci, divisi in frustula magnitudinis pisi, grammata 2 si in lagena vitreo epistomio praedita Aetheris centimetris cubicis 10 superfusa erunt et lagena bene clausa loco obscura servata erit, hydras kalicus ne flavescat intra horae partem dimidiam (*aldehydum* et *alcohol vinylicus*).

Aetheris centimetra cubica 10, calore non adhibito, evaporentur nihil relinquentia neve odorem alienum spargentia.

A luce remotus servetur.

Aether ad Narcosin.

$(C_2H_5)_2O$.

Aether ad Narcosin postulatis Aetheri scriptis satisfaciat, praeterea hisce:

Centimetra cubica 5 si cum commixtis aquae centimetris cubicis 5 et Nessleri liquoris guttis 3 conquassata erunt, uterque liquor per horae partem quartam clarus sit et coloris expers.

Quae de centimetris cubicis 20, additis aquae guttis 5, calore non adhibito, evaporatis supererunt, colorem chartae exploratoriae caeruleae ne mutent.

Aether ad Narcosin servetur in lagenis parvis, centimetra cubica non plus quam 100 continentibus, propemodum completis, epistomio vitreo bene obturatis, fuscis, loco frigido, a luce remotus.

+ Aether cum Spiritu.

Liquor anodynus Hoffmanni.

Commisce

Aetheris

et

Spiritus partes totidem.

Liquor clarus, coloris expers, aethera vehementer redolens, plane volatilis. Pondus specificum 0,777 ad 0,782.

Aetheris cum Spiritu centimetra cubica 10 evaporentur nihil relinquentia neque odorem alienum spargentia.

Aetheris cum Spiritu caloris gradu 15^0 cum aquae pari volumine conquassati volumen ne plus quam partibus decimis 6 (0,6) minuatur.

+ Aether Petrolei.

Carbonii hydrogenati varia genera mixta, e petroleo crudo destillatione parata.

Liquor coloris expers, clarus, odoris proprii, plane volatilis, facile inflammabilis, qui, si inflammatus est, ardet flamma permultum fuliginis praebente. Aether Petrolei aethere, chloroformo, oleis pinguibus pro quavis portione, spiritus partibus fere 3 misceri potest, in aqua non solvitur. Pondus specificum 0,650 ad 0,670. Inter caloris gradus 40um et 60um destilletur.

Aetheris Petrolei cum acidi sulfurici pari volumine conquassati calor ne augeatur, volumen ne minuatur, neuter liquor coloretur.

Aetheris Petrolei centimetris cubicis 4 una cum ammoniae centimetro cubico 1 et alcoholis absoluti centimetris cubicis 5 et nitratis argentici guttis 10, frequenter quassatis, caloris

gradu 60° per horae partem duodecimam calefactis, liquor infra positus ne coloretur.

Quae de Aetheris Petrolei centimetris cubicis 10 in balneo aquae evaporatis supererunt, ponderari nequeant.

+ Albumen Ovi siccum.

Albumen gallinarum ovorum recentium, non coagulatum, siccatum.

Frustula subflavida, perlucida, odoris et saporis fere expertia, fragilia vel quodammodo cornea. Albumen Ovi siccum, addita aqua, solutionem paulum turbidam praebet, in spiritu et in aethere fere non solvitur.

Albumen Ovi siccum in aquae quantitate decemplici solutum deinde filtratum sit liquor clarus, subflavidus, paulum mucosus, ponderis specifici 1,020. Quae soluta, aquae volumine quincuplici diluta et cocta, in pultem spissam coagulantur; liquor ita dilutus si ante acidi acetici volumine, quod sit quinta pars sui, mixtus erit, clarus sit dum coquitur.

Albuminis Ovi sicci in aqua (1 = 100) soluti centimetra cubica 10 si cum mixtis solutionis phenoli (1 = 20) centimetris cubicis 5 et acidi nitrici diluti centimetro cubico 1 per horae partem duodecimam fortiter conquassata atque filtrata erunt, deinde spiritus fere pari volumine filtratorum centimetris cubicis 5 prudenter imposito, stratum confine ne turbetur (*gummi*). Quorum filtratorum centrimetra cubica 5, addita solutionis iodii gutta 1, colore flavo, non flavorubro nec fuscorubro, inficiantur (*dextrinum*).

Albumen Ovi siccum nitrogenii ne contineat minus quam partes centesimas 11 neve caloris gradu 105° ponderis plus quam partes centesimas 20 amittat neve combustum cineris plus quam partes centesimas 6 relinquat, qui cinis metalla graviora ne contineat.

+ Alcohol absolutus.

$C_2H_5.OH$ aquae ne plus quam partem centesimam 1 continens.

Liquor ponderis specifici 0,794 ad 0,799, qui caloris gradu 78,4° ebullit quique ceterum postulatis satisfacit in „Spiritu" memoratis, insuper huic:

Alcoholis absoluti centimetra cubica 2, additis sulfidi carbonici centimetris cubicis 5, liquorem plane clarum praebeant.

+ Aloe.

Materies parata evaporando suco profluente e foliis transversa persectis, quae ferunt variae species generis Aloe, in Africa Meridionali indigenae, nec non alibi, praesertim in insula nomine Curaçao, ad Aloen parandam cultae.

Massa perfusca, nitida aut non refulgens, quae facile in frusta conchata diffringitur. Odor proprius, sapor amarus.

Cum spiritus partibus 5 una calefacta Aloe tota solvitur; cum refrigeratur, nihil aut tantum exiguum praecipitatum floccosum deponitur. In chloroformo ebullienti Aloe solvi fere non potest, in aethere ebullienti difficillime; liquore aethereo clare flavo evaporato, exiguum residuum restat, quod ne maius sit quam Aloes partes centesimas 5.

Aloe cum aquae decemplici quantitate concocta liquorem praebet, e quo refrigerato Aloes ponderis ne plus quam dimidia pars secreta sit.

Aloe siccata et contrita pulverem obscure flavum praebet, qui caloris gradu 100° ne concrescat neve colorem mutet.

Aloe aquae partes centesimas 8 ad 12 continet, combusta cineris ne plus quam 1,5 relinquat.

Ammonia liquida.

Liquor constans NH_3 partibus fere 10 et aquae fere 90.

Liquor coloris expers, clarus, odoris valde penetrantis, cuius vapor chartam exploratoriam rubram reddit caeruleam. Pondus specificum 0,960.

Ammonia liquida, acido acetico supersaturata, ne addito acido hydrosulfurico neve oxalate ammonico neve nitrate barytico speciem mutet neve, acidi nitrici parva quantitate insuper addita, nitrate argentico.

Ammoniae liquidae centimetra cubica 2, acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 3 mixta, ne effervescant neve oleant neve addita permanganatis kalici (1 = 1000) gutta 1 decolorentur intra horae partem sextam (*empyreumata*).

Ammonia liquida evaporata nihil relinquat.

Ammoniae liquidae centimetra cubica 5 ut neutrius reactionis sint, acidi normalis centimetra 28,0 ad 28,2 requirant.

+ Ammoniacum.

Gummiresina quam praebent quaedam species generis Dorema, quarum nominandae sunt Dorema Ammoniacum, D. Don. in Trans. Linn. Soc. XVI (1833) 601, Dorema Aucheri, Boiss. in Ann. Sc. Nat. Sér. III. I (1844) 329, Dorema aureum, Stocks, in Hook. Kew Journ. Bot. IV (1852) 149.

Sucus lacteus e caulibus vulneratis profluens, aere induratus.

Grana separata aut conglutinata, subflava aut subfusca, intus alba, frigore dura et fragilia, calore manus iam mollescentia, sed, ne in balneo aquae quidem, plane lique-

scentes. Odor, praesertim calore adhibito, proprius, aromaticus; sapor amarus et acer.

Ammoniaci pulvis, addita ammonia, colorem citrinum, addito hypochlorite natrico, pulchre rubrum trahit. Ammoniacum cum decemplici aquae pondere concoctum emulsum album praebet, quod, addita solutione hydratis natrici, coloris aurantiacofusci, addito chloreto ferrico, coloris murini fit.

Ammoniaci pulveris gramma 1 si cum spiritus centimetris cubicis 20 concoctum erit, pars, quae solvi non potest, siccata caloris gradu 100^0, milligrammatum ne plus quam 350 sit.

Ad usum Ammoniacum, per calcem vivam siccatum, prudenter contusum et contritum in pulverem (B_{10}) redigatur et cribro purgetur. Qui pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 5 relinquat.

Per calcem vivam servandum.

+ Amygdalae dulces.

Semina quae praebet Prunus Amygdalus, STOKES, Bot. Mat. Med. III. 101.

Centimetra plus minus 2,5 longae, latae 1,5, crassae 0,75. Quodammodo oblique oblongoovatae, compressae, apice acuto, margine obtuso. Amygdalarum maceratarum testa coriacea facile detrahi potest. Testa grosse in longitudinem rugosa, coloris cinnamomei, quasi farina obducta. Hilus secundum marginem ductus, paulum eminens cristae instar, a parte apici propinqua ad fere medium semen extentus. Raphe cum hilo lineam rectam efficit, in chalazam desinit, quae paulo supra finem inferiorem seminis posita est. Chalaza fere orbicularis, diametro millimetrum fere 3, coloris obscurioris, id quod praesertim in testae parte interiore conspicuum est; e chalaza nervi fere 16 coloris obscurioris,

quodammodo ramosi, nonnusquam anastomantes, in apicem oblique exeunt. Tegmen membranaceum, album, quoque in chalaza. Albumen nullum. Nucleus eadem forma, qua semen, radicula brevi, in fine acuto posita; 2 cotyledones pure albae, non flavidae, compresse globosae, obovatae; plumula brevis, foliolis recentibus 8.

Odor dulcis; sapor dulcis, oleaceus.

Amygdalae amarae inter dulces ne adsint. Amygdalae fractae reiciendae sunt.

+ Amylum Marantae.

Amylum rhizomatum quae praebent quaedam species generis Marantae, imprimis M. arundinacea, LINN. Sp. Pl. 2, cultae in India Occidentali et in India Orientali.

Pulvis modice tenuis, albus, facile cohaerens, odoris et saporis expers.

Amylum Marantae, cum aquae partibus 50 concoctum, mucilaginem amyli perlucidam praebet odoris proprii, colorem chartae exploratoriae non mutantem.

Microscopia. Grana simplicia, plerumque magna, quorum longitudo variatur secundum curvam probabilitatis errorum asymmetram, $\bar{x} = 25{,}5\ \mu$. Forma ovalis, saepe enormiter oblonga, paululum compressa. Nucleus extra centrum positus ($^1/_1 - ^1/_3$), plerumque in extremitate crassiore, conspicuus rima aere impleta, quae plerumque formam ⌒ habet. Strata non clara. Granorum pars ne maior quam quarta rima careat; grana stratis perspicuis ne adsint (*amylum solani*).

Amylum Marantae, caloris gradu 100° siccatum, ponderis partes centesimas ne plus quam 12 amittat neve combustum cineris plus quam partem centesimam 1 relinquat.

Amylum Oryzae.

Amylum.

Amylum seminum quae praebet Oryza sativa, LINN. Sp. Pl. 333.

Pulvis tenuissimus, albus, odoris et saporis expers.

Amylum Oryzae, cum aquae partibus 50 concoctum, mucilaginem amyli praebet non perlucidam, odoris fere expertem, colorem chartae exploratoriae non mutantem.

Microscopia. Grana composita e multis granis minoribus, corpora ellipsoidea, plus minus 25 μ. longa. Grana minora polyedra, diametro plus minus 5 μ. Nucleus centralis, nonnunquam rima aere impleta indicatus, saepe nulli cernendus. Praeter multa grana minora, separata et grana composita in Amylo Oryzae saepe crebrae massae horum inveniuntur, interdum cellulae amylo prorsus impletae. Pili unicellulares ne adsint (*farina avenacea*).

Amylum Oryzae, caloris gradu 100° siccatum, ponderis partes centesimas ne plus quam 12 amittat neve combustum cineris plus quam partem centesimam 1 relinquat.

+ Amylum Solani.

Amylum tuberum quae praebet Solanum tuberosum, LINN. Sp. Pl. 185.

Pulvis nitidus, albus, odoris expers, saporis perexigui, inter digitos crepitans.

Amylum Solani, cum aquae partibus 50 concoctum, mucilaginem amyli praebet perlucidam, subcaeruleam, semper nonnullis massulis praeditam, odoris expertem, colorem chartae exploratoriae non mutantem.

Microscopia. Pleraque grana simplicia; composita et semicomposita in quoque praeparato inveniuntur, sed pro

numero pauca. Longitudo variatur secundum curvam probabilitatis errorum asymmetram , $\bar{x} = 23\,\mu$. Grana ovata, saepe etiam formae magis enormis, non compressa. Nucleus extra centrum positus ($^1/_4$), granorum extremitatem tenuiorem versus; strata plerumque valde distincta.

Amylum Solani, caloris gradu 100° siccatum, ponderis partes centesimas ne plus quam 12 amittat neve combustum cineris plus quam partem centesimam 1 relinquat.

+ Amylum Tritici.

Amylum seminum quae praebet Triticum vulgare, Vill. Hist. pl. Dauph. II. 153.

Pulvis tenuissimus, albus, odoris expers, saporis perexigui.

Amylum Tritici, cum aquae partibus 50 concoctum, mucilaginem amyli praebet non perlucidam, subcaeruleam, odoris expertem, colorem chartae exploratoriae non mutantem.

Microscopia. Granorum duo genera:

1°. Grana magna, e centenis 15, quorum diametros variatur secundum curvam probabilitatis errorum, $M = 9\,\mu$., $Q = 2{,}3\,\mu$.; lenticularia, praeterea orbicularia, vel ovalia, interdum reniformia; simplicia; nucleus centralis ($^1/_1$) rarissime cerni potest, neque magis strata rimaeque.

2°. Grana parva, e centenis 85, quorum diametros variatur secundum curvam probabilitatis errorum asymmetram , $\bar{x} = 1{,}9\,\mu$.; plerumque rotunda vel angulosa; sunt haec partes granorum compositorum, qualia rarissime in farina adsunt.

Amylum Tritici, caloris gradu 100° siccatum, ponderis partes centesimas ne plus quam 12 amittat neve combustum cineris plus quam partem centesimam 1 relinquat.

+ Anetholum.

$C_6H_4.OCH_3.C_3H_5.1,4.$

Elementum primarium Olei Anisi et Olei Foeniculi.

Massa alba, crystallina. Odor proprie aromaticus, paulum differens ab odore Olei Anisi; sapor subdulcis. Radium lucis polarisatae Anetholum non detorquet. Pondus specificum caloris gradu 25° 0,984 ad 0,986. Caloris gradu 21° liquescit, fere 235° ębullit.

Anetholum in spiritus voluminibus 2 solvatur; si opus erit, in experiendo ad caloris gradum 20um calefieri licebit.

Antipyrinum.

Phenyldimethylpyrazolonum.

$C_{11}H_{12}N_2O.$

Lamellae crystallinae, coloris et odoris expertes, monoclines, saporis amari; caloris gradu 113° liquescunt, aucto calore, nihil relinquentes comburuntur. Antipyrinum in aquae parte 1,2, in spiritus parte 1,3, in aetheris partibus 54 solvitur. Ita solutum coloris expers sit, neutrius reactionis.

Antipyrini in aqua (1 = 20) soluti centimetra cubica 5, additis nitritis kalici milligrammatis 100 et acidi sulfurici diluti guttis 5, initio virescunt, post horae partem sextam ita turbantur ut perlucida non sint. Antipyrinum in aqua (1 = 200) solutum, addito aquae bromatae pari volumine, praecipitatum abundans deponit. Quorum solutorum centimetri cubici dimidia pars (0,5), aqua diluta ad centimetra cubica 5, addita chloreti ferrici gutta 1, coloris rubri, additis insuper acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 2, clare e flavo rubri fit.

Antipyrinum in aqua (1 = 20) solutum, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet.

Doses maximae singulae grammatum 1.

Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 3.

Aqua.

Aqua destillata.

H_2O.

Liquor clarus, coloris et odoris expers, neutrius reactionis.

Aquae centimetra cubica 100, addito acidi acetici centimetro cubico 1, per gaz acidi hydrosulfurici, ne ammoniae quidem centimetris cubicis 5 deinde additis, speciem mutent intra horae partem quartam.

Aquae centimetra cubica 100 ne addito ferrocyaneto kalico neve nitrate argentico neve nitrate barytico neve liquoris Nessleri centimetro cubico 1 speciem mutent.

Aquae centimetra cubica 100, acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 et permanganatis kalici centinormalis centimetri cubici dimidia parte (0,5) mixta, per horae partem vicesimam concocta, ne decolorentur.

Quae de Aquae centimetris cubicis 100 evaporatis supererunt, ponderari nequeant.

Si iniectiones subcutaneae parandae erunt, Aqua ante coquatur per horae partem non minus quam sextam.

+ Aqua communis.

Liquor clarus, coloris et odoris expers; ne calefactus quidem oleat.

Aquae communis centimetra cubica 150, solutionis hydratis natrici centimetro cubico 1 et carbonatis natrici centimetro cubico 1 mixta, ubi subsederint, liquoris clari supra positi, defusi centimetra cubica 100, addito liquoris Nessleri centimetro cubico 1, speciem ne mutent.

Aquae communis centimetra cubica 100, additis acidi sulfurici diluti centimetro cubico 1 et iodeti kalici cum amylo centimetris cubicis 2, per horae partem duodecimam a luce remota, caerulea ne fiant.

Aquae communis centimetra cubica 100, addito acidi acetici centimetro cubico 1, per acidum hydrosulfuricum speciem ne mutent intra horae partem quartam neve magis per ferrocyaneti kalici centimetrum cubicum 1.

Aquae communis centimetra cubica 100, acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 et permanganatis kalici centinormalis centimetris cubicis 4 mixta, per horae partem vicesimam concocta, ne decolorentur.

Aquae communis centimetra cubica 100 evaporata massae solidae ne plus quam milligrammata 50 relinquant.

Aquae aromaticae.

Aquae aromaticae, nisi aliter praescriptum erit, ita parentur: elementorum quantitas indicata per aquae quantitatem idoneam per horas 12 maceretur; tum partes 1000 destillentur.

Destillata in lagenis charta bibula tectis, frequenter quassata, calore non adhibito, maneant per horas 24.

Aquae aromaticae fortiter redoleant sapiantque partes volatiles elementorum, e quibus paratae sunt. Coloris sint expertes neve partes mucilaginosas contineant.

Aquarum aromaticarum centimetra cubica 100, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutent.

Aquae aromaticae a luce remotae et, nisi aliter praescriptum erit, loco frigido serventur.

Aqua Cinnamomi.

Paranda e

Corticis Cinnamomi in pulverem (A_3) redacti partibus centum 100

Liquor initio turbidus, deinde clarus.

+ Aqua Florum Aurantii.

Aqua Naphae.

Merx e Floribus Aurantii recentibus parata.

Liquor fere clarus, saporis amariusculi.

Aquae Florum Aurantii centimetra cubica 5 acidi nitrici centimetro cubico 1 mixta, leniter calefacta, coloris rosei sint.

Aqua Foeniculi.

Paranda e

Fructuum Foeniculi in pulverem ($A_{1,5}$) redactorum partibus quadraginta 40

Liquor turbidus.

Aqua Foeniculi crystalla deponens, ut anetholum denuo solvatur, leniter calefiat, deinde fortiter quassetur.

Aqua Foeniculi, si in Aqua ophthalmica praescripta erit, filtretur.

Aqua Foeniculi loco non frigidiore servetur.

Aqua Laurocerasi. F. I.

Adde

Foliorum Laurocerasi recentium partibus mille 1000

Aquae quantum opus erit

aliquamdiu leniter calface, tum destilla

partes mille. 1000

Ubi oleum secretum quassando solutum erit, quantum acidi hydrocyanici in destillatis sit statue; tum tanto aquae volumine dilue, ut partes mille contineant acidi hydrocyanici partem unam.

Acidi hydrocyanici quantum Aqua Laurocerasi contineat ita statuitur: Adde Aquae Laurocerasi centimetris cubicis 10 solutionis hydratis natrici guttas 6 et chloreti natrici

(1 = 10) guttas 2, quo facto per nitratem argenticum centinormalem titra, dum turbatio inde facta quassando iam non evanescat. Nitratis argentici centimetra cubica singula acidi hydrocyanici milligrammatis partes centesimas quinquagenas quaternas (0,54) indicant.

Aqua Laurocerasi sit clara.

Aquae Laurocerasi centimetris cubicis 5 solutionis hydratis natrici guttis 3 mixtis, odor benzaldehydi manifestus sit.

Aquae Laurocerasi centimetra cubica 10 nitratis argentici centinormalis centimetris cubicis 6,2 et acidi nitrici guttis 3 mixta, filtrata addito nitrate argentico ne turbentur.

Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 8.

Aqua Menthae piperitae.

Paranda e

Foliorum Menthae piperitae concisorum partibus centum 100

Liquor paulum turbidus.

+ Aqua Picis.

Misce

Picis liquidae partes quinquaginta 50

Pumicis eluti, deinde siccati et in pulverem ($A_{1,5}$) redacti partibus centum quinquaginta. 150

Quae mixta ad usum servari licet.

Conquassa per horae partem sextam horum mixtorum partes ducentas 200

cum

Aquae partibus mille 1000

Tum filtra.

Liquor clarus, flavus vel fuscoflavus, ex tempore parandus.

+ Aqua Plumbi Goulardi.

Aqua Goulardi.

Misce

Solutionis Acetatis plumbici basici partes duas . 2

Spiritus diluti partibus octo 8

et

Aquae partibus nonaginta. 90

Liquor paulum turbidus.

+ Aqua Rosarum.

Conquassa

Olei Rosarum partem unam 1

cum

Aquae partium milibus quinque. 5000

Tum filtra.

Liquor paulum turbidus.

+ Argentum foliatum.

Argenti foliola tenuissima.

Argentum foliatum sit eo nitore, quo argentum purum.

Argentum foliatum in acido nitrico calido solvitur in liquorem coloris expertem, clarum. Ex illo acidum hydrochloricum praecipitatum album deponit, quod, addita

ammoniae quantitate excedenti, solvitur, quo facto liquor coloris expers sit.

Argenti ex Argento foliato soluto in acido nitrico, aquae volumine duplici diluto, per acidum hydrochloricum praecipitati filtrata, per ammoniam reactionis alcalinae facta, addito sulfohydrate ammonico, speciem ne mutent.

+ Arsenas natricus. F. I.

Sodii Arsenas.

$Na_2HAsO_4.7H_2O$.

Crystalla coloris expertia, perlucida, aere non fatiscentia, prismatica. Arsenas natricus in aquae partibus 4 et in spiritus partibus 55 solvitur.

Arsenas natricus flammam non lucentem colore valde flavo inficit. In aqua (1=10) solutus chartam exploratoriam rubram caeruleam reddit, addito nitrate argentico, praecipitatum fuscorubrum deponit, quod in acido nitrico et in ammonia facile solvitur.

In aqua (1=10) solutus, acidi hydrochlorici volumine dimidio, deinde aquae hydrosulfuratae pari volumine mixtus, non statim turbatur; calefactus praecipitatum flavum deponit.

Arsenatis natrici milligrammatum 100 in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 10 solutorum et, calore adhibito, per acidum hydrosulfuricum arsenico liberatorum filtrata, per ammoniam reactionis alcalinae reddita, addito chloreto calcico ne turbentur (*phosphas*).

Arsenate natrico caloris gradu 150° siccato, salis anhydrici partes centesimae 59,5 ad 59,7 supersint.

Arsenatis natrici milligrammata 500 cum in aquae centimetris cubicis 20 soluta, deinceps ammoniae centimetra cubica 5, mixturae magnesiae centimetra cubica 15, spiritus centimetra cubica 20 addita, praecipitatum depositum post

horas 24 in filtrum noti ponderis, ante siccatum, collectum et ammoniae dilutae (1 = 4) quantitatibus parvis elutum erit, pondus praecipitati, caloris gradu 105° siccati, sit milligrammatum 302 ad 304.

Doses maximae singulae milligrammatum 5.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 10.

Asa foetida.

Gummiresina quam praebent quaedam species Asiaticae generis Ferulae, verisimiliter Ferula foetida, REGEL, in Act. Hort. Petrop. V. (1877) 592 et Ferula Assa-Foetida, LINN. Sp. Pl. 248.

Sucus lacteus e radicibus incisis profluens, aere induratus.

Grana separata aut conglutinata, flava aut fusca; nonnunquam superficiem violaceam exhibent. Recens fractura albida est et subnitida; paulatim rubescit, deinde fusca fit. Superficies fracturae alba, ammonia liquefacta, flavescit, acido nitrico liquefacta, virescit.

Odor proprius, penetrans, permanens, alliaceus; sapor acer.

Asae foetidae pulveris grammata 2,5 si cum spiritus centimetris cubicis 25 concocta erunt, pars, quae solvi non potest, siccata caloris gradu 100°, grammatis ne plus quam 1 sit. Cum aqua contrita Asa foetida emulsum album praebet.

Asae foetidae massae aequaliter fuscae, neque minus massae exigui odoris reiciantur.

Ad usum Asa foetida, per calcem vivam siccata, contundatur et per cribrum quisquiliis purgetur, quo facto in pulverem (B_{10}) redigatur. Qui pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 10 relinquat.

Per calcem vivam servanda.

Bacilla.

Bacilla, nisi aliter praescriptum erit, parentur medicamentum, oleo cacao mixtum, in formam et dimensionem postulatam redigendo.

Bacilla gelatinosa.

Bacilla gelatinosa, nisi aliter praescriptum erit, parentur medicamentum, additis una liquefactis

Gelatinae partibus duabus 2
Aquae partibus quattuor 4
Glycerini partibus quinque 5

in formas idoneas effundendo.

Balsamum Copaivae.

Balsamum quod praebent variae species generis Copaiferae, e stirpibus vulneratis profluens.

Liquor clarus, oleaceus, paulatim spissius liquescens, flavus aut flavofuscus, aut non aut leviter fluorescens. Odor proprie aromaticus; sapor constanter acer et amarus. Pondus specificum 0,94 ad 0,99.

In balneo aquae calefactum Balsamum Copaivae terebinthinam ne redoleat; oleo volatili omni evaporato, resinam, refrigeratam, claram et fragilem relinquat.

Balsamum Copaivae, addito aetheris petrolei duplici volumine, liquorem praebeat clarum aut modo leviter turbidum (*balsamum gurjun*), neque minus si spiritus additus erit. Balsami Copaivae volumina 3, ammoniae volumine 1 mixta, ne valde turbentur neve lactescant.

Index acidimetricus, eodem modo statutus, quo Oleis pinguibus praescriptum est, ne sit minor quam 28 neve maior quam 84; index saponificationis ab indice acidimetrico ne plus quam 14 differat.

Balsamum Copaivae Surinamense tenue liquidum, quod illic quoque „hoepelolie" dicitur, in India Occidentali Nederlandica in pharmacopolio adhiberi licet.

Balsamum peruvianum.

Balsamum, collectum ex arbore cui nomen est Myroxylon Pereirae, KLOTZSCH, in Bonplandia, V. (1857) 274, stirpem uno vel pluribus locis deglubendo et postea arborem iis locis in vicem leviter torrendo et altius incidendo.

Liquor perfuscus, cuius strata tenuia perlucida sunt, tactu unguinosus, spissus; neque adhaeret neque in fila distrahi potest; aere non siccescit. Odor propie aromaticus, vanillaceus; sapor peracer, qui deinde amarus fit. Pondus specificum 1,140 ad 1,145.

Balsamum peruvianum in balneo aquae calefactum terebinthinam ne redoleat neve balsamum copaivae neve styracem, neve ponderis plus quam partes centesimas 2,5 amittat.

In Balsami peruviani milligrammata fere 500 agitata si acidi sulfurici volumen duplex instillatur, exsistit puls obscure rubra, quae, refrigerata et aqua superfusa, superficiem violaceam exhibet quaeque, aqua eluta, aere mox durescit et facile frangitur.

Balsamum peruvianum, addito spiritu pro qualibet portione, liquorem reactionis acidae, leviter turbidum praebet.

Balsami peruviani grammata 2 ad 3, accurate pensata, si, solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 10 et

aetheris centimetris cubicis 20 mixta, per horam unam frequenter et fortiter conquassata et, liquore aethereo secreto, cum aetheris centimetris cubicis 10 iterum excussa erunt, ea, quae e liquoribus aethereis commixtis evaporatis supererunt, in balneo aquae calefacta dum pondus constans sit, partium centesimarum sint non minus quam 55 neque plus quam 80 ponderis Balsami peruviani. Quod residuum liquor est aromaticus, oleaceus, aqua gravior, qui ne ebulliens quidem in solutione hydratis natrici solvitur; cuius gutta 1 si cum permanganatis kalici (1 = 10) centimetris cubicis 5 calefit, exsistit benzaldehydum.

+ Balsamum tolutanum.

Balsamum e stirpe vulnerata arboris cui nomen est Myroxylon toluiferum, H. B. et K. Nov. Gen. et Sp. VI. 375 profluens, aere induratum.

Massa fusca, crystallina, iam modico calore mollescens. Siccata in pulverem griseoflavidum, odoris benzoici, saporis leviter aromatici conteri potest. Balsamum tolutanum, parvis quisquiliis exceptis, totum solvitur in spiritu et in chloroformo; in sulfido carbonico ne calefacti quidem plus quam quarta pars solvatur.

+ Balsamum Vitae Hoffmanni.

Mixtura oleoso-balsamica.

Misce

Olei Cinnamomi	5
Olei Citri	5
Olei Lavandulae partes quinas	5
Olei Caryophyllorum	8

Olei Macidis partes octonas 8
Balsami peruviani partes novem 9
Spiritus partibus nongentis sexaginta . . . 960

Mixta post dies 3 filtra, cura habita ut quam minimum evaporetur.

Liquor clarus, flavofuscus, odoris admodum aromatici, qui, aqua dilutus, liquorem lacteum praebet.

Pondus specificum 0,839 ad 0,845.

+ Benzoas natricus.

$C_6H_5.COONa$.

Pulvis albus, granosus, odoris expers vel leviter acidum benzoicum redolens, qui in aquae parte 1,7, in spiritus partibus 23 solvitur; calore liquescit, in carbonem transit, denique cinerem carbone mixtum relinquit, qui chartam exploratoriam rubram, madefactam caeruleam reddit, flammam non lucentem colore valde flavo inficit, additis acidis effervescit.

In aqua (1 = 10) solutus, addito chloreto ferrico, praecipitatum flavofuscum deponit; addito acido hydrochlorico, crystalla deponit, quae in aethere facile solvuntur.

In aqua (1 = 20) solutus neutrius reactionis sit aut tam leviter alcalinae, ut solutorum centimetra cubica 10, addita acidi decinormalis parte decima (0,1), acide reagant. Addito sulfohydrate ammonico, speciem ne mutet.

Quorum solutorum centimetra cubica 2, acidi nitrici centimetro cubico 1 et spiritus centimetris cubicis 4 mixta, addito nitrate argentico vel nitrate barytico, per horae partem non minus quam duodecimam clara sint.

+ Benzoas natricus cum Coffeino.

Coffeini et Benzoatis natrici partes totidem mixtae.

Solve leni calore

Benzoatis natrici 1

et

Coffeini partes singulas 1

in

Aquae partibus tribus 3

Si opus erit, filtra et filtrata in balneo aquae evapora dum supersint

partes duae 2

quas contere.

Pulvis albus, salse amarus, odoris expers vel acidum benzoicum leviter redolens, qui, prudenter calefactus, sublimatum album, crystallinum praebet. Additis aquae partibus 2 vel spiritus 26, praebet liquorem coloris expertem, clarum, neutrius reactionis.

Sal paratus pulvere chloroformo plane eluendo isdem postulatis et puritatis legibus satisfaciat, quibus Benzoas natricus.

Ubi pulveris milligrammata 200 una cum chloroformi centimetris cubicis 20 per horae partem duodecimam caloris gradu 50° calefacta, cum refrixerint, chloroformo suppleta ad volumen prius, deinde solutorum centimetra cubica 10 evaporata erunt, ea, quae supererunt, caloris gradu 100° siccata, pondere sint non minus quam milligrammatum 45 atque isdem postulatis et puritatis legibus satisfaciant, quibus Coffeinum.

+ Benzoe.

Sucus aere induratus, profluens e stirpe vulnerata arboris cui nomen est Styrax Benzoin, DRYAND. in Phil. Trans. LXXVII. (1787) II. 308. t. 12, quae arbor in Sumatra

insula culta duo genera resinae praebet, quorum alterum praecipue acidum benzoicum, alterum acidum cinnamylicum continet.

Massa e cano vel e rubro subfusca, saepe foraminosa, facile friabilis, per quam grana vel massulae albae abunde dispersa sunt. Odor Benzoes, praesertim leniter calefactae, proprius est, vanillaceus.

Benzoe cum spiritus quantitate vicies tanta concocta, exceptis quisquiliis, quas non plus quam Benzoes vicesimam partem esse licet, tota solvatur. Quae soluta, aqua mixta, emulsum praebent album, reactionis acidae.

Benzoe combusta cineris ne plus quam partes centesimas 2 relinquat.

Praeter Benzoen Sumatrensem supra descriptam Benzoen Siamensem quoque in pharmacopolio adhiberi licet, quae isdem puritatis legibus pareat.

Benzoe, e qua acidum benzoicum paretur, acidum cinnamylicum ne contineat. Cuius Benzoes milligrammata 500 contrita, ubi cum permanganatis kalici (1 = 10) centimetris cubicis 5 caloris gradu 40^0 calefiunt, ne exsistat benzaldehydum.

+ Benzolum.

C_6H_6.

Liquor coloris expers, clarus, odoris proprii, plane volatilis, facile inflammabilis, flamma multum fuliginis praebente ardens, qui refrigeratus calore glaciei liquescentis solidescit. Benzolum aethere, chloroformo, oleis pinguibus pro quavis portione, spiritus parte 1 misceri potest, in aqua non solvitur. Pondus specificum 0,887. Caloris gradu $80,4^0$ ebullit.

Benzoli guttis 5 una cum mixtis acidi sulfurici centimetris cubicis 2 et acidi nitrici guttis 10 calefactis, deinde aquae centimetris cubicis 5 admixtis, liquor lactescit et odor nitrobenzoli percipi potest.

Benzoli centimetris cubicis 2 cum acidi sulfurici centimetris cubicis 5 conquassatis, neuter liquor coloretur.

Quae de Benzoli centimetris cubicis 10 in balneo aquae evaporatis supererunt, ponderari nequeant; quae postrema evaporantur, odorem alienum ne spargant.

Biboras natricus.

$Na_2B_4O_7.10H_2O.$

Prismata coloris expertia, dura, monoclinia vel frusta crystallina, paulatim aere fatiscentia; calore liquefiunt et, aquam exsudantia, valde turgescunt, diutius calefacta, in materiam perlucidam, vitream transeunt. Biboras natricus in aquae partibus 23,7 solvitur, in spiritu non solvitur.

Biboras natricus flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit. In aqua (1 = 25) solutus reactionis alcalinae est; per acidum hydrochloricum leviter acidus factus chartam curcumae, cum arescit, colore rubrofusco inficit, qui color, charta ammonia madefacta, viridiniger fit.

Biboras natricus in aqua (1 = 25) solutus clarus sit, addito acido hydrochlorico ne effervescat, neve addito acido hydrosulfurico neve carbonate natrico neve oxalate ammonico speciem mutet.

Biboras natricus in aqua (1 = 100) solutus, per acidum nitricum acidus factus, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, per horae partem non minus quam duodecimam clarus sit.

Biboratis natrici grammata 2 in aquae centimetris cubicis 50 soluta, per dimethylamidoazobenzoli guttam 1 colorata, ut rubescant, acidi normalis centimetra cubica ne minus quam 10,4 requirant.

Bicarbonas natricus.

$NaHCO_3$.

Crustae albae, crystallinae vel pulvis albus, constans crystallis parvis, monoclinibus, qui calefactus aquam exsudat et dioxydum carbonicum emittit, additis aquae partibus 11,1, liquorem clarum praebet, in spiritu non solvitur.

Bicarbonas natricus flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit; addito acido hydrochlorico, vehementer effervescit.

Bicarbonatis natrici milligrammata 500, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 15, liquorem clarum praebeant.

Bicarbonas natricus in aqua (1 = 20) solutus, per acidum aceticum acidus factus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet.

Bicarbonas natricus in aqua (1 = 50) solutus, per acidum nitricum acidus factus, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, per horae partem non minus quam duodecimam clarus sit; addito chloreto ferrico, ne rubescat (*rhodaneta*).

Bicarbonas natricus calefactus vapores reactionis alcalinae ne emittat.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in solutum Bicarbonatis natrici gramma 1 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico made-

factam, neve flavam neve nigram reddat intra horae partem quartam (*arsenicalia et sulfureta*).

Bicarbonatis natrici gramma 1, caloris gradu minus quam 15^0 prudenter convertendo in aquae centimetris cubicis 20 solutum, additis phenolphthaleini guttis 2 et acidi normalis centimetri cubici parte quinta (0,2), ne rubescat.

+ Bisulfas Chinini.

$C_{20}H_{24}N_2O_2.H_2SO_4.7H_2O.$

Prismata coloris expertia, nitida, rhombea, aere fatiscentia, saporis amari; calefacta tota comburuntur. Bisulfas Chinini in aquae partibus 11, in spiritus partibus 32 solvitur.

Bisulfatis Chinini gramma 1 in aquae (1 = 20) solutum colore caeruleo fluorescit, chartam exploratoriam caeruleam rubram reddit, colorem chartae exploratoriae, congo quae dicitur, non mutat; gutta 1, additis aquae centimetris cubicis 5, aquae chloratae centimetro cubico 1, deinde ammoniae guttis 5, liquorem clarum, viridem praebet; addito nitrate barytico, soluta praecipitatum album deponunt, quod in acido nitrico diluto solvi non potest.

Bisulfatis Chinini milligrammata 100 in acidi sulfurici centimetris cubicis 2 soluta tantum subflava, in acidi nitrici centimetris 2 soluta coloris fere expertia sint.

Bisulfatis Chinini grammatis 2 in aquae calidae centimetris cubicis 20 solutis, deinde ammoniae tanta quantitate addita ut charta exploratoria non decoloretur, tum mixtis, frequenter conquassatis, caloris gradu 60^0 ad 65um per horae partem dimidiam calefactis, deinde refrigeratis atque per horas 2, frequenter conquassatis, caloris gradu 15^0 retentis, denique per lanam vitream filtratis, liquoris centimetra cubica 5, ammoniae caloris gradus 15^i centimetris cubicis 4,5 mixta, liquorem praebeant clarum.

Bisulfas Chinini, postquam caloris gradu 50° effectum erit ut plane fatiscat, caloris gradu 100° siccatus, ponderis ne amittat plus quam partes centesimas 23.

Bisulfas Chinini chinini partes centesimas 59 continet.

A luce remotus servetur.

Bolus alba.

Argilla.

Pulvis albus, odoris expers, saporis perexigui, qui maximam partem silicate aluminico aquam continente constat. Bolus alba in aqua et in acidis dilutis non solvitur.

Bolus alba, additis acidis, ne effervescat; aqua levigata arenam ne relinquat.

Boli albae gramma 1, cum aquae centimetris cubicis 10 et permanganatis kalici (1 = 1000) gutta 1 per horae partem tricesimam concoctum, colorem rubrum ne amittat.

+ Brometum aethylicum.

C_2H_5Br.

Liquor coloris expers, clarus, odoris aetherei, plane volatilis, qui non facile exardescit quique spiritu et aethere pro quavis portione misceri potest, in aqua parum solvitur. Pondus specificum 1,453 ad 1,457. Caloris gradu 38° ad 40um ebullit.

Brometi aethylici centimetro cubico 1, una cum solutionis hydratis kalici spirituosae (1 = 10) centimetris cubicis 5

calefacto dum mixta ebullire coeperint, refrigescente, crystalla secernuntur, quae in aqua solvuntur; quibus solutis, per acidum nitricum dilutum acidis factis, cum chloroformi centimetris cubicis 3 et aquae chloratae centimetris cubicis 2 conquassatis, stratum chloroformi colorem flavorubrum trahit.

Brometo aethylico cum acidi sulfurici pari volumine conquassato, uterque liquor per non minus quam horam 1 coloris expers sit.

Brometi aethylici cum aquae pari volumine per horae partem trecentesimam sexagesimam conquassati volumen minui ne percipiatur; aqua, si statim a Brometo aethylico separata erit, chartam exploratoriam caeruleam ne reddat rubram, neve iodetum kalicum cum amylo caeruleum.

Brometum aethylicum in spiritu (1 = 20) solutum, addito nitrate argentico, per horae partem non minus quam sexagesimam clarum sit.

Brometi aethylici centimetra cubica 10 in balneo aquae evaporata nihil relinquant.

A luce remotum servetur.

Brometum ammonicum.

NH_4Br.

Pulvis albus, crystallinus, cubis parvis constans, odoris expers, hygroscopicus, calore evanescens, nec tamen antea liquescens. Brometum ammonicum in aquae partibus 1,4, in spiritus partibus 12,4 solvitur.

Per solutionem hydratis natrici e Brometo ammonico gaz ammoniae emittitur. Brometi ammonici centimetris cubicis 5 in aqua (1 = 20) solutis, cum chloroformi centi-

metris cubicis 3 et aquae chloratae centimetris cubicis 2 conquassatis, chloroformi stratum colorem trahit flavorubrum.

Brometi ammonici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 10 solutum clarum, coloris expers, neutrius reactionis aut tam leviter acidae sit, ut, addita alcali decinormalis gutta 1, acide reagere desinat.

Brometum ammonicum in aqua (1 = 20) solutum addito nitrate barytico ne turbetur, neve acido sulfurico diluto coloretur, nec statim (*bromas*), nec solutione amyli et nitritis kalici parva quantitate ante admixtis (*iodetum*).

Brometi ammonici, siccati caloris gradu 100°, milligrammata 300 in aquae centimetris cubicis 10 soluta, chromate kalico tincta, ut rubescant, nitratis argentici decinormalis centimetra cubica ne minus quam 30,6 neve plus quam 30,9 requirant.

Brometum kalicum.

KBr.

Cubi albi, nitidi. Brometum kalicum in aquae parte 1,6, in spiritus partibus 106 solvitur.

Brometi kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 15 solutum, addito acidi tartarici grammate 1 in aquae centimetris cubicis 5 soluto, praecipitatum album, crystallinum deponit. Brometi kalici in aqua (1 = 20) soluti centimetris cubicis 5 cum chloroformi centimetris cubicis 3 et aquae chloratae centimetris cubicis 2 conquassatis, chloroformi stratum colorem trahit flavorubrum.

Brometum kalicum chartam exploratoriam rubram, madefactam ne reddat caeruleam intra horae partem sexagesimam.

Brometum kalicum in aqua (1 = 20) solutum nitrate

barytico ne turbetur, neve acido sulfurico diluto coloretur nec statim (*bromas*) nec solutione amyli et nitritis kalici parva quantitate ante admixtis (*iodetum*).

Brometi kalici milligrammata 300 in aquae centimetris cubicis 10 soluta, chromate kalico tincta, ut rubescant, nitratis argentici decinormalis centimetra cubica ne minus quam 25,0 neve plus quam 25,4 requirant.

Brometum natricum.

NaBr.

Pulvis albus, granosus, cubis parvis constans, hygroscopicus, liquabilis. Brometum natricum in aquae parte 1,15, in spiritus partibus 11,7 solvitur.

Brometum natricum flammam non lucentem colore valde flavo statim inficit. Brometi natrici centimetris cubicis 5 in aqua (1=20) solutis, cum chloroformi centimetris cubicis 3 et aquae chloratae centimetris cubicis 2 conquassatis, chloroformi stratum colorem trahit flavorubrum.

Brometi natrici gramma 1, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 3, liquorem clarum praebeat.

Brometum natricum chartam exploratoriam rubram, madefactam ne reddat caeruleam intra horae partem sexagesimam.

Brometum natricum in aqua (1 = 20) solutum addito nitrate barytico ne turbetur neve acido sulfurico diluto coloretur nec statim (*bromas*) nec solutione amyli et nitritis kalici parva quantitate ante admixtis (*iodetum*).

Brometi natrici, caloris gradu 100° siccati, milligrammata

300 in aquae centimetris cubicis 10 soluta, chromate kalico tincta, ut rubescant, nitratis argentici decinormalis centimetra cubica ne minus quam 29,0 neve plus quam 29,3 requirant.

Brometum natricum, caloris gradu 100° siccatum, ponderis ne plus quam partes centesimas 5 amittat.

Bromoformum.

Mixtae $CHBr_3$ partes 99 et Alcoholis absoluti pars 1.

Liquor coloris expers, clarus, fere odoris chloroformi, prorsus volatilis, qui non facile exardescit. Bromoformum pro quavis portione spiritu, aethere, oleis et pinguibus et volatilibus miscetur, in aqua parum solvitur. Pondus specificum 2,829 ad 2,831.

Bromoformum refrigescens magnam partem in crystalla transit; caloris gradu plus quam 6,5° liquescit.

Bromoformi guttae 3 una cum solutionis hydratis kalici spirituosae (1=10) centimetris cubicis 3 calefactae dum mixta ebulliant, refrigescentes crystalla secernunt, quae in aqua solvuntur; quibus solutis, per acidum nitricum dilutum acidis factis, cum chloroformi centimetris cubicis 3 et aquae chloratae centimetris cubicis 2 conquassatis, stratum chloroformi colorem trahit flavorubrum.

Bromoformo cum acidi sulfurici pari volumine conquassato, neuter liquor intra horae partem sextam colorem trahat nisi clare flavum.

Bromoformi centimetris cubicis 10 cum aquae pari volumine conquassatis, aqua filtrata, addito phenolphthaleino, ut rubescat, solutionis hydratis kalici decinormalis ne plus quam centimetri cubici decimas tres (0,3) requirat.

Bromoformum in spiritu (1 = 20) solutum, addito nitrate

argentico, per horae partem non minus quam sexagesimam clarum sit.

Bromoformo cum solutionis hydratis natrici calidae pari volumine conquassato, neuter liquor coloretur.

Bromoformum cum solutionis iodeti kalici cum amylo pari volumine conquasatum caeruleum ne fiat.

Bromoformi centimetra cubica 5 in balneo aquae evaporata nihil relinquant.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 1,5.

+ Bulbus Scillae.

Laminae e tunicis mediis bulbi quem praebet Urginea Scilla, STEINH. in Ann. Sc. Nat. Sér. II. 1. (1834) 321, paratae bulbo, tunicis extremis membranaceis remotis, transverse in orbes tenues dissecando; bulbi partes intimae reiciendae sunt.

Centimetra ad 5 longae, crassae millimetra 5, quadratae vel planae, recurvae vel plus minusve tortae, saepe lunatae; in laminis persectis vasorum fasciculi sparsi. Flavoalbae, semiperlucidae. Cum siccae sunt, corneae, fragiles, valde hygroscopicae; aeri expositae mox flexibiles et lentae.

Odor nullus; sapor nauseoamarus.

Bulbus Scillae ne diutius quam unum annum servetur

Per calcem vivam servandus.

Camphora.

$C_{10}H_{16}O$.

Stearoptenon destillatione per aquam paratum e ligno comminuto quod praebet Cinnamomum Camphora, T. Nees & Eberm. Handb. Med.-Pharm. Bot. II. 430, sublimatione raffinatum.

Massa coloris expers, perlucida, fragilis, crystallina, quae iam nullo calore adhibito facile volatilis fit, unde parietes lagenarum, in quibus servatur, crystallis nitidis obducit. In balneo aquae calefacta brevi tota evaporatur. Odor proprius, aromaticus, penetrans; sapor urens, amaroaromaticus, postremo refrigerans.

Camphora facile solvitur in aetheris partibus 0,6, in spiritus parte 1,25, in chloroformi partibus 0,35, facile in oleis et pinguibus et volatilibus, at modo in aquae partibus fere 1200.

Pondus specificum 0,98 ad 0,99. Camphora caloris gradu 175^0 ad 177um liquescit, 206^0 ad 207um ebullit. Solutio Camphorae spirituosa (1 = 10), in tuba centimetra 20 longa inclusa, radium lucis polarisatae detorquet gradus + 6,5 ad + 7.

Camphora aethere vel alcohole madefacta in pulverem album redigi potest. Aqua leni calore cum hoc pulvere conquassata (1 = 10) colorem chartae exploratoriae ne mutet neve addito nitrate argentico turbetur.

Camphoram Baros quam praebet Dryobalanops aromatica Gaertn. loco Camphorae adhiberi non licet.

+ Camphora monobromata.

$C_{10}H_{15}BrO$.

Crystalla coloris expertia, perlucida, nitida, acicularia, odoris et saporis camphoracei, quae caloris gradu 76^0

liquescunt in liquorem caloris gradu 274° ebullientem, aucto calore, nihil relinquentia comburuntur. Camphora monobromata in aethere et in spiritus partibus fere 15 facile solvitur, in aqua non solvitur.

Camphorae monobromatae milligrammata 250 in spiritus centimetris cubicis 10 soluta chartam exploratoriam caeruleam, aqua madefactam rubram ne reddant; quorum solutorum, una cum acidi acetici centimetris cubicis 3 et zinci frusto calefactorum, deinde aquae volumine duplici dilutorum, filtrata, acido nitrico diluto mixta, addito nitrate argentico, praecipitatum deponunt flavoalbum; quorum filtratorum, in filtro deinceps spiritu et aqua elutorum, parte in chloroformi centimetra cubica 3 infusa, stillatim addita aqua chlorata, chloroformum, liquore quassato, colorem flavorubrum trahit; praecipitati alterius partis, cum carbonatis ammonici centimetris cubicis 3 per horae partem duodecimam conquassatae, filtrata, addito brometo kalico (1=10), clara sint (*chlorium*).

Camphorae monobromatae milligrammata 100 in spiritus centimetris cubicis 10 soluta, cum nitratis argentici centimetri cubici dimidia parte concocta, clara sint per horae partem non minus quam centesimam vicesimam.

Camphorae monobromatae milligrammata 100 in acidi sulfurici centimetro cubico 1 soluta coloris expertia sint.

A luce remota servetur.

+ Cantharides.

Corpora siccata insectorum coleopterorum, vesicantium, quibus nomen est Lytta vesicatoria Fabr., quaeque in

Europa Centrali et Meridionali dispersa vivunt et ibi in examina coniuncta in silvis, imprimis in Oleaceis inveniri solent.

Colore sunt nitide viridi, qui caeruleum refulget; centimetrum 1,5 ad 2,5 longa sunt, lata millimetra 5 ad 8. Odor gravis, proprius. Caput post oculos prominet, rugam directam, altam exhibet, subito in collum extenuatur. Prothorax angulosus pone extenuatur, sulcum transversum exhibet. Caput et prothorax densis punctis tenuibus obsita sunt. Antennae obscurae sunt, satis longae, filiformes, articulis 11, quorum extremus conicus est. Elytra rugosa sunt, nonnullis striis directis, eminentibus, aequis, tenuibus. Tarsi obscuri, unguiculis bipartitis usque ad basin, quorum partes superiores inferioribus crassiores sunt.

Cantharides integrae sint, non corrosae.

Pulvis Cantharidum cantharidini contineat partis centesimae decimas 6 ad 8 (0,6 ad 0,8), id quod ita statuitur et temperatur: Pulveris (B_{30}) Cantharidum grammata 25 misce chloroformi centimetris cubicis 100 et agitans his instilla acidi hydrochlorici centimetra cubica 2. Mixta frequenter conquassans per horas 12 sepone; solutionem chloroformi filtrando collige, cura habita ut quam minimum evaporetur, volumen statue eius solutionis, cuius centimetra cubica 4 conveniunt cum pulveris grammate 1. Chloroformum destillando remove praeter centimetrum cubicum 1 ad 2; quae supererunt, statim conversa, aetheris petrolei centimetris cubicis 6 perfusa, per horas nonnullas, frequenter conquassans, sepone; liquore defuso iterum elue aetheris petrolei centimetris cubicis deinceps 5 et 4; denique aethere petrolei adhaerenti leni calore remoto, crystallina, quae supererunt, aquae centimetris cubicis 5 et carbonatis ammonici guttis 2 ablue. Per horam 1 caloris gradu 100^0 sicca, siccata refrigera in exsiccatore, deinde pondera.

Cantharidinum secretum crystallinum sit parumque colora-

tum; leniter calefactum in solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 10 fere totum solvatur.

Si pulvis cantharidini minus aut plus continebit quam partis centesimae decimas 6 (0,6) ad 8 (0,8), alius pulvis Cantharidum, plus aut minus cantharidini continens, admiscendus est, dum partis centesimae decimae 7 (0,7) insint.

Pulvis Cantharidum, caloris gradu 100° siccatus, ponderis ne plus quam partes centesimas 10 amittat; combustus cineris ne plus quam partes centesimas 9 relinquat.

Per calcem vivam servandae.

Doses maximae singulae milligrammatum **25**.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum **100**.

+ Capsulae Balsami Copaivae.

Capsulae ovatae, elasticae, quae, nisi alia quantitas praescripta erit, Balsami Copaivae milligrammata quingena (500) contineant.

Massa, qua capsulae constant, ita paratur:
Solve in balneo aquae calefaciens

Gelatinae partes triginta 30

in

Aquae partibus sexaginta 60

His adde

Glycerini partes decem 10

Cola per telam et massam calface dum clara facta sit.

+ Capsulae Olei Ricini.

Capsulae ovatae, elasticae, quae, nisi alia quantitas praescripta erit, Olei Ricini grammata terna (3) contineant.

Massa, qua capsulae constant, ita paratur:

Solve in balneo aquae calefaciens

Gelatinae partes viginti tres. 23

in

Aquae partibus triginta duabus 32

His adde

Glycerini partes quadraginta quinque . . . 45

Cola per telam et massam calface dum clara facta sit.

+ Carbo Ligni.

Pulvis ater, siccus, levis, odoris et saporis expers, e carbone ligni fervefacto paratus.

Carbo Ligni, in tubo calefactus, vapores empyreumaticos ne emittat, sine fumo, sine flamma comburatur. Combustus cineris ne plus quam partes centesimas 2 relinquat.

Aquae centimetrum cubicorum 25 cum Carbonis Ligni grammatis 5 concoctorum filtrata coloris expertia sint; quorum filtratorum centimetra cubica 10, additis acidi decinormalis et phenolphthaleini guttis singulis, liquorem praebeant coloris expertem, qui, addita alcali normalis gutta 1, rubescat.

+ Carbonas ammonicus.

Sal continens NH_4HCO_3 et $NH_4CO_2NH_2$.

Crustae vel frusta coloris expertia, perlucida, fibroso-crystallina, dura, quae aere fatiscentia hic illic pulvere albo obducuntur et gaz ammoniae fortiter redolent. Carbonas

ammonicus calore evanescit nec tamen antea liquescit; additis aquae partibus 5 liquorem clarum praebet.

Carbonas ammonicus in aqua solutus alcalinae reactionis est; additis acidis, dioxydum carbonicum emittit.

Carbonatis ammonici in aqua (1 = 20) soluti, per acidum sulfuricum dilutum acidi facti, centimetra cubica 10, permanganatis kalici (1 = 1000) gutta 1 mixta ne decolorentur intra horae partem quartam (*empyreumata*). Soluta, per acidum hydrochloricum acida facta, ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate barytico neve chloreto ferrico (*rhodaneta*) speciem mutent.

Carbonas ammonicus in aqua (1=50) solutus, per acidum nitricum acidus factus, addito nitrate argentico, coloris expers (*thiosulfas ammonicus*) et per horae partem non minus quam duodecimam clarus sit.

+ Carbonas bismuthicus basicus.

Pulvis albus vel flavidoalbus, odoris et saporis expers, qui calefactus, oxydum bismuthicum flavum relinquens, aquam et dioxydum carbonicum emittit. Carbonas bismuthicus basicus in aqua non solvitur.

Carbonatis bismuthici basici gramma 1 in acidi nitrici centimetris cubicis 5, dioxydum carbonicum emittens, solvatur in liquorem clarum, coloris expertem. Liquoris ita parati, aquae centimetris cubicis 25 diluti, centimetra cubica 5 ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico turbentur; eiusdem liquoris centimetrum cubicorum 15 ammoniae centimetris cubicis 6 mixtorum filtrata coloris expertia sint; quae de filtratis evaporatis, candefactis, supererunt, ponderari nequant.

Si aquae centimetrum cubicorum 5 cum Carbonatis bismuthici basici milligrammatis 500 conquassatorum filtrata solutis diphenylamini milligrammatis 5 in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 superimposita erunt, stratum confine caeruleum ne fiat.

Carbonatis bismuthici basici grammate 1 in acidi nitrici centimetris cubicis 5 soluto, additis aquae centimetris cubicis 50 et carbonatis natrici tanta quantitate ut liquor reactionis modo leviter acidae sit et praecipitatum constans exstiterit, tum additis acetatis natrici centimetris cubicis 25, cum deinde per horae partem quartam coctum erit, liquoris ita parati filtrata addito bichromate kalico ne turbentur (*plumbum*).

Carbonatis bismuthici basici grammatis 1 una cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 5 calefacti vapor chartam exploratoriam rubram caeruleam ne reddat.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Carbonatis bismuthici basici milligrammata 500 soluta in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Carbonas bismuthicus basicus candefactus oxydi bismuthici partes centesimas 85 ad 90 relinquat.

Carbonas calcicus.

$CaCO_3$ ratione chemica paratus.

Pulvis admodum albus, tenuis, microcrystallinus. Carbonas calcicus in aqua fere non solvitur; addito acido acetico diluto, dioxydum carbonicum emittens, liquorem clarum, coloris expertem praebet, in quo addito oxalate ammonico praecipitatum album deponitur.

Carbonas calcicus per acidum nitricum in aqua (1 = 50) solutus, addito ferrocyaneto kalico, caeruleus ne fiat, addita ammoniae quantitate excedenti speciem ne mutet; addita aquae calcis (*magnesium*) quantitate excedenti ne turbetur; addito nitrate barytico vel nitrate argentico, per horae partem non minus quam centesimam vicesimam clarus sit.

Aquae centimetrum cubicorum 25 cum carbonatis calcici grammate 1 per horae partem duodecimam conquassatorum filtrata chartam exploratoriam rubram ne reddant caeruleam neve evaporata quicquam relinquant.

+ Carbonas Guaiacoli.

$$(C_6H_4.OCH_3)_2CO_3.$$

Pulvis albus, crystallinus, saporis expers, odoris exigui, qui caloris gradu 87,5° ad 88um liquescit. Carbonas Guaiacoli in aqua non solvitur, at facile in spiritu calido.

Carbonate Guaiacoli cum solutione hydratis kalici spirituosa breve tempus concocto, mixtis aqua dilutis, per acidum hydrochloricum diligenter neutrius reactionis redditis, dioxydum carbonicum emittitur; liquor ita paratus, addito chloreto ferrico, colorem rubrofuscum trahit.

Aquae centimetrum cubicorum 5 cum Carbonatis Guaiacoli grammate 1 conquassatorum filtrata, addito chloreto ferrico, caerulea ne fiant neve fuscescant neve addito nitrate argentico turbentur.

Carbonas Guaiacoli, addita acidi sulfurici quantitate decemplici, liquorem praebeat coloris expertem.

De Carbonatis Guaiacoli milligrammatis 500 combustis quae supererunt, ponderari nequeant.

Carbonas kalicus.

K_2CO_3.

Pulvis albus, granosus, hygroscopicus. Carbonas kalicus in aquae partibus 0,92 solvitur, in spiritu fere non solvitur.

Carbonatis kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 15 solutum reactionis alcalinae est; addito acidi tartarici grammate 1 in aquae centimetris cubicis 5 soluto, dioxydum carbonicum emittens, praecipitatum album, crystallinum deponit.

Carbonatis kalici gramma 1 in acidi nitrici diluti centimetris cubicis 4 et aquae centimetris cubicis 16 solutum addito nitrate barytico ne turbetur; aquae quantitate quadrupla dilutum, addito nitrate argentico, per horae partem non minus quam duodecimam clarum sit.

Carbonatis kalici grammata 2, additis acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 20, liquorem coloris expertem, clarum praebeant. Gaz, quod in solvendo expellitur, odoris expers sit, chartam bibulam, acetate plumbico madefactam, ne coloret (*sulfureta*); solutorum pars, permanganatis kalici (1 = 1000) gutta 1 mixta, per horae partem non minus quam duodecimam rubra sit (*acidum formicicum*); solutorum altera pars cocta clara sit (*silicates*), ne per ammoniam quidem alcalina facta, addito acido hydrosulfurico, speciem mutet.

Carbonatis kalici milligrammata 500 in aquae centimetris cubicis 5 soluta, nitratis barytici centimetris cubicis 20 mixta, additis phenolphthaleini guttis 3, ne rubescant (*hydras kalicus*).

Carbonatis kalici gramma 1, cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 5 et parium partium pulverum zinci et ferri mixtarum grammate 1 concoctum, gaz ammoniae ne emittat (*nitrates*); quorum mixtorum filtratis sulfatis ferrosi milligrammatis 50 additis, liquor, iterum

coctus, per acidum hydrochloricum dilutum acidus factus, ne virescat neve caeruleus fiat (*cyaneta*).

Gaz oriens e zinci frusto reagente in solutum Carbonatis kalici gramma 1 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Carbonatis kalici grammata 2 ut neutrius reactionis sint, acidi normalis centimetra cubica non minus quam 27,5 requirant, quod convenit cum K_2CO_3 partibus centesimis non minus quam 95.

Per calcem vivam servandus.

+ Carbonas kalicus crudus.

Pulvis albus, granosus, hygroscopicus, K_2CO_3 partes centesimas non minus quam 90 continens. Carbonas kalicus crudus in aquae parte 1 ita solvitur ut liquor fere clarus sit.

Carbonatis kalici crudi gramma 1 in aquae centimetris cubicis 15 solutum alcalinae reactionis est; addito acidi tartarici grammate 1 in aquae centimetris cubicis 5 soluto, dioxydum carbonicum emittens, praecipitatum album, crystallinum deponit.

Carbonatis kalici crudi grammata 2 ut neutrius reactionis sint, acidi normalis centimetra cubica non minus quam 26,0 requirant.

+ Carbonas lithicus.

Li_2CO_3.

Pulvis albus, levis, qui calefactus liquescit, refrigescens in crystalla coalescit. Carbonas lithicus in aquae partibus 75 solvitur; ita solutus alcalinae reactionis est, ebulliens

turbatur neque refrigescens turbidulus esse desinit; additis acidis, dioxydum carbonicum emittit.

Carbonas lithicus flammam non lucentem colore coccineo inficit.

Carbonas lithicus per acidum aceticum in aqua (1=50) solutus clarus et coloris expers sit; speciem ne mutet, addito acido hydrosulfurico neve ammoniae quantitate excedenti, ne sulfohydrate ammonico et oxalate ammonico quidem additis. Aquae pari volumine mixtus, additis acido nitrico et nitrate barytico vel nitrate argentico, clarus sit per horae partem non minus quam sexagesimam.

Quae de Carbonatis lithici milligrammatis 200 solutis in acidi hydrochlorici centimetro cubico 1 evaporatis supererunt, in alcoholis absoluti centimetris cubicis 2 tota solvantur; quae soluta, aetheris pari volumine mixta, clara sint (*alcalina*).

Carbonatis lithici, caloris gradu 100^0 siccati, milligrammata 500 ut neutrius reactionis sint, acidi normalis centimetra cubica 13,4 ad 13,5 requirant, quod convenit cum Li_2CO_3 partibus centesimis 99 ad 100.

Carbonas magnesicus.

Magnesia alba.

$MgCO_3$, $Mg(OH)_2$ et H_2O quantitates varias continens.

Frusta alba, levissima, quae facile in pulverem rediguntur, vel pulvis albus, levissimus. Carbonas magnesicus in aqua parum solvitur, addito acido nitrico diluto, dioxydum carbonicum emittens, liquorem clarum, coloris expertem praebet, in quo, per ammoniam alcalino facto, addito phosphate natrico praecipitatum album, crystallinum deponitur.

Carbonas magnesicus per acidum aceticum in aqua (1 = 50) solutus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet; additis chloreto ammonico et ammonia ut alcalinus fiat, per sulfohydratem ammonicum ne statim, neve per oxalatem ammonicum intra horae partem duodecimam speciem mutet; additis acidi nitrici guttis nonnullis et nitrate barytico vel nitrate argentico, per horae partem non minus quam duodecimam clarus sit.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in solutum Carbonatis magnesici gramma 1 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Aquae centimetrum cubicorum 25 cum Carbonatis magnesici grammate 1 per horae partem tricesimam concoctorum filtratorum centimetra cubica 10, addita phenolphthaleini gutta 1, colorem rubrum trahant, addita acidi normalis gutta 1, colorem amittant; filtratorum centimetris cubicis 10 evaporatis massae solidae milligrammata ne plus quam 4 supersint.

Carbonas magnesicus candefactus oxydi magnesici partes centesimas 40 ad 43 relinquat.

Carbonas natricus.

$Na_2CO_3.10H_2O$.

Prismata coloris expertia, perlucida, monoclina; aere facile fatiscunt, quo facto perlucida esse desinunt; calore liquescentia aquam exsudant. Carbonas natricus in aquae parte 1,7 solvitur, in spiritu non solvitur.

Carbonas natricus flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit; addita aqua, liquorem praebet alcalinae reactionis, qui, additis acidis, dioxydum carbonicum emittit.

Carbonatis natrici gramma 1, additis acidi tartarici

grammate 1 et aquae centimetris cubicis 15, liquorem clarum praebeat.

Carbonas natricus in aqua (1 = 10) solutus, per acidum hydrochloricum acidus factus, coctus, clarus sit (*silicates*), ne per ammoniam quidem alcalinus factus, addito acido hydrosulfurico, speciem mutet.

Carbonatis natrici gramma 1 in acidi nitrici centimetris cubicis 2 et aquae centimetris cubicis 100 solutum, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, coloris expers et per horae partem non minus quam duodecimam clarum sit; addito chloreto ferrico, ne rubescat (*rhodaneta*).

Carbonatis natrici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 5 solutum, nitratis barytici centimetris cubicis 20 mixtum, additis phenolphthaleini guttis 3, ne rubescat (*hydras natricus*).

Carbonas natricus calefactus vapores alcalinae reactionis ne emittat.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in solutum Carbonatis natrici gramma 1 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Carbonatis natrici grammata 5 ut neutrius reactionis sint, acidi normalis centimetra cubica non minus quam 34,5 requirant, quod convenit cum $Na_2CO_3.10H_2O$ partibus centesimis non minus quam 98,6.

+ Carbonas plumbicus.

Cerussa.

$2PbCO_3.Pb(OH)_2$.

Pulvis albus, gravis, tenuis, odoris et saporis expers, qui calefactus in oxydum plumbicum flavum transit. Carbonas plumbicus in aqua non solvitur, in acido acetico

diluto, dioxydum carbonicum emittens, fere totus solvitur. Ita solutus, addito bichromate kalico, praecipitatum flavum deponit, quod facile solvitur in solutione hydratis natrici; addito acido sulfurico, praecipitatum deponit album, quod in acetate ammonico facile solvitur.

Quae de Carbonatis plumbici grammate 1 una cum acidi acetici diluti centimetris cubicis 20 calefacto solvi non possunt, pondere ne sint plus quam milligrammatum 10. Haec soluta, addito ferrocyaneto kalico, praecipitatum deponant pure album (*ferrum*, *cuprum*). Quorum solutorum centimetris cubicis 15 addito acido hydrochlorico dum non amplius praecipitatum exsistat, et plumbo relicto e liquore filtrato per acidum hydrosulfuricum remoto, cum liquor denuo filtratus erit, filtrata, addita ammonia, speciem ne mutent neve iis, quae de filtratis supererunt, evaporatis et calefactis, quicquam relinquant quod ponderari possit.

Carbonas plumbicus candefactus oxydi plumbici partes centesimas non minus quam 85 relinquat.

Carrageen.

Plantae quas praebent Chondrus crispus, Lyngb. Hydr. dan. p. 15, Tab. 5, A. B. et Gigartina mamillosa, J. Ag. Alg. med. p. 104, sole pallidae factae.

Thallus centimetra ad 17 altus, cartilaginosus, semiperlucidus, in aqua tumescens, lubricus et mollis, forma diversissima, pedicello longiore vel breviore, in basi cylindrico, in parte superiore planus, saepius furcatim ramosus, flabelli modo explicatus, cum Carrageen siccum est, crispus et turbatus. Laciniae millimetra 3 ad 10 latae, lineares vel plus minusve cuneatae, apice acuto vel obtuso vel emarginato;

sinus obtusi vel paene acuti; margo interdum prolificationibus plus minusve divisis; superficies hic illic tecta crustis calcis, a bestiis maritimis oriundis, cetera aequa, non nitida, subflavidoalba; basis pedicelli fuscoflava est. Thallo species certo distingui nequeunt, sed possunt cystocarpiis, quae autem in merce venali saepe desunt. Cystocarpia Chondri sparsa sunt, longa millimetra fere 2, in thallo abdita, plana, oblonge rotunda, in altera parte eminentiam perexiguam efficiunt, in altera parte cavum cum illa conveniens; sporis egressis remanet cicatrix, saepe quoque in thallo foramen eiusdem formae. Cystocarpia Gigartinae supra thalli superficiem eminent et globosa vel papillata sunt.

Odor proprius, tenuis; sapor mucilaginosus.

+ Caryophylli.

Gemmae quas praebet Eugenia caryophyllata, Thunb. Diss. 1.

Flos regularis, epigynus, hypanthio longo, cylindrico sub ovario biloculari; sepala 4; petala 4 colore multo clarius fusco, in pileum coniuncta; stamina multa in globis 4 posita.

Odor et sapor valde aromatici.

Ex hypanthio ungue oleum abunde exprimi potest.

Microscopia pulveris. Parenchyma cavernis glandulae vesicularibus ellipsoideis, nonnullis cellularum planarum stratis circumdatis. Fibrae pachytichae, 350 μ. longae. Vasa spiralia. Multae cellulae cum stellulis e crystallis, saepe in ordinibus per longitudinem positis. Antherae strato fibroso conspicuo et granis pollinis triangulis. Cellulae epidermidis pedunculi et ovarii, quinquangulae vel sexangulae, membranis exterioribus valde tumefactis;

stomata. Amylum nullum. Breves cellulae sclerenchymaticae et vasa retifera, si adsunt, indicant admixtos pedunculos; amylum, si adest, indicat admixtos anthophyllos.

Caryophyllorum pulveris, parati e Caryophyllis per calcem vivam siccatis, grammatis 10 per aethera extractis, deinde aethere caloris gradu minus quam 60° evaporato, extracti aromatici grammata non minus quam 2,5 supersint.

Caryophyllorum pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 6 relinquat.

Caryophyllorum pulvis ne diutius quam unum annum servetur.

+ Catechu.

Extractum in India Orientali Nederlandica coquendo paratum e foliis et ramis arboris cui nomen est Uncaria Gambier, Roxb. Hort. Beng. 86.

Tesserae extra fuscoflavae ad fuscas, fractura coloris multo clarioris; sapor peradstringens.

Catechu pulveris gramma 1 si cum spiritus centimetris cubicis 20 concoctum erit, pars, quae solvi non potest, siccata caloris gradu 100°, milligrammatum ne plus quam 200 sit; cuius solutionis spirituosae gutta 1 et spiritus guttae 10 et chloreti ferrici gutta 1 commixtae e viridi atrae fiunt.

Catechu pulveris gramma 1 si cum aquae centimetris cubicis 50 concoctum erit, mixtis calidis filtratis, pars, quae solvi non potest, siccata caloris gradu 100°, milligrammatum ne plus quam 100 sit; e liquore aquoso refrigerato pulvis subfuscus, crystallinus deponitur.

Catechu combustum cineris ne plus quam partes centesimas 5 relinquat.

+ Cera alba.

Cera apium insolando colore flavo privata.

Massa propemodum alba, frigore fragilis, calore manus mollescens, tactu non pinguis. Pondus specificum 0,965 ad 0,970.

Cera alba neque spumans neque praecipitatum deponens caloris gradu 62,5° ad 64um ita liquescat ut fiat liquor coloris fere expers, clarus, odoris proprii, non rancidi.

Aqua calida cum Cera alba conquassata et, cum refrixerit, filtrata chartam exploratoriam caeruleam ne reddat rubram neve chartam, iodeto kalico cum amylo madefactam, caeruleam.

Ceterum Cera alba isdem puritatis legibus chemicis satisfaciat, quibus Cera flava.

Cera flava.

Cera apium, parata prudenter liquefaciendis favis quos praebet Apis mellifica Linn.

Massa flava, frigore granosa, calore manus mollescens, tactu non pinguis, quae caloris gradu 62,5° ad 64um ita liquescit ut liquor fiat clarus, odoris mellis. Fractura non nitida neque crystallina. Pondus specificum 0,960 ad 0,966; globuli cerae, per horas non minus quam 24 postquam parati sunt servati, suspensi maneant in spiritu ponderis specifici supra indicati.

Spiritus centimetra cubica 20 et Cerae flavae gramma 1 si per horae partes sexagesimas nonnullas concocta et post horam 1 filtrata erunt, filtrata chartam bibulam caeruleam ne reddant rubram neve addita aqua admodum turbentur; filtratorum centimetra cubica 10 evaporata milligrammata ne plus quam 20 relinquant.

Cera flava una cum chloroformi quantitate undecies tanta leniter calefacta liquorem praebeat propemodum clarum, calefacta in oleo terebinthinae facile et propemodum tota solvatur; in residuo exiguo per microscopium spectanti grana pollinis conspicua sunt.

Cerae flavae grammate 1 cum aquae centimetris cubicis 25 et carbonatis natrici grammatis 10 concocto, liquor aquosus, cera, lente refrigerata, in stratum secreta, tantum leviter opalescat.

Cerae flavae grammata 3 si una cum alcoholis absoluti centimetris cubicis 50 dum ebulliant calefeceris, deinde phenolphthaleini guttas 10 addideris et, cucurbita in patina aqua calida impleta posita, assidue convertens per solutionem spirituosam hydratis kalici seminormalem titrabis, ut mixta rubescant, huius solutionis centimetra cubica 2 ad 2,5 requirantur. Cuius solutionis centimetris cubicis 30 deinde additis et liquore per horam cum restillatione cocto, si per acidum hydrochloricum seminormale retrotitrabitur, acidi centimetra cubica 21,9 ad 22,2 requirantur. Index acidimetricus, inde ductus, est 18 ad 24, index esterimetricus 73 ad 75,8.

Cerae flavae grammatis 2 una cum acidi sulfurici centimetris cubicis 10 per horae partem quartam calefactis ad caloris gradum fere 160um, deinde mixtis, semirefrigeratis, aqua dilutis, stratum solidum ne secernatur (*paraffinum*).

+ Cera Foliorum.

Cera, cuius stratum pruinae instar est in foliis monocotyledonum quarundam, inde radendo et liquefaciendo collecta. Cerae Foliorum genus, quod merx venalis nomine Cera Carnauba notum est, in Brasilia colligitur a Coper-

nicia cerifera, MART. Hist. Nat. Palm. III. 242. t. 50 A; cera Pisang vel Banana in nonnullis Iavae insulae partibus colligitur a specie quadam sua sponte crescenti generis Musae.

Massae durae, fragiles, coloris sordide albi vel clare viridis. Pondus specificum 0,95 ad 0,98. Caloris gradu 75° ad 85um liquescunt.

Cera Foliorum elementorum, quae in spiritu solvantur, ne plus quam partes centesimas 5, quae in sulfido carbonico solvantur, ne minus quam 95 contineat. Index acidimetricus, statutus quomodo Cerae flavae praescriptum est, ne sit maior quam 5, index esterimetricus ne minor quam 85 neve maior quam 110.

Cerae Foliorum grammatis 2 una cum acidi sulfurici centimetris cubicis 10 per horae partem quartam calefactis ad caloris gradum fere 160um, deinde mixtis, semirefrigeratis, aqua dilutis, stratum solidum ne secernatur (*paraffinum*).

+ Cetaceum.

Spermaceti.

Pars solida depurata massae quam inclusam in cavis subcutaneis capitum et corporum habent ceti, imprimis Physeter macrocephalus LAC.

Massa nivea, unionis conchae nitoris, semiperlucida, tactu pinguicula, facile friabilis, quae caloris gradu 45° ita liquescit ut liquor fiat clarus, coloris expers. Odor exiguus, non rancidus; sapor fatuus. Fractura lamelloso-crystallina. Pondus specificum 0,940 ad 0,950; Cetacei globuli, non minus quam per horas 24 postquam parati sunt servati, suspensi maneant in spiritu ponderis specifici supra indicati.

Cetaceum in aethere, in chloroformo, in sulfido carbonico facile solvitur.

Cetaceum, cum spiritus quantitate quadragies tanta concoctum, solvatur; refrigescens in crystalla secernitur; quibus filtrando remotis, filtrata colorem chartae exploratoriae madefactae ne mutent; aquae pari volumine mixta leviter quidem turbentur, ne tamen praecipitatum floccosum deponant.

Cetacei liquefacti grammatis 2 cum ammoniae centimetris cubicis 10 per horae partes sexagesimas nonnullas conquassatis, liquor e refrigeratis filtratione paratus, acido hydrochlorico supersaturatus, praecipitatum ne deponat.

+ Cevadinum.

Veratrinum crystallisatum.

$C_{32}H_{49}NO_9$.

Pulvis coloris expers, crystallinus, reactionis alcalinae, cuius vel minima quantitas per nares inhalata sternutamentum vehemens movet. Cevadinum caloris gradu 205° liquescit, in spiritus partibus 37 et in chloroformi parte 1,5 solvitur, at in aqua difficillime.

Cevadini milligramma 1 in acidi sulfurici centimetro cubico 1 solutum coloris est flavorubri et colore viridi fluorescit; addita aquae gutta 1, soluta colorem sanguineum trahunt.

Cevadini milligrammata 50 in acidi acetici centimetro cubico 1 tota solvantur; quae soluta additis tannini guttis 3 ne turbentur.

Cevadinum combustum nihil relinquat.

Cevadinum non idem est quod Veratrinum in editione tertia huius Pharmacopoeae descriptum.

Doses maximae singulae milligrammatum 5.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 10.

+ Charta antasthmatica.

Infunde

Foliorum Belladonnae 2
Foliorum Digitalis 2
Foliorum Salviae 2
Foliorum Stramonii partes binas 2

per aquam ad colaturam

partium octoginta quinque 85

Solve in hoc liquore

Nitratis kalici partes quindecim 15

Liquorem filtra; filtratis imbue chartam bibulam.

Chartam siccatam imbue commixtis

Tincturae Benzoes parte una 1

et

Spiritus partibus quattuor 4

Charta siccata in frusta dissecetur centimetra 10 longa, lata 15.

+ Charta sinapizata.

Misce Semen Sinapis, per aethera petrolei pinguedine liberatum atque in pulverem (B_{30}) redactum, Gummi elastico soluto in sulfido carbonico (1 = 10) ad pultem tenuem; mixtorum stratum aequum extende in charta alba, rudiore; quo facto pulvere, quem supra diximus, Seminis Sinapis chartam consperge, fortiter preme, leviga.

Chartam ita paratam, per calcem vivam siccatam, pulvere non adhaerenti excusso, in frusta disseca centimetra 8 longa, lata 12.

Frustorum singulorum pulvis Sinapis pondere sit grammatis fere 1,5.

Charta sinapizata, aqua madefacta, oleum sinapis admodum gignat.

+ Chininum.

$C_{20}H_{24}N_2O_2$.

Pulvis albus, crystallinus, saporis amari, caloris gradu 175,5° liquescens, qui, aucto calore, totus comburitur. Chininum in aquae partibus 1970, in spiritus partibus 0,75, in aetheris partibus 115 solvitur.

Chinini milligrammata 100 in aquae centimetris cubicis 100 et acidi sulfurici diluti guttis 2 soluta colore caeruleo fluorescunt; solutorum centimetra cubica 5, additis aquae chloratae centimetro cubico 1, deinde ammoniae guttis 5, liquorem clarum, viridem praebent.

Chinini milligrammata 100 in acidi sulfurici centimetris cubicis 2 soluta tantum subflava, in acidi nitrici centimetris cubicis 2 soluta coloris fere expertia sint.

Chininum una cum aqua calcis calefactum gaz ammoniae ne emittat.

Chinini partis 1 per horae partem duodecimam cum aquae partibus 50 conquassatae filtrata chartam exploratoriam rubram caeruleam ne reddant neve addito nitrate barytico neve nitrate argentico turbentur.

Chinini gramma 1,5 in spiritus centimetris cubicis 20 solutum si acidi sulfurici diluti tanta quantitate mixtum, ut

chartam exploratoriam madefactam non decoloret, deinde evaporatum erit, residuo, in pulverem redacto, una cum aquae centimetris cubicis 20, frequenter quassato, per horae partem dimidiam caloris gradu 60° ad 65um calefacto, tum mixtis, refrigeratis et, frequenter quassatis, per horas 2 caloris gradu 15° retentis, denique per lanam vitream filtratis, filtratorum centimetra cubica 5, additis ammoniae centimetris cubicis 4,5 caloris gradus 15°, liquorem praebeant clarum.

Chininum caloris gradu 100° siccatum ponderis partis centesimae ne plus quam dimidium (0,5) amittat.

A luce remotum servetur.

Chloras kalicus.

$KClO_3$.

Crystalla coloris expertia, perlucida, monoclinia vel farina crystallina, calore liquescens, aucto calore oxygenium emittens. Chloras kalicus in aquae partibus 16,5 solvitur, in spiritu non solvitur.

Chloratis kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 20 solutum, addito acidi tartarici grammate 1 soluto in aquae centimetris cubicis 5, praecipitatum album, crystallinum deponit. Sal una cum acido hydrochlorico calefactus chlorium emittit.

Chloras kalicus in aqua (1 = 20) solutus sit clarus, coloris expers, neutrius reactionis, ne speciem mutet addito acido hydrosulfurico neve nitrate barytico neve nitrate argentico.

Chloratis kalici gramma 1 cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 5 et cum mixtis pulverum zinci et ferri paribus partibus concoctum gaz ammoniae ne emittat (*nitrates*).

+ Chloretum aethylicum.

C_2H_5Cl.

Liquor coloris expers, clarus, odoris aetherei, plane volatilis, facile inflammabilis, qui si inflammatus est ardet flamma lucenti, marginibus viridibus, quique spiritu et aethere pro quavis portione misceri potest, in aqua parum solvitur. Pondus specificum, calore glaciei liquescentis, 0,921. Caloris gradu 12,2° ad 12,5um ebullit.

Chloreti aethylici centimetrum cubicum 1, cum aquae centimetris cubicis 20 conquassatum, chartam exploratoriam caeruleam ne reddat rubram.

Chloretum aethylicum in spiritu (1 = 20) solutum, addito nitrate argentico, clarum sit per horae partem non minus quam sexagesimam.

Chloreti aethylici centimetra cubica 10, calore non adhibito, evaporentur nihil relinquentia; quae postrema evaporantur, odorem alienum ne spargant.

A luce remotum loco frigido servetur.

Chloretum ammonicum.

NH_4Cl.

Crystalla alba, parva, regularia, odoris expertia, quae calore volatilia fiunt nec tamen antea liquescunt. Chloretum ammonicum in aquae partibus 2,8 solvitur, in spiritu fere non solvitur.

Chloretum ammonicum, addita solutione hydratis natrici, gaz ammoniae emittit. In aqua (1=20) solutum, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod in ammonia facile solvitur.

Chloreti ammonici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 10 solutum clarum, coloris expers, neutrius reactionis sit aut tam acidae ut, addita alcali decinormalis gutta 1, non amplius acide reagat.

Chloreti ammonici centimetra cubica 10 in aqua (1=20) soluta et per acidum sulfuricum dilutum acida facta, permanganatis kalici (1=1000) gutta 1 mixta, ne decolorentur intra horae partem quartam (*empyreumata*). Soluta per acidum hydrochloricum acida facta ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate barytico neve chloreto ferrico speciem mutent (*rhodaneta*). Soluta, addito sulfohydrate ammonico, colorem nullum trahant nisi subviridem, neve addito acido sulfurico diluto neve oxalate ammonico turbentur.

Chloretum ammonicum, caloris gradu 100^0 siccatum, ponderis ne plus quam partem centesimam 1 amittat.

+ Chloretum ferricum.

$FeCl_3.6H_2O$.

Perfunde in cucurbita ampla

Fili Ferri tenuis partes centum 100

Acidi hydrochlorici partibus quingentis viginti quinque. 525

Calface dum iam gaz nullum emittatur et liquorem adhuc calidum per filtrum noti ponderis filtra. Filtrum et filum ferri non solutum aqua ablue, sicca, pondera.

Per soluta, ad caloris gradum 50um calefacta, gaz chlorium transmitte, dum gutta 1, aquae centimetris cubicis 5 diluta, addito ferricyaneto kalico, non amplius virescat vel caerulea fiat. Liquorem in balneo aquae evapora, dum pro ferri soluti partibus centenis (100) partes quadringenae

octogenae ternae (483) supersint, deinde liquorem, ut in crystalla coalescat, loco frigido sepone.

Frusta flava vel e subfusco flava, crystallina, quae aere diffluunt, iam leni calore liquescunt, in aqua et in spiritu facile solvuntur.

Chloretum ferricum in aqua (3 = 4) solutum isdem postulatis satisfaciat, quibus Solutio Chloreti ferrici.

A luce remotum servetur.

+ Chloretum ferricum et Chloretum ammonicum.

Misce

Solutionis Chloreti ferrici partem unam 1
Chloreti ammonici partibus quinque 5

Mixta assidue agitans in balneo aquae sicca, siccata contere.

Pulvis aurantiacus, siccus, crystallinus, hygroscopicus, qui in aquae partibus 3 totus, in spiritu modo partim solvitur.

Addita solutione hydratis natrici, pulvis gaz ammoniae emittit.

Ferri contineat partes centesimas 2,63 ad 2,69, id quod ita statuitur: Solve pulveris gramma 1 in aquae centimetris cubicis 25, his adde acidi hydrochlorici centimetra cubica 2 et iodeti kalici grammata 2, post horam unam per thiosulfatem natricum decinormalem titra; cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica 4,7 ad 4,8 requirantur.

Ceterum pulvis in aqua (1 = 3) solutus isdem puritatis legibus satisfaciat, quibus Solutio Chloreti ferrici.

A luce remotum per calcem vivam servetur.

Chloretum hydrargyrico-ammonicum.

Mercurius praecipitatus albus.

Solve

Chloreti hydrargyrici partes decem 10

in

Aquae calidae partibus ducentis 200

His solutis et, si opus erit, filtratis, assidue agitans, paulatim adde

Ammoniae liquidae (partes fere tredecim). . 13

tantum ut liquor reactionis leviter alcalinae fiat.

Praecipitatum collectum, postquam liquor defluxerit, aquae partibus 9 ablue, exprime, luce remota caloris gradu minus quam 30° sicca, denique contere.

Pulvis albus, amorphus, qui calefactus, ante non liquescens, vapores reactionis alcalinae emittens, totus volatilis fit, in aqua fere non solvitur.

Chloretum hydrargyrico-ammonicum, addita solutione hydratis natrici, calefactum gaz ammoniae emittit, dum oxydum hydrargyricum secernitur. Quae filtrata si per acidum nitricum acida facta erunt, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponetur, quod in ammonia facile solvitur.

Chloretum hydrargyrico-ammonicum, calore adhibito, in acido acetico, non effervescens, totum solvatur.

A luce remotum servetur.

Chloretum hydrargyricum.

Mercurius sublimatus corrosivus.

$HgCl_2$.

Crystalla coloris expertia, nitida, gravia, rhombea, saporis acris, quae calefacta liquescunt, quo facto, nihil relinquentia, in sublimatum album, crystallinum transeunt. Chloretum

hydrargyricum in aquae partibus 17,5, in spiritus partibus 3,1, in aetheris partibus 8,2 solvitur.

Chloreti hydrargyrici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 20 solutum clarum sit; chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram; addito chloreti natrici grammate 1, reactionis fit neutrius.

Chloretum hydrargyricum in aqua (1 = 20) solutum, addita aqua calcis, praecipitatum fuscorubrum deponit, quod per reagentis quantitatem excedentem flavescit, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit.

Doses maximae singulae milligrammatum 10.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 50.

Chloretum hydrargyrosum.

Mercurius dulcis.

Calomel.

Hg_2Cl_2 sublimatione paratum, contritum, deinde levigatum.

Pulvis tenuissimus, subflavoalbus, saporis fere expers, quem per microscopium spectanti magnam partem fragmentis crystallorum constare apparet. Chloretum hydrargyrosum calefactum flavescit, deinde nec liquescens nec quicquam relinquens sublimetur. Chloretum hydrargyrosum nec in aqua nec in Spiritu solvitur.

Chloretum hydrargyrosum, sub carbonatis natrici anhydrici pari pondere in tubo calefactum, vaporem hydrargyri emittit, qui in pariete frigido tubi in stratum hydrargyri concrescit; quae supersunt, in aqua soluta, filtrata, per acidum nitricum acida facta, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponunt, quod in ammonia facile solvitur.

Chloretum hydrargyrosum, solutione hydratis natrici perfusum, nigrescit nec tamen gaz ammoniae emittit.

Spiritus diluti vel acidi acetici centimetra cubica 10 cum Chloreti hydrargyrosi grammate 1 conquassata, deinde filtrata, ne addito nitrate argentico neve acido hydrosulfurico speciem mutent neve evaporata quicquam relinquant.

A luce remotum servetur.

+ Chloretum hydrargyrosum ope vaporis Aquae paratum.

Hg_2Cl_2 in aura vaporis aquae e gaz concretum.

Pulvis tenuissimus, albus, saporis fere expers, quem per microscopium spectanti magnam partem massulis crystallorum minimorum fere rotundis, structura quodammodo radiata constare apparet. Ceterum satisfaciat isdem puritatis legibus, quibus Chloretum hydrargyrosum.

A luce remotum servetur.

Chloretum natricum.

NaCl.

Cubi parvi, albi. Chloretum natricum in aquae partibus 2,8 solvitur, in spiritu fere non solvitur.

Chloretum natricum flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit. In aqua (1 = 20) solutum, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod in ammonia facile solvitur.

Chloreti natrici gramma 1, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 5, liquorem clarum praebeat.

Chloretum natricum in aqua (1 = 20) solutum sit clarum, coloris expers, neutrius reactionis; ne speciem mutet addito acido hydrosulfurico neve sulfohydrate ammonico neve carbonate natrico neve liquore Nessleri neve nitrate barytico neve acido sulfurico diluto.

Chloretum natricum, caloris gradu 100° siccatum, ponderis ne plus quam partem centesimam 1 amittat.

+ Chloretum zincicum.

$ZnCl_2$.

Sal albus, admodum hygroscopicus, crystallinus, saporis pungentis, qui calefactus liquescit. Chloretum zincicum in aquae partibus 0,35, in spiritu facile solvitur.

Chloretum zincicum in aqua (1=20) solutum chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram; addito sulfohydrate ammonico, praecipitatum album deponit, quod in acido hydrochlorico solvitur; addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod in ammonia facile solvitur.

Chloretum zincicum in aqua (1=20) solutum addito nitrate barytico ne turbetur, neve, addito dimethylamidoazobenzolo, rubescat, neve additis acidi hydrochlorici guttis nonnullis per acidum hydrosulfuricum speciem mutet, neve solutionis hydratis natrici tanta quantitate mixtum, ut praecipitatum prius ortum solutum sit, calefactum gaz ammoniae emittat.

Chloreti zincici milligrammata 500, additis aquae centimetris cubicis 20 et ammoniae centimetris cubicis 5, liquorem clarum, coloris expertem praebeat, qui, ne addito carbonate

ammonico neve phosphate natrico turbetur; liquoris ita parati centimetra cubica 10 si per acidum hydrosulfuricum zinco liberata, deinde filtrata erunt, iis, quae de filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Chloreti zincici grammata 2 in spiritus diluti centimetris cubicis 10 soluta clara sint aut addita acidi hydrochlorici diluti gutta 1 clarescant.

Chloroformum.

Mixtae $CHCl_3$ partes 99 ad 99,4 Alcoholis absoluti parte 1 ad 0,6.

Liquor coloris expers, clarus, odoris penetrantis, saporis subdulcis, prorsus volatilis, qui non facile exardescit. Chloroformum pro quavis portione spiritu et aethere et oleis pinguibus et volatilibus misceri potest, in aqua parum solvitur. Pondus specificum 1,485 ad 1,489. Caloris gradu 60^0 ad 62um ebullit.

Chloroformi ter deinceps cum acidi sulfurici voluminis dimidio conquassati pondus specificum 1,500 factum sit; Chloroformum ita tractatum caloris gradu $61,3^0$ ebulliat.

Chloroformo cum acidi sulfurici pari volumine conquassato, intra horae spatium neuter liquor neve stratum confine coloretur.

Chloroformi centimetris cubicis 5 cum aquae centimetris cubicis 5, quibus nitratis argentici guttae 3 additae sunt, conquassatis, uterque liquor clarus sit.

Chloroformi centimetris cubicis 5 cum aquae centimetris cubicis 5 conquassatis, aqua reactionis acidae ne sit; addito iodeto kalico (1 = 10), chloroformi stratum colorem violaceum ne trahat.

In lagena epistomio vitreo obturata si hydratis kalici sicci, in frustula magnitudinis pisi divisi, grammata 2 Chloroformi centimetris cubicis 10 superfusa erunt, lagena bene obturata loco obscuro servata, neve hydras kalicus neve Chloroformum flavescat intra horas 12.

Chloroformi centimetris cubicis 2 in chartae bibulae frusto evaporatis, quae postrema evaporabuntur, odoris alieni, praesertim pungentis vel quasi liquoris, „foesel" qui dicitur, expertia sint.

A luce remotum servetur.

Chloroformum ad Narcosin.

Chloroformum ad Narcosin postulatis Chloroformo scriptis satisfaciat, praeterea hisce:

Experimento per acidum sulfuricum facto, et uterque liquor et stratum confine etiam post horas 24 coloris expers sit.

Centimetris cubicis 50 destillatis dum centimetra cubica fere 2 supersint, haec coloris expertia sint; quibus in charta bibula evaporatis, quae postrema evaporabuntur, praeter odorem alcoholis additi, odoris alieni, praesertim pungentis vel quasi liquoris, „foesel" qui dicitur, expertia sint.

Centimetra cubica 5 si commixtis aquae centimetris cubicis 5 et liquoris Nessleri guttis 3 addita unaque conquassata erunt, uterque liquor per horae partem quartam clarus sit et coloris expers.

Chloroformum ad Narcosin servetur in lagenis parvis, centimetra cubica non plus quam 100 continentibus, propemodum completis, epistomiis vitreis bene obturatis, fuscis, loco frigido, a luce remotum.

Chloroformum ad Narcosin ita parari potest:

Solve

Hydratis Chlorali partes centum 100

in

Aquae partibus ducentis 200

His paulatim adde solutas

Hydratis natrici partes triginta 30

in

Aquae partibus ducentis 200

Chloroformum secretum collectum filtra, filtrata per horas 6 sicca per chloretum calcicum, filtrando a chloreto calcico remove, a radiis solis directis remotum e balneo aquae ita destilla, ut, prima parte decima remota, 8 quae sequuntur colligantur.

Chloroformi ita parati pondus specificum sit 1,498 ad 1,500; ebulliat gradu caloris 61,3°.

Adde

huius **Chloroformi** partibus undecentum. . . 99

Alcoholis absoluti partem unam 1

+ Chrysarobinum.

Pulvis flavus, odoris et saporis expers, paratus e pulvere Goa, quem Andira Araroba, AGUIAR, Mem. sobre a Araroba, 31, in cavernis truncorum secretum habet.

Chrysarobinum calore liquescit, in aqua, in spiritu, in aethere fere non solvitur, in chloroformi partibus 24 et in benzoli partibus 31 solvitur.

Chrysarobinum acido sulfurico inspersum solvitur colore rubroflavo. Chrysarobini milligramma fere 1 in acidi nitrosonitrici gutta 1 solutum rubrum est; in stratum tenue extenti, ammonia supersaturati color ruber in violaceum transit.

Ammonia, calore non adhibito, Chrysarobino non statim coloratur (*acidum chrysophanicum*); mixta paulatim colorem coccineum trahunt intra horas 24, at cocta intra horae partes sexagesimas paucas.

Chrysarobini cum aquae partium duobus milibus concocti filtrata refrigescentia lactescunt, colorem chartae exploratoriae ne mutent neve chloreto ferrico alio colore inficiantur.

Chrysarobinum combustum cineris partes centesimas ne plus quam 0,25 relinquat.

Si ad usum externum Acidum chrysophanicum praescriptum erit, Chrysarobinum dispensetur.

+ Citras magnesicus effervescens.

Diligenter contere

Pulveris Acidi citrici partes triginta 30

et

Aquae partes quattuor 4

His admisce

Carbonatis magnesici partes decem. 10

Quae mixta loco sicco, calore non adhibito, fac coalescant; deinde contere, per calcem vivam sicca, siccata misce

Pulveris Bicarbonatis natrici partibus triginta quattuor 34

Pulveris Acidi citrici partibus sedecim 16

Pulveris Sacchari partibus decem 10

qui pulveres separatim ante siccati sint caloris gradu 30°.

Mixta alcohole absoluto madefac ut cohaereant, deinde sicca et in pulverem grosse granosum (A_3) redige.

Citras magnesicus effervescens, addita aqua, gaz acidi carbonici abunde emittens, liquorem clarum praebeat reactionis leviter acidae.

Per calcem vivam servandus.

+ Codeinum.

$C_{18}H_{21}NO_3.H_2O$.

Crystalla coloris expertia vel alba, rhombea, semiperlucida, fragilia, quae caloris gradu 152° ad 153um, at, una cum aqua calefacta, iam infra gradum 100um liquescunt. Codeinum in aquae partibus 120, in spiritus partibus 2,8, in chloroformi parte 1,6, in aetheris partibus 35 solvitur; in aqua solutum saporis est amari, reactionis alcalinae, addita solutione hydratis natrici turbatur.

Codeini milligrammata 50 in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 soluta coloris expertia sint; leniter calefacta, addita chloreti ferrici vel minima quantitate, obscure caerulea fiant.

Codeini milligrammata 5 soluta in aquae centimetro cubico 1 et acidi hydrochlorici diluti gutta 1, addita recens solutis ferricyaneti kalici milligrammati 1 et chloreti ferrici milligrammatis 10 in aquae centimetris cubicis 10, ne caerulea fiant intra horae partem duodecimam (*morphinum*).

Codeinum, caloris gradu 100° siccatum, ponderis partes centesimas ne plus quam 6 amittat neve combustus quicquam relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum **50**.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum **200**.

+ Coffeinum.

$C_5H(CH_3)_3N_4O_2.H_2O.$

Crystalla alba, nitida, longa, acicularia, saporis subamari, levia, caloris gradu 234° ad 235um liquescentia. Coffeinum in aquae partibus fere 80, in spiritus partibus fere 50, in chloroformo facile, in aethere non facile solvitur. Coffeinum, cum aquae partibus 2 concoctum, solvitur in liquorem clarum, neutrius reactionis, qui refrigescens in pultem crystallinam coalescit.

Coffeinum prudenter calefactum totum volatile fit et sublimatum album, crystallinum praebet.

De Coffeini milligrammatis 5, una cum acidi hydrochlorici gutta 1 et chloratis kalici crystallo parvo in balneo aquae calefactis, quae supererunt, fuscorubra erunt, addita ammoniae gutta 1 colorem purpureum trahent.

Coffeinum in acido sulfurico vel in acido nitrico (1 = 10) solutum coloris expers sit.

Coffeinum in aqua solutum dum saturata sit, addito tannino, praecipitatum praebet, quod in reagentis quantitate excedenti rursus solvitur. Ne turbetur addito iodeto kalico hydrargyrico neve aqua chlorata neve solutione iodii.

Doses maximae singulae milligrammatum **250**.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum **1**.

Collodium.

Prudenter misce

Acidi nitrici crudi (pondus specificum 1,380) partes quadringentas 400
Acidi sulfurici crudi (pondus specificum 1,830) partibus mille. 1000

in quae mixta, cum primum ad caloris gradum 20um refrigerata erunt, paulatim inmitte

Gossypii depurati siccati partes quinquaginta quinque 55

Mixta in vase clauso, frequenter depsens, caloris gradu fere 20^0, tam diu sepone, ut parva quantitas gossypii, prius aqua, deinde alcohole absoluto eluti, in aethere soluta, liquorem clarum praebeat.

Deinde gossypium in magnam aquae quantitatem inmissum aqua frequenter renovata, elue dum acido adhaerenti plane liberatum sit. Exprime et caloris gradu non plus quam 40^0 sicca.

Adde

Lanae Collodii ita paratae partibus tribus . 3
Spiritus partes septendecim 17

et

Aetheris partes octoginta 80

Subinde fortiter conquassans sepone per horas 24, deinde liquorem supra positum clarum defunde.

Liquor coloris expers, clarus, spissus, aethera admodum redolens, qui, in stratum tenue extentus, cum evaporatus est, membranam firmam, perlucidam, coloris expertem relinquit. Quae membrana chartam exploratoriam caeruleam, madefactam vix rubram reddat.

Aquae centimetrum cubicorum 10, cum Collodii centimetris cubicis 5 conquassatorum, filtratorum centimetra cubica 2, chloreti hydrargyrici guttis 6 et aquae barytae centimetris cubicis 6 mixta, praecipitatum flavum deponant: horum mixtorum filtrata, addito sulfohydrate ammonico, ne calore quidem adhibito, speciem mutent.

Collodium evaporatum partes centesimas fere 3 relinquat.

+ Collodium cum Acido salicylico.

Solve

Acidi salicylici partes viginti 20

in

Aetheris cum Spiritu partibus viginti. 20

His admisce

Collodii partes sexaginta 60

Liquor coloris expers, spissus, perlucidus.

+ Collodium cum Oleo Ricini.

Collodium elasticum.

Misce

Collodii partes nonaginta octo 98

Olei Ricini partibus duabus 2

Liquor coloris fere expers, spissus, perlucidus.

+ Colophonium.

Resina quae, oleo terebinthinae destillato, residet e terebinthina communi. Haec est balsamum, quod praebent variae species generis Pini, e stirpibus vulneratis profluens.

Frusta perlucida, fragilia, coloris levissime fusci, quae facile in pulverem flavoalbum, odoris terebinthinacei, conteri possunt, quo pulvere superficies conspersa est; fractura late conchata, lateribus acutis, vitrea est.

Colophonium aqua gravius est, in balneo aquae liquor fit tenax, clarus, subfuscus, odorem terebinthinaceum multo magis spargens quam resina solida. Colophonium, in spiritus pari quantitate calefactum, totum solvitur; ita solutum reactionis acidae est. Colophonium in aethere, in chloro-

formo, in acido acetico concentrato, in solutione hydratis natrici facile, in aethere petrolei non totum solvitur.

Colophonii pulveris gramma 1 si, nullo calore adhibito, in solutionis hydratis kalici alcoholicae seminormalis centimetris cubicis 25 solutum erit, deinde, phenolphthaleino addito, retrotitrabitur per acidum hydrochloricum seminormale dum color ruber plane evanuerit, non minus quam centimetra cubica 18,6 neque plus quam 19,3 requirantur, quod convenit cum indice acidimetrico 180 ad 160.

+ Cornu Cervi.

Cornua ramosa quae fert Cervus Elaphus L. mas.

Materies alba vel grisea, in circuitu solida, intra cellulospongiosa, constans tela cellulosa ossificata.

Ad usum pharmaceuticum adhiberi licet et Cornu Cervi rasum et ramenta tortilia, intertrimentum partum in rebus e cornu cervi tornandis (Cornu Cervi tornatum); rasa et tornata ante minutissime concidenda sunt.

Cornus Cervi concisi, cum aquae quantitate decemplici per horam 1 concocti, tantum pars fere decima solvitur; quibus decoctis ad pondus elementi adhibiti evaporatis, deinde refrigeratis, gelatina exsistat coloris et odoris et saporis fere expers.

Cornu Cervi combustum cineris non minus quam partes centesimas 40 relinquat.

+ Cortex Alyxiae.

Cortex stirpis et ramorum quae praebet Alyxia stellata, Roem. et Schult. Syst. IV. 439, paratus stratis extremis coloris obscuri removendis a stirpibus et ramis, deinde tundendo cortice a ligno solvendo.

Frusta tubulosa vel interdum canaliculata, longitudinis et latitudinis diversae; cortex millimetra ad 4 crassus; satis gravis, solidus, durus, fragilis. Superficies exterior, cum propemodum prorsus liberata est strato tenui, extremo, perfusco, satis aequa, non nitida, ochroleuca, hic illic enormiter fissa. Superficies interior rugis tenuibus, directis et fissa, coloris clarioris. Fractura transversa aspera, quodammodo fibrosa et assulosa, clarissime ochroleuca.

Odor est odori cumarini similis; sapor item, subamarus.

In India Orientali Nederlandica Alyxia stellata inter alia nomine *poelasari* vocatur.

Tubuli tenues ramulorum novellorum (*poelasari dèdès*) adhiberi possunt, frusta crassa ramorum et stirpium veterum parvi pretii sunt.

+ Cortex Cascarillae.

Cortex stirpis et ramorum quae praebet Croton Eluteria, BENN. in Journ. Linn. Soc. IV. (1860) 29.

Tubi voluti vel frusta canaliculata et squamae; ad decimetrum 1 longa, lata millimetra ad 12, cortice crasso millimetra ad 2; dura et fragilia. Extra stratum subereum griseoalbum, per longitudinem rugosum et rimis directis et transversis saepe enormiter divisum in parvas areas quadrangulas; plerumque punctis nigris, thalamiis lichenum et fungorum; stratum subereum multis locis est detrusum, ubi superficies e griseo flavofusca est, sulcis non altis, directis et transversis, cum rimis strati suberei convenientibus. Superficies interior non nitida, obscure griseofusca, tenuiter striata. Cortex transverse persectus quodammodo

nitidus, pars intima tenuiter radiata et praesertim perfusca. Fractura transversa resinosa, aequa, non nitida.

Odor aromaticus; sapor aromaticus, amarus.

Accensus cortex fumum spargit moschi odore gravem.

Cortex Chinae.

Cortex et stirpis et ramorum et radicum quae praebent plantae cultae Cinchonae succirubrae, PAV. ex KLOTSCH, in Abh. Akad. Berl. 1857 (1858) 60.

Frusta tubulosa vel canaliculata vel plana; tubi diversae longitudinis et crassitudinis, praecipue in marginibus arte convoluti. Superficies exterior rugis directis enormibus, et crassis et tenuibus, saepe rimis transversis, centimetra singula inter se distantibus, nunquam corticis latitudinem totam percurrentibus, rectis vel figurae lineae fractae, acutis, non altis; color fuscogriseus, maculis enormibus, subgriseis; passim obsita est lichenibus satis magnis, quoque minoribus et fungorum apotheciis. Superficies interior rugis directis tenuibus, passim rimis transversis, clare fusca. Fractura transversa, praesertim partis interioris, assuloso-fibrosa, clare fusca. In fractura directa crebra puncta tenuissima, alba et striae nitidae.

Corticis Chinae importantur quoque frustula, „snitsels en snippers" quae vocantur, quae adhiberi licet dummodo pulvere et quisquiliis libera sint.

Microscopia pulveris. Fibrae, longitudo: $M = 922{,}5\ \mu$, $Q = 120\ \mu$; latitudo: $M = 68{,}1\ \mu$, $Q = 10{,}4\ \mu$; plerumque extremitatibus acutis; membrana admodum tumefacta, coloris expers vel clare fuscoflava, satis crebis scrobiculis altioribus et stratis conspicuis; lumen exiguum; fasciculi quoque fibris paucis constantes. Cellulae parenchymaticae

formae plus minusve oblongae, magnam partem membranis fuscis sed etiam coloris expertibus; aliae completae pulvere crystallino, tenui, aliae amylo exiguo. Cellulae suberosae quinquangulae ad sexangulas; ceterum cellulis parenchymaticis membranis fuscis simillimae. Amyli parum; grana plerumque simplicia, diametro ad 21 μ, fere globosa, nucleo centrali; nonnulla composita, diadelpha ad tetradelpha. Cellulae sclerenchymaticae extremitatibus obtusis in Cortice Cinchonae succirubrae non adsunt. In acido sulfurico partium centesimarum 66 vel in acido hydrochlorico fibrae pachytichae intra horas duas colorem plus minusve coccineum trahunt.

Corticis Chinae frustulo in tubulo vitreo, cuius altera extremitas clausa est, candefacto, pix liquida coccinea deponitur.

Odor, imprimis corticis ramorum, proprius; corticis diu servati odor evanescit; sapor amarus, adstringens.

Corticis Chinae pulvis aquae ne contineat plus quam partes centesimas 8, combustus cineris ne plus quam partes centesimas 4 relinquat.

Cortex Chinae alcaloideorum partes centesimas ne minus quam 6 contineat. Alcaloideorum quantum insit, ita statuitur: Corticis Chinae pulveris (B_{30}) grammata 6, hydratis calcici grammatis 2 mixta, inmitte in chloroformi centimetra cubica 90, ante conquassata cum ammoniae centimetris cubicis 12. Quibus frequenter fortiterque conquassatis, post horas 3 chloroformum per filtrum siccum filtra, cura habita ut quam minimum evaporetur. E filtratorum centimetris cubicis 75 (= Corticis Chinae pulveris grammatis 5) chloroformum destillatione remove, iisque, quae supererunt, in spiritus centimetris cubicis nonnullis solutis adde acidi hydrochlorici decinormalis centimetra cubica 20. Solutionem alcaloideorum acidam per filtrum aqua madefactum filtra et parvis aquae quantitatibus ablue dum liquor defluens neutrius reactionis et alcaloideis liber sit, quo facto filtrata tota

ne sint plus quam centimetrum cubicorum 100. In iis acidum non coniunctum per alcali decinormale, indicatore haematoxylini guttis nonnullis, retrotitra. Turbatio quoque constans finem reactionis indicat. Quod ut fiat, ne plus quam centimetra cubica 10 requirantur. Acidi decinormalis coniuncti centimetra cubica singula alcaloideorum milligrammata 30 indicant.

Cortex Chinae chinatannatum ne minus quam partes centesimas 9 contineat. Chinatannatum quantum insit ita, statuitur: Macera per horas 24 frequenter conquassans Corticis Chinae pulveris (B_{30}) grammata 10 per mixta acidi hydrochlorici diluti centimetra cubica 5 aquae centimetris cubicis 75. Filtra; filtratorum centimetris cubicis 40 (= Corticis Chinae pulveris grammatis 5) in patella noti ponderis adde acetatis kalici grammata 2, quae agitans in balneo aquae evapora ad grammata 10. Liquorem refrigeratum in filtrum aqua madefactum effunde; quae in patella supererunt, aquae centimetris cubicis 2 ablue; hac quoque aqua in filtrum effusa, quae in filtro supererunt, adde iis, quae in patella erunt; in balneo aquae agitans sicca et refrigerata in exsiccatore pondera. Chinatannatum ita paratorum pondus ne sit minus quam milligrammatum 450.

+ Cortex Cinnamomi.

Endophloeum corticis ramorum plantarum cultarum Cinnamomi zeylanici, Nees, in Wall. Pl. As. Rar. II. 74; III. 32.

Cylindri quodammodo compressi, ad metrum 1 longi, crassi centimetrum 1, constantes coniunctis endophloei stratis 8 ad 10, praecipue in utroque margine arte convoluti.

Endophloeum millimetri partem quartam (0,25) crassum est, fragile. Superficies exterior aequa, non nitida, pallide flavofusca, striis clarioribus, per longitudinem ductis, parallelis, rectis vel plus minusve undulatis, nonnunquam anastomantibus. Hic illic cicatrices parvae et lacunae, ubi folia vel rami fuerunt. Superficies interior obscurius fusca, minus aequa, striis tenuibus. Fractura transversa brevifibrosa.

Microscopia pulveris. Fibrae, longitudo: M = 489,5 μ, Q = 55,7 μ; latitudo: M = 24,5 μ, Q = 2,8 μ; pleraeque integrae, nonnullae in fasciculos coniunctae; membrana crassa, paucissimis scrobiculis altioribus, sine stratis; lumen parvum. Cellulae sclerenchymaticae separatae vel in globos coniunctae; membrana pro rata parte minus tumefacta quam fibrarum, multis scrobiculis altioribus, saepe ramosis, sine stratis conspicuis. Cellulae parenchymaticae leptotichae, membranis fuscis. Glebae resinae obscure rubrofuscae vel earum partes, e cellulis oleosis oriundae, interdum etiam in iis inclusae. Oxalatis calcici crystalla parva, prismatica, parum conspicua (inquisitio per aquam). Amyli grana separata, praeterea amylum adest in multis cellulis et sclerenchymaticis et parenchymaticis; grana simplicia vel composita, diadelpha ad pentadelpha; grana separata sunt isodiametra, subglobosa, diametro fere 6 μ, nucleo centrali, sine stratis conspicuis.

Odor et sapor admodum aromatici.

Corticis Cinnamomi pulveris grammata 10, cum spiritu concocta, spiritu evaporato iisque, quae supererunt, caloris gradu 100^0 siccatis, extracti non minus quam gramma 1,2 relinquant.

Cinnamomi pulvis combustus cineris partes centesimas non minus quam 4 neque plus quam 8 relinquat.

+ Cortex Condurango.

Cortex quem praebet species Americana Meridionalis generis Marsdeniae.

Tubi vel frusta canaliculata, centimetra ad 13 longa, lata centimetra ad 3, cortice crasso millimetrum 1 ad 7; interdum subcurvata, dura, fragilia. Superficies exterior quodammodo rugosa per longitudinem, gibbis parvis, partim lenticellis, partim squamulis corticalibus, clare griseofusca, saepe obsita lichenibus albis vel griseis. Superficies interior transverse striata, clarissime griseofusca. Fractura transversa strati exterioris fere millimetrum 1 crassi griseofusca, plerumque fibris longis, partis interioris aspera, granosa, quodammodo farinosa, clare fuscoflava, crebris maculis parvis, fere rotundis, obscurius fuscoflavis vel scrobiculis parvis cum illis convenientibus. In cortice transverse persecto stratum subereum tenue, griseofuscum, maculis obscurioribus satis conspicue in ordinibus tangentialibus et praesertim in parte exteriore quoque quodammodo radiatim positis.

Odor subaromaticus; sapor subamarus, subacer.

Decoctum (1 = 5) refrigeratum, deinde filtratum si calefiet, valde turbetur; iterum refrigeratum turbatum esse desinit.

+ Cortex Fructus Aurantii.

Cortex Aurantiorum.

Strata ambo extrema fructuum maturorum quos fert Citrus vulgaris, Risso, in Ann. Mus. Par. XX. (1813) 190, in segmenta 4 fere elliptica divisa.

Haec segmenta centimetra 5 ad 8 longa, lata centimetra

3 ad 5, crassa millimetra 2 ad 5; superficies exterior flavofusca, rugosofaveolata, interior spongiosoalba. Ad usum tantum stratum exterius flavofuscum (*flavedo*) adhibetur, interius album (*albedo*) removeatur; quem ad finem Cortex Fructus Aurantii per horae partem quartam aqua mollescat, aqua defusa, corticis madidi per diem unum loco frigido servati albedo resecetur, quo facto flavedo leni calore siccetur.

Microscopia pulveris. Partes coloris expertes parenchymatis spongiiformis albedinis, in quibus saepe ne structura cellularis quidem spectari potest. Parenchyma vulgare flavedinis saepe compressum, multis crystallis oxalatis quadrangulis ad sexangula. Epidermis e cellulis bene definitis, quadrangulis ad sexangulas, saepe membrana tenui bipartitis, subfuscis, membranis exterioribus tumefactis. Vasa anularia et spiralia. Glandulae lysigenae conspicuae non sunt. Granula amyli tenuissima in omnibus cellulis parenchymaticis paucissimae adesse possunt; in flavedinis parenchymate interdum cellulae amyli granulis multis

Odor aromaticus; sapor aromaticus et amarus.

Corticis Fructus Aurantii pulveris grammata 2,5 ubi una cum spiritus centimetris cubicis 25 per horam concocta erunt, et, ubi refrixerunt, spiritus evaporatus ad prius volumen suppletus erit, pondus eorum, quae de filtratorum, caloris gradu 100^0 siccatorum, centimetris cubicis 10 evaporatis supererunt, non minus sit quam milligrammatum 200. Oleosa quae de pulveris grammatis 1, cum aetheris petrolei centimetris cubicis 3 conquassati, filtratis, sua sponte evaporatis, supererunt, coloris sint flavofusci et Corticem Fructus Aurantii fortiter redoleant.

+ Cortex Fructus Citri recens.

Flavedo fructuum maturorum quos fert Citrus Limonum, Risso, in Ann. Mus. Par. XX. (1813) 201.

Flavedo crassa millimetrum 1 ad 1,5, crebris glandulis interioribus, quae magnam partem in strato 1 densissimae positae sunt, diametro millimetri fere 1, globosae, liquore impletae; ramenta flavedinis luce transeunte perlucida sunt. Superficies exterior parvis maculis fere orbicularibus, cum glandulis convenientibus; in media quaque macula punctum parvum, paulo obscurius; maculae in eminentiis exiguis vel in lacunis non altis, unde superficies iniqua est; color clare flavus. Pars interior quoque flavedinis inter glandulas clare flava est et albedinem multo crassiorem, pure albam tangit.

Odor proprius; sapor aromaticus, subamarus.

+ Cortex Fructus Granati.

Cortex Granatorum.

Pericarpium quod praebet Punica Granatum, Linn. Sp. Pl. 472.

Cortices quodammodo repressi, semiglobosi fructuum plerumque per longitudinem persectorum vel partes eorum minores; diametro sunt centimetrum ad 5, crassi millimetra ad 5; duri, satis fragiles. In basi plerumque reliquiae pedunculi. In apice reliquiae receptaculi crassi, in tubi formam excreti, fere centimetrum 1 alti, centimetrum ad 1,5 lati, cuius margo enormiter fractus, superficies interior e fusco rubra et obducta est cicatricibus, saepe etiam reliquiis staminum multorum; in fundo cavi inde

facti saepe reliquiae cylindricae styli. Superficies corticis exterior quodammodo aspera iniquitatibus parvis, rubrofusca vel flavofusca. Superficies interior flava, imprimis in parte superiore cristis introrsum prominentibus, reliquiis saeptorum et placentorum; etiam vestigiis seminum impressis tota divisa in loculos quadrangulos ad sexangulos, marginibus acutis inter se separatos, quibus in vestigiis impressis saepe passim semina; fractura aspera, granosa, colore flavo quo est sulfur.

Odor nullus; sapor valde adstringens.

Ad usum semina removeantur.

+ Cortex Granati.

Cortex radicis et stirpis quae praebet Punica Granatum, Linn. Sp. Pl. 472.

Cortex radicis: frusta canaliculata, interdum satis plana formae diversissimae et enormis, vel tubi; centimetra ad 7 longa, lata centimetra ad 2,5, cortice crasso millimetra ad 3; dura et fragilia. Superficies exterior flavofusca, nonnullis locis strato subereo desquamato, unde frustorum maiorum superficies iniqua est; strato subereo abraso, clare fusca, non viridia. Superficies interior magis subflavida, saepe striis directis coloris obscurioris,aspera propter eminentias striatas quoque directas. Cortex transverse persectus pallide flavus, ambigue tenuiter radiatim striatus. Fractura transversa pallide e fusco flava, aequa, non nitida, farinacea.

Cortex stirpium et ramorum: tubi crebriores quam frusta canaliculata, centimetra ad 15 longi. Superficies exterior griseofusca, per longitudinem rugosa, multis lenticellis in longitudinem extentis, saepe enormiter in ordinibus per longitudinem positis, flavofuscis, plerumque plus minusve

obsita lichenibus et punctis parvis, nigris, thalamiis lichenum vel fungorum; strato subereo prudenter abraso, stratum flavidoviride apparet. Superficies interior minus aspera est.

Microscopia pulveris. Stellulae e crystallis diametro fere 10 μ, soluta vel in cellulis parenchymaticis brevibus, leptotichis, coloris expertibus, stellulas singulas continentibus, positis in ordinibus directis, qui alternantur ordinibus cellularum stellularum e crystallis expertium. Amyli grana soluta vel amylum adest in cellulis parenchymaticis crystallorum expertibus; grana plerumque simplicia, subglobosa vel oblonga, diametro ad 10 μ; nucleus centralis et strata parum conspicua; interdum grana composita, diadelpha ad tetradelpha. Cellulae sclerenchymaticae, ad 400 μ longae, latae ad 200 μ, formae diversissimae et saepe enormis, multae quodammodo fusiformes, extremitatibus acutis; membranae admodum tumefactae, stratis et scrobiculis altioribus praeditae; lumen saepe exiguum. Praeter has cellulas sclerenchymaticas magnas, praesertim cum cortex radicis adest, quoque paulo minores, magis bacillis similes, extremitatibus obtruncatis. Cellulae suberosae coloris fere expertes, desuper visae quinquangulae ad sexangulas, membrana scrobiculata; a latere visae membrana exteriore admodum tumefacta; cellulae suberosae et strata tumefacta interiora soluta simul semper adsunt. Crystalla simplicia rara.

Sapor adstringens, subamarus.

Corticis Granati pulveris grammatum 250, per aquae centimetra cubica 25 et acidi hydrochlorici diluti guttas 2 per horam maceratorum, filtrata coloris sint clare flavi, addito chloreto ferrico colorem e caeruleo nigrum trahant, addita aquae calcis quantitate quintuplici mixta praebeant ex aurantiaco rubra, e quibus mox flocci eiusdem coloris deponuntur, quo facto liquor supra positus colorem amittit.

Cortex Granati alcaloideorum contineat non minus quam partis centesimae partem quartam (0,25). Alcaloideorum quan-

tum contineat, ita statuitur: In lagena sicca aetheris centimetra cubica 100 conquassa cum Corticis Granati in pulverem (B_{40}) redacti grammatis 12, quibus adde mixta solutionis hydratis natrici centimetra cubica 6 et aquae centimetra cubica 18; fortiter et frequenter per horae partem dimidiam conquassata fac desidant per horas 6; solutionis alcaloideorum aethereae clarae quam plurimum defunde, cum pulveris tragacanthae grammatis 2 conquassa, solutorum centimetra cubica 50 defunde; his adde Sulfodimethylamidoazolenzolatis natrici (1 = 1000) guttas 5 et, frequenter fortiterque conquassans, acidi hydrochlorici centinormalis tantum, ut liquor aquosus manifestum et constantem colorem rubrum trahat; acidi quantitatem excedentem per alcali centinormale retrotitra. Acidi centinormalis centimetra cubica non minus quam 10,2 adhibita sint. Acidi centinormalis coniuncti centimetra cubica singula alcaloideorum milligrammata 1,47 indicant.

Cortex Granati combustus cineris ne minus quam partes centesimas 8 neve plus quam 15 relinquat.

Loco Corticis Granati ex Europa Meridionali oriundi, supra descripti, in India Orientali Nederlandica licet adhiberi corticem ibi collectum (*koelit delima*), qui plerumque frustis et rasura constat. Ne tamen neglegatur in Cortice Granati Indico, praesertim qui e Punica Granatum fl. albo paratus est, multo plus alcaloideorum partium centesimarum, plerumque fere 2, inesse. In patria nostra corticem Indicum dispensari non licebit nisi expressis verbis praescriptum erit.

Cortex Rhamni Frangulae.

Cortex stirpium et ramorum quae praebet Rhamnus Frangula, Linn. Sp. Pl. 193.

Tubi longitudinis diversae, lati centimetra ad 2, cortice millimetra ad 2 crasso; fragiles, ab altera vel ab utra-

que parte voluti; foraminibus nonnullis ubi rami fuerunt. Superficies exterior tenuiter transverse rugosa, interdum obsita lichenibus, e subgriseo vel e subnigro fusca, abrasis stratis subereis extremis, obscure rubra; lenticellae multae, plerumque transverse extentooblongae, nonnullis marginibus parvis, eminentibus, coloris clari, transverse in axe longiore positis. Superficies interior tenuiter striata, non nitide badia vel aurantiaca, ammonia liquefacta, cerasina. Fractura transversa enormis, pars interior fibris quodammodo crassis.

Odor nullus; sapor subdulcis, simul subamarus. Cortex Rhamni Frangulae salivae colorem flavum impertit.

Cortex Rhamni Frangulae non recentior adhibeatur quam qui per annum 1 postquam collectus est, servatus erit.

+ Cortex Rhamni Purshianae.

Cascara Sagrada.

Cortex stirpium et ramorum quae praebet Rhamnus Purshiana, DC. Prod. II. 25.

Frusta plana vel quodammodo canaliculata, a stirpibus et ramis aetatis diversissimae oriunda, raro tubi voluti; longitudinis diversae, lata ad centimetra 5, cortex millimetrum 1 ad 7 crassus est; satis fragilis, cum frangitur pulverem spargit. Superficies exterior rimis directis, quodammodo sinuosis et saepe lenticellis conspicuis, transverse extentis, coloris clarioris; multis locis obsita est muscis, praesertim lichenibus saepe magnum spatium occupantibus, nonnunquam praeditis apotheciis conspicuis; color rubrofuscus ad griseofuscum, at magnam partem albus propter lichenes. Superficies interior glabra, nonnunquam vel quodammodo levis, striis tenuibus, directis, coloris clarioris; color rubrofuscus, nonnunquam admodum obscure, sed multo quoque clarius

ad flavofuscum; superficiei ammonia madefactae color obscure rubrofuscus fit. Fractura transversa satis aequa, pars extrema clare flavofusca, intima paulo obscurior, fibris crassis. In fracturae transversae parte extrema parvae maculae paulo obscuriores, in parte intima interdum striae radiatae nonnullae.

Microscopia pulveris. In multis telae frustulis pigmentum flavum, quod in hydrate chlorali solvitur. Cellulae parenchymaticae, forma plus minusve oblonga, satis diversa; membranae plerumque tenues, nonnunquam collenchymatis more tumefactae, semper coloris expertes; in pluribus huius modi cellulis stellulae e crystallis. Interdum radii medullares transversi aliam telam percurrunt. Fasciculi fibrarum longissimarum vel earum frustorum; fibrarum membranae crassissimae, coloris expertes, scrobiculis altioribus conspicuis; lumen tenuissimum. Hi fibrarum fasciculi circumdari solent vagina fibrarum crystallinarum, pachyticharum, in cellulas divisarum singulas singula crystalla quadrata continentes; quarum fibrarum crystallinarum membranae quia, cum cortex in pulverem redigitur, plerumque franguntur crystallis remanentibus, fasciculi fibrarum pachyticharum undique crystallis obsiti esse videntur. Crystalla simplicia, separata et stellulae e crystallis. Corpuscula clare fusca, plus minusve oblonga, massae cellulis inclusae cellularum suberosarum. Cellulae suberosae, prismata quinquangula ad sexangula, compressa; membranae tenues, coloris expertes; continent massam aequabilem, clare fuscam, supra iam memoratam. Nidi sclerenchymatis, massae magnae, obscurae, admodum conspicuae, quas diligenter spectanti (hydras chlorali) cellulis sclerenchymaticis constare apparet; nonnullae quoque cellulae sclerenchymaticae separatae. Cellulae sclerenchymaticae enormiter oblongae, forma diversa, extremitatibus obtusis; membranae admodum crassae, coloris fere expertes, scrobi-

culis altioribus; lumen minimum. Amyli satis multum; grana parva, globosa, plerumque satis multa in nonnullis cellulis parenchymaticis.

Odor acidulus; sapor acer et amarus.

Cortex Rhamni Purshianae non recentior adhibeatur quam qui per annum 1, postquam collectus est, servatus erit.

Pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 10 relinquat.

+ Cortex Simarubae.

Cortex radicis quem praebet Simaruba amara, AUBL. Pl. Gui. II. 860.

Fasciae vel frusta per longitudinem complicata vel tubi compressi, longitudinis diversissimae, interdum decimetrum complurium, latitudinis centimetrum ad 6, cortice millimetrum 1 ad 6 crasso; levia, lenta, admodum fibrosa. Superficies exterior plerumque tota vel partim strato subereo nudata est, itaque rarioribus vel pluribus iniquitatibus directis, e silaceo fusca, interdum quodammodo fibrosa; ubi stratum subereum adest, obscurius griseofusca. Superficies interior fibris crassis, clarissime e silaceo fusca. Fractura transversa, praesertim in parte interiore, fibris crassis et longis, eiusdem coloris ac superficies interior. Cortex transverse persectus, madefactus, striis radiatis, subfuscis, conspicuis; quae striae in parte intima paulo latiores et densissimae, plerumque in obliquum et plus minusve curvatae extrorsum ductae sunt, paulatim extenuantur, superficiem exteriorem non attingunt.

Odor nullus; sapor valde amarus.

+ Cortex Syzygii.

Cortex quem praebet Eugenia Iambolana, LAM. Encyc. III. 198, (Syzygium Iambolanum DC. Prod. III. 259).

Frusta plana vel quodammodo canaliculata, ad centimetra 15 longa, lata ad 7, crassa ad 2, levia, lenta, a lateribus fibrosa, saepe nudata squamis corticalibus in parte exteriore positis. Superficies exterior, ubi squamae corticales adsunt, aspera, rimis maioribus et minoribus, directis et transversis, clare fusca, interdum enormibus maculis clarius flavofuscis; ubi squamae corticales remotae sunt, superficies magis est aequa, rubrofusca, quodammodo per longitudinem striata. Superficies interior satis aequa, striis tenuibus, directis, rubrofusca ad nigrofuscam. Fractura transversa fibris crassis cum assulis ad granosam. Cortex transverse persectus, ubi squamae corticales adsunt, per lineam enormiter fractam divisus est in partes duas, quarum exterior obscurius fusca (squamae corticales), interior clarius rubrofusca; in utraque maculae dispersae, enormiter suborbiculares, coloris clarioris; praeterea, imprimis in parte interiore, plurima puncta parva, tenuissima, obscuriora, quae striaturam tenuissimam, quodammodo enormiter tangentialem efficiunt. Ubi squamae corticales remotae sunt, in cortice persecto tantum stratum interius, clarius adest.

Eugenia Iambolana in India Orientali Nederlandica inter alia nomine *djamblang* vocatur.

Odor nullus; sapor subadstringens.

+ Cortex Viburni prunifolii.

Cortex quem praebet Viburnum prunifolium, LINN. Sp. Pl. 268.

Fasciae et frusta plus minusve canaliculata et tubuli

longitudinis diversae, cortice crasso ad millimetrum 1,5, sed magnam partem multo tenuiore; frusta crassiora fragilia sunt, tenuiora lentiora. Superficies exterior obscurius vel clarius griseofusca; frustorum tenuiorum magis levis, quodammodo subviolacea, lenticellis oblongis, transverse extentis; frustorum crassiorum magis rimis praedita, praesertim enormiter directis, interdum obsita lichenibus et fungis. Superficies interior plus minusve aspera et per longitudinem striata, coloris clare rubrofusci, saepius ligni albi squamis praedita. Frustorum crassiorum fractura transversa aspera; pars exterior desquamata in laminas, obscurior; pars interior coloris clarioris, scrobiculis grossis, enormiter dispersis, vel lacunis cum illis convenientibus, e quibus tela soluta est.

Odor tenuis; sapor subadstringens, subamarus.

Crocus Martis.

Solve

Sulfatis ferrosi partes centum 100

in

Aquae ebullientis partibus quadringentis . . 400

His, si opus erit, adde acidi sulfurici diluti guttas nonnullas dum liquor clarus sit.

Haec soluta, fortiter agitans, infunde in solutas claras, calidas

Carbonatis natrici partes centum quindecim . 115

in

Aquae partibus quadringentis. 400

Liquor reactionis alcalinae fac subsidat; liquorem supra sedimentum exstantem defunde; hoc aqua calida misce; fac iterum subsidat; pro remota aquam recentem infunde atque eodem modo perge, dum aquae centimetra cubica 5, per

acidum hydrochloricum dilutum acida facta, non amplius addito nitrate barytico statim turbentur. Sedimentum panno impone, fortiter exprime, in frusta parva divide, quae leni calore siccentur, siccata in pulverem redigantur.

Pulvis rubrofuscus ad flavofuscum, qui in acido hydrochlorico, dioxydum carbonicum emittens, in liquorem clarum solvitur, qui, addito cum ferrocyaneto tum ferricyaneto kalico, praecipitatum caeruleum deponit.

Crocus Martis in acido hydrochlorico diluto (1 = 100) solutus addito nitrate barytico ne statim turbetur; quorum solutorum centimetrum cubicorum 10 cum acido nitrico concoctorum et ammoniae quantitate excedenti mixtorum filtrata coloris expertia sint; iis, quae de filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Quae de aquae centimetrum cubicorum 10 cum Croci Martis grammate 1 conquassatorum filtratis evaporatis supererunt, ponderari nequeant.

Decocta.

Decocta ita parentur ut elementa, minuta quantum opus erit, potissimum in patina porcellanea vel lapidea, operculo clausa, aqua frigida, quanta sufficiat, superfundantur, calefiant dum ebulliant, nec aliquamdiu ebullire desinant.

Quamdiu ebulliant necesse sit pendet ex elementis unde decoctum parandum est; ita ebulliant per horae partem duodecimam Carrageen et Semen Lini, per horae partem quartam Radix Senegae, Folia Uvae ursi, Fructus Hordei decorticati, per horae partem dimidiam Cortex Chinae, Cortex Condurango, Cortex Rhamni Frangulae, Cortex Granati, Cortex Simarubae, Radix Calumba, Lichen Islandicus.

Ebulliendi fine facto statim coletur, praeter decoctum Corticis Condurango, quod prius refrigescat.

Nisi alia ratio praescripta neque medicamentum valentius erit, ad colaturam partium 100 sumantur elementi partes 10, praeterquam

Carrageen cuius pars una cum dimidia . . . 1,5
Seminis Lini cuius partes tres 3
Radicis Senegae cuius partes quattuor 4
Radicis Chinae cuius partes sex 6
Fructuum Hordei decorticati quorum partes octo 8

sumantur.

+ Decoctum Cornus Cervi compositum.

Decoctum album Sydenhami.

Concoque per horae partem dimidiam

Cornus Cervi minutim concisi partes octo . 8

cum aquae quantitate, quanta sufficiat.

His adde

Micae Panis siliginei albi siccatae et in pulverem grossum redactae partes decem . . 10

quas iterum per horae partem duodecimam coquas.

Cola et colaturae, quae

partium nonaginta. 90

sit, adde

Sirupi simplicis partes decem 10

+ Elaeosacchara.

Misce Olei volatilis guttam unam Pulveris Sacchari grammatis duobus.

Elaeosacchara ex tempore parentur.

+ Electuarium Sennae compositum.

Electuarium lenitivum.

Concoque

Prunorum partes triginta 30

cum aqua dum mollescant. Remove nucleos et massam per cribrum saetosum pertere.

Depse

Pulpae Tamarindorum crudae partes triginta . 30

cum aquae quantitate, quanta sufficiat, quas quoque per cribrum saetosum perteras.

Misce pulpas ita paratas

Glycerini partibus decem 10

Pulveris Sacchari partibus viginti quinque . 25

Pulveris Foliorum Sennae partibus decem . . . 10

Mixtas per horae partem dimidiam in balneo aquae calface; si opus erit, adde aquam ebullientem dum efficiantur

partes centum 100

+ Elemi.

Resina oleifera quam praebent variae species generis Canarii, in Archipelagi Malaici parte orientali, insulis Philippensibus inclusis, e stirpibus veteribus incidendo collecta; illic *getah kenari* dicitur.

Massa unguinosa, nitoris pinguis, extra coloris pallide citrini, intra albidi. Odor valde aromaticus, subcitrinus; sapor aromaticus, subamarus.

Elemi in spiritus quantitate decemplici calefactum, exceptis paucis quisquiliis, solvatur.

Elemi grammate 1 cum aetheris petrolei centimetris cubicis 20 conquassato, si liquoris aetherei centimetra cubica 10 caloris gradu non plus quam 60° evaporata erunt, residuum odoris valde aromatici, spisse liquidum, neve milligrammatum minus quam 200 sit.

Emplastra.

Emplastra, nisi aliter praescriptum erit, in balneo aquae parentur.

Massa emplastri quam maxime aequalis redigatur in formam cylindricam.

Emplastra charta paraffinata involuta serventur; quae elementa volatilia continent, insuper in lagenis et tubis aeneis clausis.

+ Emplastrum adhaesivum.

Collemplastrum.

Calface in balneo arenae, agitans,

Gummi elastici partes decem 10

et

Adipis Lanae partes viginti 20

dum mixta aequalia sint.

His quodammodo refrigeratis adde

Emplastri Oxydi plumbici partes septuaginta . 70

et in balneo aquae, agitans, calface dum massa aequalis sit.

Emplastrum subgriseum, valde adhaerens.

+ Emplastrum aromaticum.

Una liquefac

Cerae flavae partes triginta sex 36

et

Adipis suilli partes viginti quinque 25

His satis refrigeratis adde

Olibani in pulverem (B_{30}) redacti partes duodeviginti 18

Caryophyllorum in pulverem (B_{20}) redactorum partes novem. 9

Olei Myristicae partes septem 7

Terebinthinae laricinae partes quattuor 4

Olei Menthae piperitae partem unam 1

Emplastrum fuscum, odoris aromatici, quod, calore non adhibito, facile depsitur.

+ Emplastrum Cantharidum.

Emplastrum vesicatorium.

Una liquefac

Cerae flavae partes viginti quattuor 24

Colophonii partes viginti quattuor 24

Olei Sesami partes septem 7

His satis refrigeratis adde

Pulveris Cantharidum ante per calcem vivam siccati partes triginta quattuor. 34

Mixta, assidue agitans, digere per horas 6, quo facto admisce

Terebinthinae laricinae partes undecim 11

Emplastrum e subviridi nigrum, quod, calore non adhibito, facile depsitur.

Emplastrum gummosum.

Agitans calface

Ammoniaci in pulverem (B_{30}) redacti partes octo 8

Galbani in pulverem (B_{20}) redacti partes octo 8

Terebinthinae laricinae partes sex 6

Si opus erit, ut massa aequalis paretur, his adde parvam quantitatem olei terebinthinae, deinde commixtas, liquefactas et paulum refrigeratas,

Emplastri Oxydi plumbici partes septuaginta . 70

et

Cerae flavae partes octo 8

Emplastrum flavum, durum.

Emplastrum Hydrargyri.

Contere

Hydrargyri partes viginti quinque 25

et

Adipis Lanae partes quinque 5

dum globuli metallici non amplius conspicui sint.

His paulatim adde commixtas, liquefactas et paulum refrigeratas,

Emplastri Oxydi plumbici partes sexaginta . . 60

et

Cerae flavae partes decem 10

Emplastrum e caeruleo griseum, durum.

In Emplastro Hydrargyri extento nulli globuli hydrargyri conspicui sint.

Emplastrum Hydrargyri contineat hydrargyri partes centesimas non minus quam 24.

Quantum insit, ita statuitur: Emplastri Hydrargyri gramma 1 et Chloroformi centimetra cubica 20 in balneo

aquae calface per horae partem dimidiam, liquorem defunde. Idem bis itera per chloroformi centimetra cubica dena (10). Hydrargyrum caloris gradu 100° sicca et refrigeratum pondera. Pondus ne sit minus quam milligrammatum 240.

Hydrargyrum secretum isdem puritatis legibus satisfaciat, quibus Hydrargyrum.

Emplastrum Oxydi plumbici.

Emplastrum Diapalmae.

Commisce partes totidem

Oxydi plumbici in pulverem (B_{40}) redacti,
Aquae,
Adipis suilli,
Olei Olivarum.

Mixtas, frequenter agitans, calface et interdum aquae quantitates parvas adde dum oxydum plumbicum totum iunctum sit neque amplius emplastri massae quantitas parva, sub aqua malaxata, digitis adhaereat. Emplastrum malaxans aqua elue et in balneo aquae calefaciens sicca.

Emplastrum album ad flavoalbum, durum, odoris non rancidi, in quo particulae oxydi plumbici conspicuae ne sint.

Emplastrum Oxydi plumbici, calefactum, in sulfidi carbonici partibus 10 solvatur.

+ Emplastrum saponatum.

Una liquefac

Emplastri Oxydi plumbici partes septuaginta quinque. 75

et

Cerae flavae partes decem. 10

His adde

Saponis medicati partes decem 10

et, cum massa satis refrigerata erit,

Camphorae partes duas 2

contritas cum

Olei Sesami partibus tribus 3

Emplastrum flavoalbum, camphoram redolens.

Emulsa.

Emulsa e seminibus, nisi alia ratio praescripta erit, ita parentur ut seminis decem partes adhibeantur in emulsorum partes centum.

Amygdalae ante epispermio liberentur.

Emulsa oleosa, nisi aliter praescriptum erit, ex oleo et e Pulvere Gummi arabici parentur, ita ut olei pondus duplex sit, vel si Oleum Ricini adhibetur, triplex.

Nisi alia ratio praescripta erit, olei partes decem adhibeantur in emulsorum partes centum.

Si emulsum oleosum (mixtura oleosa) praescriptum erit, paretur ex Oleo Amygdalarum.

+ Eugenolum.

$C_6H_3.C_3H_5.OCH_3.OH.1,3,4.$

Elementum primarium Olei Caryophyllorum et Olei Foliorum Cinnamomi.

Recens paratum est liquor coloris fere expers, qui aere paulatim flavescit, denique colorem rubrofuscum trahit. Odor proprius, tenuior quam olei caryophyllorum; sapor acriter

aromaticus. Pondus specificum 1,072 ad 1,074. Caloris gradu fere 252° ebullit. Eugenoli gutta 1 in aquae centimetris cubicis 30 soluta odoris caryophyllorum puri sit.

Eugenoli guttae 3 in spiritus centimetris cubicis 5 solutae, addito chloreto ferrico, colorem indici trahunt, qui color paulatim in viridem transit, deinde pallescit. Eugenoli guttis 5 cum aquae calcis centimetris cubicis 10 conquassatis, flocci secernuntur. Eugenoli centimetro cubico 1 aquae centimetris cubicis 20 et solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 4 mixto, liquor exsistat tantum leviter turbidus, flavus. Eugenolum, addito spiritu vel aethere vel acido acetico concentrato pro qualibet portione, mixta clara praebeat, in spiritus diluti voluminibus 2 solvatur.

Eugenoli guttae 5, cum aquae centimetris cubicis 10 concoctae, chartam exploratoriam caeruleam ne reddant rubram; liquor, refrigeratus, filtratus, addito chloreto ferrico, griseoviridis, ne vero caeruleus fiat (*phenolum*).

Extracta.

In extractis parandis, nisi aliter praescriptum erit, hae valent normae.

Elementa per aquam extrahuntur macerando aut infundendo, per spiritum et per aethera extrahuntur percolando.

Infusa per aquam parata statim ad caloris gradum 90um calefiant et desidendo atque colando purgentur; colata caloris gradu non plus quam 90° ad pondus elementi adhibiti evaporanda sunt. Quo facto liquor per horas 24 loco frigido seponatur, deinde coletur et caloris gradu indicato ad spissitudinem requisitam evaporando redigatur. Si inter evaporationem in superficie cuticula exsistet, assidue agitandum erit.

Evaporari quoque potest, aere extenuato, in apparatu idoneo calefaciendo.

Percolatur hoc modo: Elementi, minuti quomodo praescriptum erit, partes 3 madefac liquoris, per quem percolatur, partibus 2, mixta per cribrum ($A_{1,5}$) contere, contrita per horas 12 in vase clauso macera. Massam saepius leviter premens in percolatorem inmitte et liquoris, per quem percolatur, tanta quantitate perfunde, ut liquor defluere incipiat et massa liquoris strato tenui operta sit. Percolatore clauso sepone per horas 24. Liquor fac stillatim defluat et massam tam diu liquore, per quem percolatur, perfunde, ut liquor propemodum coloris expers defluat.

Liquor, hoc modo vel per spiritum macerando paratus, destillando aut caloris gradu non plus quam 90^0 evaporando aut aere, ut supra indicatum est, extenuando spiritu liberetur et ad spissitudinem requisitam redigatur. In extractis liquidis, spirituosis tantum percolata prius parata evaporentur et quae de evaporatis supererunt, cum ponderis requisiti erunt, in percolatis prius collectis solvantur.

Extracta sicca facile in pulverem redigenda sunt.

In Extractis spissis aquae partes centesimae ne plus quam 20 insint, in siccis ne plus quam 6. Quantum insit, statuitur extracti grammate 1, in stratum tenue extento, caloris gradu 105^0 siccando ad pondus constans.

Extracti grammatum 2 cinere una cum acidi hydrochlorici centimetris cubicis 3 per horae partem sexagesimam concocto, filtrata liquoris ita parati, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutent, nec magis deinde additis acetatis natrici grammatis 2.

Extracta a luce remota et, si elementa volatilia continent, in lagenis bene obturatis serventur.

Extractum Aloes.

Solve calore adhibito

Aloes partes centum 100

in

Aquae partibus quingentis 500

soluta agitans infunde in

Aquae partes quingentas 500

Liquorem loco frigido per horas 24 sepone; deinde cola et colata evapora ad extractum siccum.

Extractum Aloes, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet clarum, saporis prius dulcis, postea constanter amari, qui, addito spiritus pari volumine, clarus esse pergit.

Extracti in aqua (1 = 10) soluti gutta 1 aquae centimetris cubicis 5 et sulfatis cuprici gutta 1 mixta, liquor exsistit flavus, qui, addito aquae laurocerasi centimetro cubico 1, colorem trahit a cerasino ad purpureorubrum.

Extractum Belladonnae. F. I.

Percola

Folia Belladonnae in pulverem (B_{10}) redacta

per

Spiritum dilutum

dum liquor defluens alcaloideis liber sit, id quod ita statuitur: Commixtis aetheris centimetris cubicis 3 et ammoniae guttis 5 cum liquoris defluentis centimetris cubicis 2 fortiter conquassatis, ea, quae de liquoris aetherei centimetris cubicis 2 evaporatis supererunt, soluta in acidi sulfurici diluti gutta 1, additis aquae guttis 5, liquorem praebeant, qui addita iodeti kalicohydrargyrici gutta 1 manifesto turbetur.

Percolata caloris gradu non plus quam 80° evapora ad extractum spissum.

Extractum Belladonnae, addita aqua (1 = 10), liquorem

praebet turbidum, saporis subamari, qui, addito spiritus pari volumine, non plane clarescit.

Si Extracti Belladonnae milligrammata 100 aquae centimetris cubicis 2 mixta, liquor filtratus cum aetheris centimetris cubicis 10 conquassatus, liquor aethereus cum mixtis aquae centimetris cubicis 5 et ammoniae guttis 2 conquassatus erit, liquor aquosus manifesto fluorescat.

Extractum Belladonnae aquae partes centesimas 10 ad 15 et alcaloidei non minus quam partes centesimas 1,15 contineat.

Alcaloidei quantum contineat, ita statuitur: Extracti grammata 3, additis acidi sulfurici diluti guttis 3, in aqua solve ad volumen centimetrum cubicorum 20, filtra, filtratorum centimetra cubica 10 cum aetheris centimetris cubicis 30 et ammoniae centimetris cubicis 4 per horae partem sexagesimam conquassa; deinde additis pulveris tragacanthae grammatis 3, iterum fortiter conquassa, quo facto de liquoris centimetris cubicis 20 (= extracti grammate 1) aethera destilla. Iis, quae supererunt, in spiritus guttis nonnullis solutis adde acidi centinormalis centimetra cubica 10 et, additis haematoxylini guttis 2, acidi quantitatem excedentem retrotitra per alcali centinormale, cuius ne plus quam centimetra cubica 6 requirantur. Acidi centinormalis coniuncti centimetra cubica singula alcaloidei milligrammata 2,89 indicant.

Extracti Belladonnae amylo oryzae mixti sicci copia servetur licet, quod mixtum paratum sit extracti parte 1 amyli partibus 2 deterenda, mixtis caloris gradu non plus quam 80° siccandis et amyli oryzae exsiccati tanta quantitate miscendis, ut paratae sint partes 3.

Doses maximae singulae milligrammatum 20.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 80.

+ Extractum Calumba.

Percola

Radicem Calumba in pulverem (B_{10}) redactam

per

Spiritum dilutum

et percolata evapora ad extractum spissum.

Extractum Calumba, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, saporis peramari, qui, addito spiritus volumine duplici, liquorem praebet clarum.

Extracti milligrammatum 50, acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 3 detritorum, filtrata, additis aquae bromatae guttis 3, colorem valde rubrum trahunt.

Per calcem vivam servandum.

+ Extractum Cannabis indicae.

Percola

Herbam Cannabis indicae in pulverem (B_{10}) redactam

per

Spiritum

et percolata evapora ad extractum spissum.

Extractum Cannabis indicae obscure viride est; in aqua non solvitur, in spiritu, in aethere, in chloroformo, in oleis pinguibus solvitur.

Doses maximae singulae milligrammatum **100**.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum **300**.

+ Extractum Cardui benedicti.

Misce

Herbae Cardui benedicti concisae et contusae partes centum 100

Aquae ebullientis partibus quingentis. 500

Mixta, frequenter agitans, per horas 12 sepone, deinde exprime et massam expressam eodem modo tracta per

Aquae ebullientis partes trecentas. 300

et mixta per horas 6 sepone.

Liquores coniuncti fac desidant, cola, colata evapora ad extractum spissum.

Extractum Cardui benedicti, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, saporis subsalsi et subamari, qui, addito spiritus pari volumine, non clarescit.

+ Extractum Cascarillae.

Misce

Corticis Cascarillae in pulverem (B_{10}) redacti partes centum 100

Aquae ebullientis partibus quadringentis. . . 400

Mixta, frequenter agitans, per horas 24 sepone; deinde exprime et massam expressam eodem modo tracta per

Aquae ebullientis partes trecentas. 300

et mixta per horas 12 sepone.

Liquores coniunctos cola et colata, non amplius purgata, evapora ad extractum spissum.

Extractum Cascarillae, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, saporis peramari, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

+ Extractum Centaurii.

Para ex

Herba Centaurii concisa et contusa

extractum spissum, quo modo Extracto Cardui benedicti praescriptum est.

Extractum Centaurii, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet clarum aut leviter turbidum, saporis peramari, qui, addito spiritus pari volumine, mixta praebet clara.

Extractum Chinae.

Percola

Corticem Chinae in pulverem (B_{30}) redactum

per mixta

Spiritus et **Aquae** volumina totidem

dum liquor defluens non amplius sit saporis amari. Percolata evapora ad extractum siccum.

Extractum Chinae, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, saporis peramari, qui, addito spiritus pari volumine, prorsus aut paene clarescit.

Extractum Chinae alcaloideorum partes centesimas 15 ad 18 contineat.

Alcaloideorum quantum insit, ita statuitur: Extracti in pulverem redacti gramma 1,2 cum aquae centimetris cubicis 10 et aetheris centimetris cubicis 60 conquassa, solutionis hydratis natrici centimetrum cubicum 1 adde, quo facto, frequenter conquassans, per horam sepone; deinde pulveris tragacanthae grammatis 3 additis, iterum fortiter conquassa; de liquoris clari centimetris cubicis 50 (= extracti grammate 1) aethera destilla. Quae supererunt, in spiritus centimetris cubicis 3 solve, acidi hydrochlorici decinormalis centimetra cubica 15 adde, filtra, atque cucur-

bitam filtrumque aquae quantitatibus parvis elue, dum filtrata sint centimetrum cubicorum 50. Acidi quantitatem excedentem, additis haematoxylini guttis 3, retrotitra per alcali decinormale, cuius centimetra cubica 9 ad 10 requirantur. Acidi decinormalis coniuncti centimetra cubica singula alcaloideorum milligrammata 30 indicant.

Extractum Chinae liquidum.

China liquida.

Adde

Corticis Chinae in pulverem (B_{30}) redacti partibus centum 100

mixtas

Aquae partes trecentas 300
Acidi hydrochlorici diluti partes decem 10
Glycerini partes viginti. 20

Diligenter mixtas per horas 24 in vase clauso sepone, in percolatorem inmitte, per aquam percola dum liquoris defluentis guttae 2 additis carbonatis natrici guttis 4 non amplius turbentur.

Percolata statim evapora caloris gradu non plus quam 80^0, dum paratae sint

partes nonaginta. 90

quibus refrigeratis adde

Spiritus partes decem 10

Liquor rubrofuscus, clarus.

Extracti Chinae liquidi centimetrum cubicum 1, aquae centimetra cubica 10, acidi hydrochlorici diluti guttae 2 commixta clara sint.

Extractum Chinae liquidum, spiritus volumine sexies tanto mixtum, praebet liquorem, qui praecipitatum floccosum secernit.

Extractum Chinae liquidum, acidi hydrochlorici diluti volumine dimidio mixtum, praecipitatum abundans deponat album, quod postea colorem rubrofuscum trahit.

Extractum Chinae liquidum alcaloideorum partes centesimas 5 ad 6 contineat.

Quantum insit, ita statuitur: Commixta extracti grammata 5 et aquae centimetra cubica 8 cum aetheris centimetris cubicis 100 et solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 2 per horae partem sexagesimam fortiter conquassa, quo facto, additis pulveris tragacanthae grammatis 4, iterum fortiter conquassa; de liquoris clari centimetris cubicis 80 (= extracti grammatis 4) aethera destilla. Quae supererunt, in spiritus centimetris cubicis 3 solve, acidi hydrochlorici decinormalis centimetra cubica 12 adde, filtra atque cucurbitam filtrumque aquae quantitatibus parvis elue, dum filtrata sint centimetrum cubicorum 50. Acidi quantitatem excedentem, additis haematoxylini guttis 3, retrotitra per alcali decinormale, cuius centimetra cubica 4 ad 5,3 requirantur. Acidi decinormalis coniuncti centrimetra cubica singula alcaloideorum milligrammata 30 indicant.

Extractum Chinae liquidum chinatannatum partes centesimas 7,5 ad 10 contineat.

Quantum insit, ita statuitur: Misce in patella noti ponderis extracti grammata 5 aquae centimetris cubicis 20 et acetatis kalici grammatis 2 et in balneo aquae evapora ad grammata 10. Refrigeratum liquorem superpositum defunde in filtrum, aqua madefactum; quae supererunt, in patella ablue aquae centimetris cubicis 2, quam aquam quoque in filtrum infundes; quae in filtro supererunt, adde iis, quae sunt in patella, in balneo aquae agitans sicca, denique in exsiccatore refrigerata pondera. Chinatannatum sit pondus milligrammatum 375 ad 500.

+ Extractum Colocynthidis.

Macera in vase clauso, frequenter agitans, per horas 24

Fructuum Colocynthidis seminibus liberatorum, concisorum, contusorum partes centum. 100

per

Spiritus diluti partes quingentas 500

Exprime et massam expressam eodem modo tracta per mixtas

Spiritus partes octoginta 80

et

Aquae partes centum viginti 120

Iterum exprime et liquores filtratos et coniunctos evapora ad extractum siccum.

Extractum Colocynthidis coloris est flavofusci, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, saporis peramari, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extracti pars, quae in aqua non solvitur, addita acidi sulfurici vel minima quantitate, colorem trahit obscure rubrum.

Per calcem vivam servandum.

Doses maximae singulae milligrammatum **50**.

Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum **150**.

+ Extractum Condurango liquidum.

Adde

Corticis Condurango in pulverem (B_{20}) redacti partibus centum. 100

mixtas

Spiritus partes sexaginta 60

Aquae partes triginta 30

Glycerini partes quinque 5

Diligenter depse, mixta in vase clauso per horas 24

sepone, deinde massam, saepius leviter premens, in percolatorem inmitte et percola per mixta

Spiritus volumina triginta quinque 35

et

Aquae volumina sexaginta quinque 65

dum paratae sint

partes octoginta 80

Hunc liquorem separatum serva et percolare perge per mixta supra dicta spiritum et aquam, dum ea, quae de liquoris defluentis guttis 20 evaporatis supererunt, in aquae centimetris cubicis 5 soluta, addito tannino non amplius turbentur. Haec percolata evapora ad

partes viginti 20

quas solves in percolatis prius collectis, dum totum pondus sit

partium centum 100

Liquorem per dies 7 loco frigido sepone, deinde filtra.

Liquor clarus, obscure fuscus. Pondus specificum 0,990 ad 0,995.

Extractum Condurango liquidum odoris et saporis est aromatici, reactionis leviter acidae.

Extracti Condurango liquidi centimetri cubici 1, aquae centimetris cubicis 20 mixti et concocti, filtrata parata, postquam refrixerunt, cum calefiunt, turbentur, cum refrigescunt, rursus clarescant.

Extractum Condurango liquidum in balneo aquae evaporatum partes centesimas 18 ad 20 relinquat.

Extractum Filicis.

Superfunde

Rhizoma Filicis in pulverem (B_{10}) redactum atque denuo siccatum

in percolatore

Aethere,

dum liquor defluere incipiat et massa aetheris strato tenui

operta sit. Percolatore clauso, per horas 24 sepone. Quo facto liquor fac stillatim defluat et per aethera percola, dum liquor coloris fere expers defluat. Aetheris quam plurimum destillatione remove; quae supererunt leniter calface, dum, vel refrigerata, aethera non amplius redoleant.

Extractum Filicis spisse liquidum est, coloris obscure viridis, in aqua non solvitur, in aethere solvitur.

Cum extracti milligrammata 25, in aetheris centimetris cubicis 2 soluta, cum commixtis aquae barytae et aquae centimetris cubicis quinis (5) conquassata erunt, e liquoris aquosi filtratis per acidi hydrochlorici quantitatem excedentem praecipitatum floccosum secernitur.

Ante usum extractum agitetur.

Doses maximae singulae grammatum 8.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 8.

Extractum Gentianae.

Macera per horas 24, frequenter agitans,

Radicis Gentianae in discos tenues concisae partes centum 100

per

Aquae partes sescentas 600

Exprime et massam expressam eodem modo tracta per

Aquae partes trecentas 300

Iterum exprime et e liquoribus coniunctis para extractum spissum.

Extractum Gentianae est odoris proprii; addita aqua (1 = 10), liquorem praebet clarum, saporis amari.

Extracti gramma 1, in aquae centimetris cubicis 9 solutum, addito acidi hydrochlorici diluti centimetro cubico 1, praecipitatum secernat, quod, addito spiritu, solvitur.

+ Extractum Granati.

Percola

Corticem Granati in pulverem (B_{20}) redactum

per

Spiritum dilutum

dum liquor defluens coloris fere expers sit.

Percolata ita parata evapora ad extractum siccum.

Extractum Granati, addita aqua (1 = 10), liquorem turbidum praebet saporis adstringentis, amari, qui, addito spiritus volumine duplici, clarescit.

Extractum Granati alcaloideorum contineat non minus quam partis centesimae partes quattuor (0,8).

Alcaloideorum quantum insit, ita statuitur: Solve extracti in pulverem redacti grammata 2,5 in commixtis solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 6 et aquae centimetris cubicis 18; soluta cum aetheris centimetris cubicis 75 fortiter et frequenter conquassa per horae partem dimidiam; additis pulveris tragacanthae grammatis 5, iterum fortiter conquassa et liquoris clari centimetra cubica 60 (= extracti grammata 2) defunde. His adde Sulfodimethylamidoazobenzolatis natrici (1=1000) guttas 6 et, frequenter fortiterque conquassans, acidi hydrochlorici centinormalis tantum ut liquor aquosus manifestum et constantem colorem rubrum trahat; acidi quantitatem excedentem per alcali centinormale retrotitra. Acidi centinormalis centimetra cubica ne minus quam 10,8, ut alcaloidea coniungantur, adhibita sint. Acidi centinormalis coniuncti centimetra cubica singula alcaloideorum millimetra 1,47 indicant.

+ Extractum Helenii.

Macera in vaso clauso, frequenter agitans, per triduum

Radicis Helenii in pulverem ($A_{1,5}$) redactae partes centum 100

per

Spiritus diluti partes trecentas 300

Exprime, filtra, filtrata evapora ad spissitudinem sirupi.

Massam expressam, frequenter agitans, per horas 24 macera per

Aquae partes quadringentas 400

Iterum exprime et massam expressam eodem modo per horas 6 tracta per

Aquae partes trecentas 300

Liquores aquosos, cum desederint, colatos et coniunctos evapora ad spissitudinem sirupi, misce extracto prius parato, evaporatione caloris gradu non plus quam 80^0 para extractum spissum.

Extractum Helenii, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extractum Hydrastis liquidum.

Misce

Rhizomatis Hydrastis in pulverem (B_{30}) redacti partes ducentas 200

Pulveris Acidi tartarici parte dimidia 0,5

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Diligenter depse et mixta per horas 24 in vase clauso sepone; massam saepius leviter premens, in percolatorem inmitte et per spiritum dilutum percola dum paratae sint

partes centum sexaginta 160

Quo liquore separatim servato, per spiritum dilutum percolare perge, dum mixta liquoris defluentis centimetrum cubicum 1 et aquae centimetra cubica 2 addita ammonia non amplius turbentur. Haec percolata evapora ad

partes quadraginta. 40

quas in percolatis prius collectis solves ad solutorum pondus

partium ducentarum. 200

Liquorem per dies 14 loco frigido sepone, deinde filtra.

Quantum de filtratis supersit, in balneo aquae evaporando statue et, si opus erit, spiritus diluti tantum adde, ut quae de evaporatis supererunt, partium centesimarum sint 20.

Liquor fuscoflavus, qui, addito acido nitrico diluto, praecipitatum secernit flavum, crystallinum.

Extractum Hydrastis liquidum hydrastini contineat partes centesimas non minus quam 2.

Quantum insit, ita statuitur: Extracti grammata 5, aquae centimetris cubicis 20 mixta, in balneo aquae evapora ad grammata fere 10. Aquae tantum adde, ut pondus sit grammatum 20; hunc liquorem cum talci grammate 1 conquassatum filtra. Filtratorum centimetra cubica 10 cum aetheris centimetris cubicis 25 et ammoniae centimetris cubicis 3 per horae partes sexagesimas nonnullas fortiter conquassa; deinceps adde aetheris petrolei centimetra cubica 25 et pulveris tragacanthae grammata 2 iterumque fortiter conquassa dum liquor clarus factus sit. De liquoris centimetris cubicis 40 (= extracti grammatis 2) in cucurbitam noti ponderis centimetra cubica 30 destilla; cucurbitam clausam per horas 3 loco frigido sepone; deinde liquorem clarum defunde; in balneo aquae sicca. Hydrastini pondus sit milligrammatum non minus quam 40.

Doses maximae singulae grammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 4.

+ Extractum Hyoscyami. F. I.

Para e

Foliis Hyoscyami in pulverem (B_{10}) redactis extractum spissum quo modo Extracto Belladonnae praescriptum est.

Extractum Hyoscyami, addita aqua (1 = 10), liquorem

praebet turbidum, saporis minime amari, qui, addito spiritus pari volumine, non prorsus clarescit.

Extracti Hyoscyami milligrammatum 100,aquae centimetris cubicis 2 mixtorum, filtratis cum aetheris centimetris cubicis 10 conquassatis, liquore aethereo cum commixtis aquae centimetris cubicis 5 et ammoniae guttis 2 conquassato, liquor aquosus ne fluorescat.

Extracti milligrammatis 200 in aquae centimetris cubicis 2 et ammoniae guttis 10 solutis cum aetheris centimetris cubicis 10 conquassatis, quae de liquoris aetherei altera parte evaporata supererunt, in acidi sulfurici diluti gutta 1 soluta, additis aquae guttis 5, liquorem praebeant, qui addita iodeti kalicohydrargyrici gutta 1 perspicue turbatur; quae de altera parte evaporata supererunt, una cum acidi nitroso-nitrici guttis 2 in balneo aquae calefacta dum vapores acidi non amplius emittantur, additis solutionis hydratis kalici spirituosae guttis 2, colorem trahant violaceum.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 300.

Extractum Liquiritiae.

Para e

Radice Liquiritiae in discos tenues concisa extractum spissum quo modo Extracto Gentianae praescriptum est.

Extractum Liquiritiae, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, saporis puri radicis liquiritiae, qui addito spiritu, mixta praebet non prorsus clara, addita ammonia, clara.

Extractum Liquiritiae contineat glycyrrhizini partes centesimas non minus quam 20.

Glycyrrhizini quantum insit, ita statuitur: Extracti Liquiritiae grammatis 2,5, solutis in commixtis aquae centimetris cubicis 25 et ammoniae centimetris cubicis 2, spiritum adde ad centimetra cubica 50; liquorem, cum desederit, filtra. Filtratorum centimetris cubicis 40 evaporatis ad centimetra cubica fere 10, cum refrixerint, adde acidi hydrochlorici diluti centimetra cubica 5; praecipitatum, in filtrum collectum, elue aquae centimetris cubicis 5, deinde in ammonia solve; soluta evapora et in exsiccatore refrigera. Quae de evaporatis supererunt, non minus sint quam milligrammatum 400.

Extractum Opii. F. I.

Macera, frequenter agitans, per horas 24

Opii in discos tenues concisi partes centum 100

per

Aquae partes quingentas. 500

Fortiter exprime et massam expressam eodem modo per horas 12 tracta per

Aquae partes ducentas quinquaginta. . . . 250

Itérum exprime et liquores coniunctos caloris gradu non plus quam 80° evapora dum paratae sint

partes ducentae 200

Liquorem per horas 24 sepone, deinde filtra et e filtratis para extractum siccum.

Morphini quantum liquor contineat, modo infra indicato statue et, si opus erit, extractum sacchari lactis tanta quantitate misce ut morphini partes centesimas 20 contineat.

Extractum Opii, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet

clarum vel propemodum clarum, perfuscum, saporis peramari, qui, addito spiritus pari volumine, mixta clara praebet.

Morphini quantum Extractum Opii contineat, ita statuitur: Extracti gramma 1,5, solutum in aquae centimetris cubicis 10, in cucurbitam noti ponderis immitte; adde recens mixtorum hydratis calcici et aquae (1 = 20) centimetra cubica 10 et aquae tantum, ut eorum, quae cucurbita continet, pondus sit grammatum 30. Frequenter convertens per horas 3 sepone, deinde filtra et filtratorum grammata 20 (= extracti gramma 1), cum aetheris centimetris cubicis 10 et chloreti ammonici milligrammatis 200, per horae partem quartam assidue conquassata, per horas 24 sepone. Additis aetheris centimetris cubicis 5, liquorem aethereum in filtrum siccum immitte, liquorem aquosum iterum cum aetheris centimetris cubicis 5 converte, quae in idem filtrum immittes. Cum aether transmissus erit, morphini quantum poteris in filtrum collige et cucurbitam filtrumque aqua elue, dum liquoris defluentis gutta 1 phenolphthaleinum non amplius coloret; quod ut fiat aquae centimetra cubica 15 adhiberi licet. Filtrum et ea, quae continet, in cucurbitam immitte et, additis acidi sulfurici decinormalis centimetris cubicis 20, converte dum morphinum solutum sit. Filtra; cucurbitam filtrumque aqua elue dum liquor defluens non amplius reactionis sit acidae; additis haematoxylini guttis 6, acidi quantitatem excedentem per alcali decinormale retrotitra. Acidi coniuncti centimetra cubica singula morphini milligrammata 28,5 indicant.

Per calcem vivam servandum.

Doses maximae singulae milligrammatum **50**.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum **200**.

Extractum Ratanhiae.

Percola

Radicem Ratanhiae in pulverem (A_3) redactam

per

Aquam

quo modo Extracto Chinae liquido praescriptum est, dum liquor defluens coloris et saporis fere expers sit.

Percolata statim nec amplius purgata evapora ad extractum siccum.

Extractum Ratanhiae coloris est rubrofusci; addita aqua calida (1 = 10), liquorem praebet propemodum clarum, saporis acerbi et subamari; qui liquor, dum refrigescit adiaphanus factus, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extractum Ratanhiae in aqua (1 = 50) solutum, addita solutione iodii, caeruleum ne fiat.

Satisne acidi tannici in Extracto Ratanhiae insit, ita statuitur: Extracti grammatis 10, in aqua ebullienti solutis, aquae tantum adde, ut liquoris refrigerati volumen sit centimetrum cubicorum 400. Liquor in lagena obturata, quae fere completa sit, fac desidat per horas 24. Deinde liquorem clarum defunde; huius liquoris centimetra cubica centena (100) infunde in duas lagenas, quae centimetra cubica fere centena vicena quina (125) continere possint; alteri additis pulveris pellis eluti et siccati grammatis 5, lagenas obturatas, frequenter conquassans, sepone per horas 24. Deinde utriusque liquoris per filtra complicata pari diametro centimetra cubica 40 defunde, utrumque filtratum evapora, caloris gradu 100° sicca, refrigeratum pondera. Eorum, quae de utroque filtrato supererunt, pondera ne minus differant quam milligrammata 350.

Per calcem vivam servandum.

+ Extractum Rhamni Frangulae.

Para e

Cortice Rhamni Frangulae in pulverem (A_3) redacto extractum siccum, quo modo Extracto Cardui benedicti praescriptum est.

Extractum Rhamni Frangulae, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet leviter turbidum, coloris obcure flavofusci, saporis subamari, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extracti milligrammatis 50 in aquae centimetris cubicis 5 solutis cum aetheris centimetris cubicis 5 conquassatis, liquor aethereus flavus sit. Quo liquore cum ammoniae centimetris cubicis 3 conquassato, liquor aquosus colorem trahit obscure rubrum.

Per calcem vivam servandum.

Extractum Rhamni Purshianae liquidum.

Extractum Cascara Sagrada liquidum.

Para e

Cortice Rhamni Purshianae in pulverem (B_{10}) redacto

per mixta

Spiritus volumen unum 1

et

Aquae volumina duo 2

extractum liquidum, quo modo Extracto Hydrastis liquido praescriptum est.

Percolare perge dum liquoris defluentis guttae 10, addita ammonia, vix colorem rubrum trahant.

Extractum paratum per dies 6 loco frigido sepone, deinde filtra.

Liquor clarus, obscure fuscoruber.

Extractum Rhamni Purshianae liquidum, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, flavofuscum, saporis amari, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extracti milligrammatis 100, aquae centimetris cubicis 5 mixtis, cum aetheris centimetris cubicis 5 conquassatis, liquor aethereus flavus sit. Quo liquore cum ammoniae centimetris cubicis 3 conquassato, liquor aquosus colorem trahit obscure rubrum.

Extractum Rhamni Purshianae liquidum evaporatum partes centesimas non minus quam 25 relinquat.

Extractum Rhei.

Percola

Radicem Rhei in discos tenues concisam

per mixta

Spiritus et **Aquae** volumina totidem

dum liquor defluens coloris et saporis fere expers sit et percolata evapora ad extractum siccum.

Extractum Rhei, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, obscure flavofuscum, saporis amari, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extracti milligrammatis 10 aquae centimetris cubicis 5 mixtis cum aetheris centimetris cubicis 5 conquassatis, liquor aethereus flavus sit. Quo liquore cum ammoniae centimetris cubicis 3 conquassato, liquor aquosus colorem trahit obscure rubrum.

Per calcem vivam servandum.

+ Extractum Rhei compositum.

Misce ad pulverem aequalem

Extracti Rhei partes sexaginta 60
Extracti Aloes partes viginti 20
Resinae Ialapae partes decem 10
Saponis medicati partes decem. 10

Extractum Rhei compositum, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, obscure griseofuscum, saporis amari, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Per calcem vivam servandum.

Extractum Secalis cornuti. F. I.

Macera, frequenter agitans, per horas 12

Secalis cornuti in pulverem (B_{10}) redacti partes centum 100

per

Solutionis Chloroformi aquosae partes ducentas 200

Exprime et liquorem in balneo aquae calface dum albuminata concreverint.

Massam expressam per horas 6 macera per

Solutionis Chloroformi aquosae partes ducentas 200

Iterum exprime, deinde liquorem calface, quo modo supra indicatum est.

Liquores coniunctos et colatos in balneo aquae evapora ad partes quinquaginta. 50

quibus refrigeratis adde

Spiritus partes centum 100

Post biduum liquorem filtra et evapora ad extractum spissum.

Extractum Secalis cornuti, additis aquae partibus 10,

liquorem praebeat clarum, qui addito spiritus pari volumine ne turbetur.

Extractum Secalis cornuti in aqua (1 = 10) solutum, addito tannino vel chloreto hydrargyrico, praecipitatum abundans secernat, nec minus, additis acidi sulfurici diluti gutta 1 et iodeto kalicohydrargyrico.

+ Extractum Secalis cornuti liquidum. F. I.

Para e

Secali cornuto in pulverem (B_{10}) redacto

extractum liquidum, quo modo Extracto Hydrastis liquido praescriptum est.

Percolare perge dum liquor aethereus, paratus liquoris defluentis centimetris cubicis 2 cum ammoniae centimetri cubici parte dimidia (0,5) et aetheris cubicis 4 conquassandis, acido sulfurico superimpositus ne efficiat stratum confine violaceum intra horae partem duodecimam.

Liquor clarus, obscure ruber. Pondus specificum 0,970 ad 0,980.

Extractum Secalis cornuti liquidum, addito aquae pari volumine, liquorem praebet turbidum, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extracti gutta 1 cum ammonia et aethere conquassata, quomodo supra indicatum est, et liquore aethereo acido sulfurico superimposito, stratum confine colorem trahat violaceum.

Extractum Secalis cornuti liquidum in balneo aquae evaporatum partes centesimas fere 15 relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2.

Iniectionum subcutanearum

Doses maximae singulae milligrammatum 250.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 1.

Extractum Strychni. F. I.

Percola

Semen Strychni in pulverem (B_{20}) redactum et per aethera petrolei pinguedine liberatum

per

Spiritum dilutum

dum ea, quae de liquoris defluentis guttis 2 evaporatis supererunt, additis acidi nitrici guttis 2, non amplius rubescant.

E percolatis para extractum siccum.

Modo infra indicato, quantum alcaloideorum extractum contineat, statue et, si opus erit, extractum pulveris sacchari lactis tanta quantitate misce, ut alcaloideorum insint partes centesimae 16.

Extractum Strychni coloris est flavofusci et, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, coloris clare fusci, saporis peramari, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extracti Strychni milligrammata 5, in acidi sulfurici diluti centimetro cubico 1 soluta, cum in balneo aquae calefiunt, colorem trahunt violaceum.

Alcaloideorum quantum extractum contineat, ita statuitur: Extracti Strychni in pulverem redacti gramma 1,2 inmitte in chloroformi centimetra cubica 60, cum ammoniae centimetris 10 ante conquassata. Frequenter et fortiter conquassa et post horas 3, cura habita ut quam minimum evaporetur, per filtrum siccum filtra. De filtratorum centimetris cubicis 50 (= extracti grammate 1) chloroformum destillatione remove et iis, quae supererunt, in spiritus centimetris cubicis 3 solutis acidi hydrochlorici decinormalis adde centimetra cubica 10. Solutionem alcaloideorum acidam filtra per filtrum, aqua madefactum, et aquae quantitatibus parvis elue, dum liquor defluens neutrius sit reactionis et alcaloideorum expers. In filtratis acidum non

coniunctum, additis haematoxylini guttis 2, retrotitra per alcali decinormale. Acidi coniuncti centimetra cubica singula alcaloideorum milligrammata 36,4 indicant.

Per calcem vivam servandum.

Doses maximae singulae milligrammatum 25.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 50.

+ Extractum Taraxaci.

Contunde

Radicis et Herbae Taraxaci recentium partes centum 100

cum

Aquae partibus quinquaginta 50

Pulti ita paratae adde

Aquae ebullientis partes centum quinquaginta 150

Mixta, assidue agitans, sepone per horas 24, exprime, massam expressam eodem modo tracta per

Aquae ebullientis partes centum. 100

quae mixta sepones per horas 12.

Liquores coniuncti fac desidant, cola, colata ad extractum spissum evapora.

Extractum Taraxaci, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet fere clarum, saporis subamari, qui, addito spiritus pari volumine, quodammodo turbatur.

+ Extractum Trifolii.

Para e

Foliis Trifolii concisis

extractum spissum, quo modo Extracto Cardui benedicti praescriptum est.

Extractum Trifolii, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet fere clarum, perfuscum, saporis amari, qui, addito spiritus pari volumine, quodammodo turbatur.

+ Extractum Valerianae.

Macera in vase clauso, frequenter agitans, per dies 3

Radicis Valerianae in pulverem ($A_{1,5}$) redactae partes centum 100

per

Spiritus diluti partes trecentas 300

Exprime, filtra, filtrata ad spissitudinem sirupi evapora.

Massam expressam superfunde

Aquae ebullientis partibus quadringentis. . . 400

et frequenter agitans, per horas 24 macera.

Iterum exprime et massam expressam superfunde

Aquae ebullientis partibus trecentis 300

et, frequenter agitans, per horas 6 macera.

Exprime, liquores aquosos, cum desederint, colatos et coniunctos ad spissitudinem sirupi evapora, misce extracto prius parato,caloris gradu non plus quam 80° evaporatione para extractum spissum.

Extractum Valerianae, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, perfuscum, saporis subamari, qui, addito spiritus pari volumine, non clarescit.

+ Extractum Viburni prunifolii liquidum.

Para e

Cortice Viburni prunifolii in pulverem (B_{20}) redacto extractum liquidum, quo modo Extracto Condurango liquido praescriptum est.

Liquor clarus, rubrofuscus, odoris aromatici, saporis amari et adstringentis.

Extractum Viburni prunifolii liquidum, addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum, subrubrum, saporis amari et aromatici, qui, addito spiritus pari volumine, clarescit.

Extracti partis 1 aquae partibus 9 mixtae filtrata, addito chloreto ferrico, praecipitatum secernunt obscure viride.

Farina Lini.

Pulvis (B_{10}) siccus, fuscogriseus placentorum lini mollium, pistorum vel molitorum.

Microscopia. Spermodermidis frusta magna, flavofusca, in quibus haec strata deinceps discerni possunt:

1⁰. epidermis membranis exterioribus cellularum admodum crassis, coloris expertibus. In aqua valde tumescunt ut cuticula dirumpatur in frusta marginibus revolutis.

2⁰. cellulae parenchymaticae rotundae, membranis tenuibus, flavis et lacunis intercellularibus triangulis.

3⁰. stratum cellularum fibrosarum, secundum seminis axem longum positarum, membranis crassis, flavis, admodum scrobiculatis et luminibus parvis. Longae sunt non plus quam 250 μ, crassae 10 μ.

4⁰. stratum cellularum fibrosarum, leptoticharum, quae per stratum supra memoratum decussantur.

5⁰. stratum pigmenti constans cellulis quadrangulis, compressis, membranis quodammodo tumefactis, scrobiculorum altiorum plenis; massa cellulae inclusa aequabilis, fusca, angulosa, lumen fere totum implens. In seminibus lini importatis, flavis hoc stratum deest.

Praeterea multa fragmenta minora spermodermidis et nuclei, quae, praeterquam elementis supra nominatis, constant: parenchymate leptoticho, coloris experti endospermii et embryonis, cuius cellulae granis aleuri impletae sunt; multis strati pigmenti massis cellulis inclusis solutis, fuscis, quadranguloorbicularibus; granis aleuri fere globosis, diametro 10 ad 20 μ, plerumque praeditis globoideo globoso 1, diametro 5 μ (in oleo caryophyllorum) et crystallis albuminis 1 vel pluribus, nonnunquam parum conspicuis; granis quoque aleuri diametro 1 ad 2 μ; guttis oleosis non ita multis (in hydrate chlorali); nonnullis granis amyli magnis, separatis, fere globosis, diametro plus minus 15 μ; hic illic granis minoribus (4 μ) inter grana aleuri in cellulis parenchymaticis; amyli eo minore quantitate, quo maturius semen erat tempore messis; amylum nunquam ullius momenti sit.

Odor proprius, nec rancidus nec mucidus.

Farina Lini, additis aquae partibus 10, pultem tenuem, mucilaginosam praebeat, quae, ne diem unum quidem servata, odorem alienum, imprimis sinapinum spargat; liquor inde defusus vel expressus, filtratus, addita solutione iodii, colorem caeruleum ne trahat.

Farina Lini aquae contineat partes centesimas ne plus quam 13, combusta cineris ne plus quam partes centesimas 6 relinquat.

Farina Lini servetur loco sicco neve anno uno diutius.

+ Fel Tauri inspissatum.

Cola

Fel recens Bovis Tauri sani

et colata statim, non agitans, in balneo aquae evapora dum spissitudine sint extracti spissioris.

Fel Tauri inspissatum viridifuscum est et in aqua pro quavis portione solvitur. Ita solutum cum conquassatur, vehementer spumat et reactionis leviter alcalinae est.

Fellis Tauri inspissati milligrammata 10 soluta in aquae centimetris cubicis 10 si furoli (1 = 100) guttis 10 et acidi sulfurici centimetris cubicis 5 miscentur, colorem violaceum trahunt.

Ferrum pulveratum.

Pulvis tenuis, gravis, griseus, quodammodo nitoris metallici.

Ferrum pulveratum gaz odoris exigui, praecipue gaz hydrogenium, emittens in acido hydrochlorico diluto solvitur, quo facto pulveris nigri ne plus quam pars centesima 1 relinquatur.

Ferrum pulveratum in acido hydrochlorico diluto (1 = 10) solutum, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet; quorum solutorum centimetrum cubicorum 5 cum acidi nitrici centimetris cubicis 2 concoctorum et ammoniae quantitate excedenti mixtorum filtrata coloris expertia sint; iis, quae de filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Gaz oriens e Ferri pulverati milligrammatis 100 reagentibus in acidi sulfurici diluti centimetra cubica 10 chartam bibulam, acetate plumbico madefactam, tantum clare fuscam reddat intra horae partem septingentesimam vicesimam.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in liquorem paratum Ferri pulverati milligrammata 100 una cum chloratis kalici milligrammatis 25 in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 5 solvendo atque coquendo chlorii quantitatem excedentem expellendo, chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

+ Ferrum reductum.

Ferrum ope Hydrogenii reductum.

Pulvis tenuis, non nitide griseus, qui demum cum teritur modo metallorum nitescit quique corpore ardenti tactus incandescit neque candere desinit priusquam totus in pulverem nigrum redactus est.

Ferrum reductum gaz odoris exigui, praecipue gaz hydrogenium, emittens in acido hydrochlorico diluto solvitur, quo facto materiei non solutae ne plus quam pars centesima 1 relinquatur.

Ferrum reductum in acido hydrochlorico diluto (1 = 10) solutum, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet; quorum solutorum centimetrum cubicorum 5 cum acidi nitrici centimetris cubicis 2 concoctorum et ammoniae quantitate excedenti mixtorum filtrata coloris expertia sint; iis, quae de filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in liquorem paratum Ferri reducti milligrammata 100 una cum chloratis kalici milligrammatis 25 in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 5 solvendo atque coquendo chlorii quantitatem excedentem

expellendo, chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Ferrum reductum ferri metallici partes centesimas non minus quam 84,6 contineat, id quod ita statuitur: Pulveris milligrammata 100 solve in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 20; permanganatis kalici (1 = 200) tantum adde ut color rubescens non amplius evanescat; permanganatis kalici quantitatem excedentem per spiritus guttas nonnullas, calore adhibito, dissolve; in liquore ita parato, refrigerato, iodeti kalici grammata 2 solve; post horam 1 per thiosulfatem natricum decinormalem titra; cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica ne minus quam 17,1 requirantur.

+ Flores Arnicae.

Flores quos praebet Arnica montana, LINN. Sp.Pl. 884.

Capitula diametro centimetrum ad 6. Receptaculum diametro millimetrum ad 9, planum, postea, in floribus siccatis semper, arcuatum; margo foveolarum praeditus est pilorum brevium corona. Involucrum centimetrum ad 1,5 longum, cylindricum, postea revolutum; foliola 20 ad 24 in coronis 2 posita, lanceolata (extrema) vel linearia (intima), viridia, costa obscuriore, pars exterior et margo pilis multis, inter quos pili capitati breviores, pedicellati, rubri. Flosculi radii, numerus: M = 16,8, Q = 1,5, in corona 1 positi, centimetra 3 longi, feminei, epigyni; pappus albus; corolla ligulata, flava, denticulis 3 in apice, nervis 7 ad 12, tubus cum pilis et pilis glandulosis, limbus exterior pilis raris; staminum rudimenta nulla, vel 3 ad 4 libera, filiformia; pistillum compositum e carpellis 2, stylo 1 longo, stigmatis 2 flavis, reflexis, ovarium fere cylindricum, uniloculare, album, postea obscurius, saetis multis, brevibus,

acutis, sursum versis et pilis glandulosis brevibus; ovulum 1. Flosculi disci: multi, ad 90, millimetra 15 longi, completi, actinomorphi; corolla monopetala, quinqueloba, tubuloso-campanulata, flava; stamina 5, corollae insita, syngenesia, antherae connectivo producto eminenti, compresso, oblongo-triangulo, prius flavae, deinde fuscae; pollen flavum; cetera radii flosculis simillimi.

Odor subaromaticus; sapor subamarus.

Flores Arnicae involucris, receptaculis, fructibus liberati sint.

+ Flores Chamomillae romanae.

Capitula impleta quae praebet species culta herbae Anthemis nobilis, Linn. Sp. Pl. 894.

Diametros centimetrum fere 2. Involucrum semiglobosum; bracteolae imbricatae, virides, margine membranaceo. Receptaculum conicum, intus tela impletum, ramentis membranaceis, coloris expertibus obductum, quae oblongo-obovata sunt, apicem versus serrulata, in parte inferiore pilosa. Flosculi radii creberrimi, feminei, pappi expertes; corolla alba, ligulata, nervis 8. Flosculi disci rari, hermaphroditi, pappi expertes; corolla tubulosa, flava.

Odor valde aromaticus, sapor peramarus.

+ Flores Chamomillae vulgaris.

Capitula quae praebet Matricaria Chamomilla, Linn. Sp. Pl. 891.

Diametros centimetrum fere 2. Involucrum semiglobosum; bracteolae imbricatae, virides, margine membranaceo. Recep-

taculum millimetra 4 ad 5 altum, crassum millimetrum 1,5 ad 2, conicum, cavum, nudum. Flosculi radii varii numero M = 13 aut 21, feminei, pappi expertes; corolla ligulata, denticulis 3, nervis 4, alba. Flosculi disci multi, hermaphroditi, pappi expertes; corolla tubulosa, flava.

Odor proprius, admodum aromaticus; sapor aromatico-amarus.

+ Flores Cinae.

Semen Cinae. Semen Santonici.

Capitula florum nondum aperta quos fert Artemisia Cina, Berg. Darstell. IV. t. 29c, advecta ex Asia Centrali, imprimis e Turcestania.

Millimetra 2 ad 4 longa, crassa ad 1,5, saepe brevipetiolata, cylindrica, quodammodo angulosa, apicem et basin versus obtusa. Involucrum bracteolarum 12 ad 20, dense imbricatarum; bracteolae millimetra ad 2,5 longae, extremae multo breviores et ovales, altiores lanceolatae; apex obtusus; costa, imprimis bracteolarum extremarum, in parte extrema eminens; margo in apice quoque latimembranaceus, nervorum expers; superficies e griseo viridis, postea flavofusca, in parte exteriore partis mediae, non membranaceae, multi pili glandulosi oblongorotundi, sessiles, flavi, praeterea, imprimis in bracteolis extremis, nonnulli pili graciles, torti. Receptaculum gracile, cylindricum, glabrum. In capitulis singulis flores bini (2) ad senos (6), interdum parum exculti, non longiores quam millimetra 2, epigyni, hermaphroditi; pappus nullus; corolla tubulosa, pilis glandulosis obsita.

Microscopia pulveris. Pulvis fragmentis constat omnium partium capitulorum, praecipue bracteolarum involucri;

maxime conspicua sunt haece. Grana pollinis, saepe in columnas oblongas collecta, subglobosa, levia, sinibus 3 introversis. Pili glandulosi constantes tabulationibus 3 ad 4 cellularum binarum et bulla cuticulae, saepe epidermidi coniuncti. Frusta partis mediae bracteolarum involucri, in quibus vasa anularia et spiralia, etiam cellulae sclerenchymaticae, quae interdum longissime extentae sunt, nodosae quoque, membranis subflavidis, scrobiculatis. Frusta marginis membranacei bracteolarum involucri; cellulae prosenchymaticae, leptotichae. Epidermis partis mediae bracteolarum involucri crassioris; cellulae oblongae, membranae laterales tumefactae et per multos scrobiculos altiores monoliniformes; stomata. Partes pilorum, gracilium, tortorum, plerumque unicellularium, leptotichorum. Frustula strati fibrosi thecarum. Amyli fere nihil; hic illic cellulae parenchymaticae rotundae, granulis amyli nonnullis. In solutione hydratis natrici alcoholica in omnibus fragmentis massae clare flavae; quae e pilis glandulosis secreta sunt, vel aurantiaca.

Odor proprius, aromaticus; sapor nauseosoaromaticus, subamarus, refrigerans.

Folia et caules admixta ne sint.

Florum Cinae pulvis combustus cineris ne minus quam partes centesimas 5 neve plus quam 10 relinquat.

+ Flores Sambuci.

Flores quos fert Sambucus nigra, Linn. Sp. Pl. 269, tempestate sicca collecti, celeriter siccati, per cribrum polline liberati.

Flos diametro millimetrum fere 7, bracteolulis 2 mox deciduis, actinomorphus, epigynus. Calix rotatus, limbo quinquepartito; lobi quodammodo trianguli, virides. Corolla

rotata, limbo quinquepartito; lobi ovales, apice obtuso, triplo maiores quam lobi calicini, flavidoalbi. Stamina 5, corollae insita, aeque longa ac lobi corollae; antherae innatae, extrinsecus dehiscentes, flavae. Pistillum compositum e carpellis 3, stylo 1 obtusoconico, stigmatis 3 (saepe 2), sessilibus, nodiformibus; ovarium triloculare, in loculis singulis singula ovula pendentia.

Odor proprius; sapor tenuis, mucilaginosus, paululum amaroaromaticus.

+ Flores Tiliae.

Inflorescentiae quas ferunt Tilia platyphyllos, Scop. Fl. Carn. ed. II. 1. 373 et Tilia cordata, Mill. Gard. Dict. ed. VIII. n. 1.

Descriptio Tiliae platyphylli: dichasium, florum numerus: $\bar{x} = 2{,}7$, in imo pedunculo non raro parva gemma foliifera, simul abscissa; pedunculus centimetra ad 7 longus, non plus quam centimetro 1 a basi bracteam ferens, usque ad longitudinis partem tertiam cum pedunculo in unum coalitam. Haec bractea centimetra ad 10 longa, membranacea, undulate curvata, quodammodo canaliculata, flavoviridis, lanceolata, enormiter penninervis, venis reticulatis, valde conspicuis; apex obtusus, basis acuta, iniqua; margo integer; superficies glabra, tantum in nervis pilis tenuibus. Pedicelli centimetrum ad 1,5 longi, cicatricibus bracteolularum mature deciduarum. Flos diametro centimetrum ad 2, completus, actinomorphus, hypogynus. Calix pentasepalus, rotatus, flavidoalbus; sepala oblonga, apice acuto, carinata, in margine et intra pilosa, in flore recenti mel continentia. Corolla pentapetala, rotata, clare flava; petala longitudinis sesquiplicis sepalorum, lanceolatospatulata, quodammodo ca-

naliculata, in basi tumefacta et mel secernentia, apex acutus et sursum flexus. Stamina multa (30 ad 40) in globis 5 supra petala positis; antherae filamento triangulo vel in brachiola brevia 2 fisso; thecae rimosae, lateraliter dehiscentes. Pistillum compositum e carpellis 5, stylo cylindrico, brevissimo, dum in gemma est, postea millimetra ad 8 longo, stigmate quodammodo quinquelobo; ovarium globosum, quinqueloculare, placentis axillaribus, tomentosum; in loculis singulis bina ovula.

Tilia cordata cum Tilia platyphyllo supra descripta maximam partem convenit; praecipue eo differt quod inflorescentiae flores 5 ad 15 numero sunt.

Odor tenuissime aromaticus; sapor mucilaginosus.

Flores Tiliae ne diutius quam unum annum serventur.

+ Folia Abri.

Folia quae fert Abrus precatorius, Linn. Syst. ed. XII. 472.

Folium imparipinnatum, iugis ad 15, petiolulis brevissimis; in merce venali omnia foliola soluta atque petiolis communibus mixta sunt. Petiolus communis ad centimetra 8 longus, crassus ad millimetri dimidium (0,5), pars superior rimis tenuibus, ubi foliola petiolo affixa sint, admodum conspicuum est; superficies viridis vel flava, pilis raris; pili tenuissimi, appressi, ad petioli apicem versi, cylindrici, recti, apice acuto, albi. Foliola, longitudo: M = millimetra 13,3, Q = 1,5, latitudo: M = millimetra 5, Q = 0,55; oblongolanceolata, penninervia; apex obtusus aculeo parvo; basis obtusa; margo integer; superficies

viridis, pars inferior prorsus eodem modo pilosa, quo petiolus communis; pars superior fere glabra.

Odor nullus; sapor quodammodo penetrans subdulcis, quasi radicis liquiritiae.

In India Orientali Nederlandica Abrus precatorius inter alia nomine *saga* vocatur.

+ Folia Althaeae.

Folia quae fert Althaea officinalis, LINN. Sp. Pl. ed. I. 686, ab herba florenti collecta.

Folium simplex, petiolatum. Petiolus centimetra 2 ad 6 longus, superne paululum compressus. Lamina centimetra 5 ad 10 longa, lata centimetra 3 ad 8; ovata vel cordata, plus minus palmatilobata, lobis 3 ad 5; apex acutus aut obtusus: costa et nervi laterales in parte inferiore valde eminentia; margo enormiter serratus. Superficies petioli et laminae tota griseotomentosa, pilis, quos, per microscopium quinquagies amplificatos, stellarum modo radiatos esse apparet, radiis 2 ad 5.

Odor nullus; sapor mucilaginosus.

+ Folia Anacardii.

Folia quae fert Anacardium occidentale, LINN. Sp. Pl. ed. I. 383.

Folium simplex, petiolatum. Petiolus centimetra ad 2,3 longus, superne aequus. Lamina, longitudo: M = centimetra 12,2, Q = centimetra 2, latitudo: M = centimetra 6,5,

Q = centimetrum 1; aeque extenta, non rugosa, coriacea, rigida; obovata vel ovalis ad oblongam; penninervis; nervi partis inferioris prominentes; nervi laterales, utrimque numero ad 16, cum costa angulum fere rectum efficiunt; apex obtusus, nonnunquam quodammodo emarginatus; basis acuta ad obtusam; margo integer. Superficies glabra, non nitide e griseo viridis, in parte inferiore crebra puncta parva, tenuissima, flavofusca, quinquagies per microscopium amplificata admodum conspicua.

Odor aromaticus, subacer; sapor subadstringens.

In India Orientali Nederlandica Anacardium occidentale inter alia nomine *djamboe monjet* vocatur.

+ Folia Belladonnae.

Folia quae fert Atropa Belladonna, LINN. Sp.Pl. 181, ab herba florenti, quae in patria nostra colitur, collecta.

Folium simplex, petiolatum, non plus quam decimetra 2 longum. Lamina folii siccati tenuissima et fragilissima; oblonga, penninervis; apex paululum acuminatus; basis acuta, in petiolum abiens; margo integer. Superficies: costa, in parte inferiore quoque nervi laterales et nervi minores, praeterea margo in iunioribus saltem foliis subpilosa. Folia siccata, per microscopium spectata, exhibent puncta minima, alba, quae indicant ubi cellulae pulvere crystallino positae sint.

Microscopia pulveris. Parenchyma viride; stratum cellularum columnarium unum. In parenchymate spongiiformi cellulae pulvere crystallino. Innumerabilia, soluta crystalla parva, ex his cellulis orta; pleraque enormiter triangula, angulis acutis; 3 ad 5 μ. Cellulae epidermidis partis inferioris et partis superioris undulatis membranis lateralibus, saepe

striatura cuticulae torta; stomata crebriora in parte inferiore quam in superiore. Pili pluricellulares, glandulosi quoque petiolati, apicibus unicellularibus vel pluricellularibus, in pulvere raro primum locum obtinent. Vasa spiralia. Grana amyli tenuia, columnaria in multis cellulis parenchymatis viridis.

Odor foliorum recentium, contritorum subnarcoticus; sapor subamarus.

Aetheris centimetris cubicis 3 ammoniae guttis 2 mixtis cum Foliorum Belladonnae pulveris milligrammatis 150 conquassatis, deinde filtratis, quae de liquore aethereo evaporato supererunt, in acidi sulfurici diluti gutta 1 soluta, additis aquae guttis 5, liquorem praebeant, qui addita iodeti kalico hydrargyrici gutta 1 manifesto turbatur.

+ Folia Bidentis.

Folia quae fert Bidens pilosa, Linn. Sp. Pl. 832.

Folium simplex, quoque tripartitum vel trifoliatum vel imparipinnatum iugis 2. Petiolus folii simplicis, petiolus communis, petioluli folii compositi plus minusve perfecti. Lamina, partes folii vel foliola ad centimetra 8 longa, lata ad 4, formae diversae, ovata vel ovalia ad lanceolata, penninervia; apex acutus; basis obtusa ad acutam; margo serratus. Superficies magnam partem glabra, at in nervis, imprimis in parte inferiore et in margine, pili tenuissimi, appressi. Luce transeunte multae maculae parvae, tenuissimae, interiores, enormiter oblongae, obscurae, quas, quinquagies dilatatas, coloris rubrofusci esse apparet; quae maculae praeter marginem folii et nervos maiores in strias longas extenduntur.

Odor et sapor exigui sunt.

In India Orientali Nederlandica Bidens pilosa inter alia nominibus *harenga* et *adjeran oetan* vocatur.

+ Folia Bixae.

Folia quae fert Bixa Orellana, LINN. Sp. Pl. 512.

Folium simplex, petiolatum. Petiolus longus centimetra ad 12,5, apice iuxta laminam quodammodo tumefacto, obscure rubrofuscus. Lamina, longitudo: M = centimetra 11,5, Q = centimetra 2,8, latitudo: M = centimetra 6,4, Q = centimetra 2; ovata, plus minusve gracilis; penninervis, in singulis lateribus costae nervi laterales ad septenos (7), apex plus minusve acuminatus; basis obtusa ad emarginatam vel truncatam; margo integer. Superficies viridis, nervorum pars inferior fusca; in parte inferiore folii quinquagies dilatati conspicua sunt: 1° creberrimi pili capitati orbiculares, coloris expertes vel clare fusci; 2° intra telam maculae maiores, obscurius fuscae, oblongae, enormiter ramosae, quae luce transeunte fuscoflavae esse videntur. In parte superiore multo rariores pili capitati.

Odor nullus; sapor fatuus.

In India Orientali Nederlandica Bixa Orellana inter alia nominibus *galingem* et *kasoemba kling*, in India Occidentali Nederlandica *koesoewé* et *anatto* vocatur.

+ Folia Blumeae.

Folia quae fert Blumea balsamifera, DC. Prod. V. 447.

Folium simplex, petiolo longiore vel breviore. In petiolo foliola 2 ad 5 lateralia, plerumque in iugis, longa centimetrum fere 1 ad 2, tenuiter lanceolata, ita ut folium quasi imparipinnatum sit, apice folio summo permagno; in basi quoque laminae non raro bina talia organa accessoria adsunt lateralia, ad libram extenta, ternis angulis magis acutis. Lamina centimetra ad 25 longa, lata centimetra ad 12; forma diversissima etiam in una atque eadem planta; oblonga, lanceolata, interdum quodammodo obovata, non raro pinnatilobata eminentiis acutis et sinibus obtusis, semper penninervis crebris nervis lateralibus; apex acutus; basis acuta etiam si organa accessoria supra memorata adsunt nullaque earum ratio habetur; margo enormiter acute dentatus, interdum serratus. Superficies, pilis densis, praesertim pars inferior, quae inde lanea et coloris grisei est; in folii utraque parte inter pilos multi pili capitati tenuissimi, globosi, flavofusci, qui quinquagies dilatati facile conspicui sunt.

Odor nullus; sapor fortior, amarus.

In India Orientali Nederlandica Blumea balsamifera inter alia nomine *semboeng oetan* vocatur.

Folia Digitalis.

Folia quae fert Digitalis purpurea, LINN. Sp. Pl. 621, ab herba florenti, quae in patria nostra colitur, altero aetatis anno collecta.

Folium simplex, petiolatum, non plus quam centimetra 30 longum. Lamina ovatooblonga, penninervis, nervi et venae partis inferioris valde prominentia; apex acutus; basis obtusa

in petiolum quodammodo alatum abiens; margo subcrenatus, in foliis siccatis quasi serratus, in angulis singulis singula parva puncta alba. Praesertim in parte inferiore et in margine tomentum molle, cuius pili praecipue in nervis et in venis positi sunt.

Microscopia pulveris. Parenchyma viride; 1 ad 3 strata cellularum columnarium. Multi pili unicellulares ad sexcellulares apice obtuso. Pili glandulosi apice unicellulari vel bicellulari multo rariores. Cellulae epidermidis undulatis membranis lateralibus; stomata in parte superiore minus crebra. Vasa spiralia et retifera. Amylum in parenchymate viridi et in nervorum parenchymate coloris experti adesse potest.

Sapor amarus.

Ad usum Folia Digitalis petiolis orbentur.

Folia Digitalis ne diutius quam unum annum serventur. Pulvis ex tempore paretur.

Per calcem vivam servanda.

Doses maximae singulae milligrammatum 150.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 500.

Infusorum

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2.

+ Folia Eucalypti.

Folia quae fert Eucalyptus globulus, LABILL. Voy. I. 153. t. 13, a partibus maioribus arboris collecta.

Folium simplex, petiolatum. Petiolus centimetra ad 4 longus, plus minusve circum axem longiorem tortus. Lamina centimetra ad 25 longa, lata centimetra 4, satis crassa,

rigida, extente lanceolatofalcata, plus minusve iniqua, penninervis, nervis lateralibus crebris, tenuibus, qui cum costa angulum acutum efficiunt quique exeunt in 2 nervos marginales undulatos, secundum marginem eique parallelos; apex acutus; basis obtusa ad acutam; margo integer, paulum tumefactus. Superficies utrimque aequa, opace e griseo viridis, glabra, verruculis suberosis innumerabilibus, tenuibus, obscuris.

Arborum iuniorum folia, centimetra ad 15 longa, lata centimetra ad 9, sessilia, ovata, basi repanda, reicienda sunt.

Odor foliorum, praesertim cum teruntur, aromaticus est; sapor aromatice subamarus, primo calefaciens, deinde refrigerans.

+ Folia Hydrocotyles.

Folia quae fert Hydrocotyle asiatica, LINN. Sp. Pl. 234.

Folium simplex, petiolatum. Petiolus centimetris a 2 ad 30 longus, in basi in vaginam oblongam, tenuem exiens, pilis raris. Lamina centimetra ad 5 longa, lata centimetra ad 6, reniformis, palminervis, plerumque nervis 7; basis semicirculate emarginata; margo grosse et enormiter crenatus, in basi dentatus; superficiei maior pars glabra est, nervi partis inferioris interdum quodammodo pilosi.

Odor nullus; sapor amarus.

In India Orientali Nederlandica Hydrocotyle asiatica inter alia nominibus *pegagan, antanan, kaki koeda* vocatur.

+ Folia Hyoscyami.

Folia quae fert Hyoscyamus niger, LINN. Sp. Pl. 179, ab herba florenti, quae in patria nostra colitur, collecta.

Folia simplicia, ima longipetiolata, superiora sessilia, summa semiamplexicaulia. Lamina decimetrum 1 ad 2 longa lata ad decimetrum 1, tenuis, cum recens est flaccida, viscida; oblongopinnatilobata vel ovatopinnatilobata; apex acutus. Superficies pallide viridis, pilosa, praesertim in nervis et in margine, pilis communibus et pilis glandulosis.

Odor narcoticus; sapor amarus, subacer.

Aetheris centimetris cubicis 3 ammoniae guttis 2 mixtis cum Foliorum Hyoscyami pulveris milligrammatis 250 conquassatis, deinde filtratis, quae de liquore aethereo evaporato supererunt, in acidi sulfurici diluti gutta 1 soluta, additis aquae guttis 5, liquorem praebeant, qui addita iodeti kalicohydrargyrici gutta 1 manifesto turbatur.

+ Folia Laurocerasi recentia.

Folia recentia quae fert Prunus Laurocerasus, LINN. Sp. Pl. 474, adulta, autumno collecta.

Folium simplex, brevipetiolatum. Lamina coriacea, oblonga, penninervis; apex quodammodo acuminatus, recurvus; basis acuta; margo quodammodo recurvus, superficialiter et remote serratus. Superficies glabra. In parte inferiore, iuxta basin costae, utrimque 1 vel 2 parvi sulci glandulosi, orbiculares, parum alti.

Folia Laurocerasi recentia contusa odorem spargunt olei laurocerasi. In foliis, tum recentibus cum per aquam maceratis, ferrum Borussicum oriens acidum hydrocyanicum adesse indicat.

Sapor amarus, acerbus, subaromaticus.

+ Folia Menthae piperitae.

Folia quae fert Mentha piperita, LINN. Sp. Pl. 576, ab herba florenti collecta.

Folium simplex, petiolatum. Petiolus millimetra non plus quam 15 longus. Lamina centimetra non plus quam 7 longa, oblonga ad oblongoovatam, nonnunquam magis lanceolata, penninervis; apex acutus; basis obtusa ad acutam; margo satis grosse serratus, dentibus quodammodo reflexis, satis acutis. Superficies non raro subpilosa in parte inferiore costarum et nervorum lateralium; in foliis quinquagies dilatatis semper spectantur pili glandulosi, globosi, flavi, praesertim in parte inferiore crebri; sub quoque pilo glanduloso superficies quodammodo depressa est.

Odor valde aromaticus; sapor aromaticus, deinde refrigerans.

Folia Menthae piperitae ne diutius quam unum annum serventur.

+ Folia Orthosiphonis.

Folia et summitates caulium quae praebet Orthosiphon stamineus, BENTH. in WALL. Pl. As. Rar. II. 15, ab herba florenti collecta et prudenter siccata.

Caulis quadratus. Folia decussata. Folium simplex, petiolo brevi aut longo. Lamina ad centimetra 8 longa, ovata vel extente rhomboidea ad lanceolatam, penninervis, paucis nervis lateralibus, qui apicem versus cum costa angulum admodum acutum efficiunt et prope marginem anastomant; apex acutus; basis acuta vel emarginata; margo enormiter et grosse serratus, interdum quodammodo magis crenatus vel fere integer, marginis pars extrema paulum reflexa.

Superficies magnam partem glabra, in margine et in nervis, praesertim partis inferioris, pilis brevissimis, albis; in utraque parte, praesertim in inferiore, quinquagies dilatata, crebra puncta parva, tenuissima, obscura conspicua sunt; petiolus et nervi plus minusve violacei.

Odor subaromaticus; sapor subsalsus, subamarus, adstringens.

In India Orientali Nederlandica Orthosiphon stamineus inter alia nominibus *koemis koetjing* et *remoek djoeng* vocatur. Illic quoque folia recentia adhiberi licet, quorum partes 4 cum 1 parte conveniunt foliorum siccatorum.

+ Folia Psidii.

Folia quae fert Psidium Guajava, LINN. Sp. Pl. 470.

Folium simplex, brevipetiolatum. Petiolus centimetrum ad 1 longus. Lamina centimetra ad 14 longa, ovalis ad oblongam, penninervis, non raro nervorum lateralium paribus 15; costa et nervi laterales in parte inferiore admodum prominentia; apex acutus; basis acuta ad obtusam; margo integer, paululum deflexus. Superficies partis superioris fere glabra, modo hic illic pilis brevibus, albis; mesophyllum punctis parvis tenuibus, obscuris, convenientibus cum glandulis interioribus, quae in foliis aqua emollitis quasi parva puncta perlucida conspicua sunt; superficies partis inferioris multo magis obsita est pilis et in nervis et in mesophyllo, cuius puncta glandularum multo crebriora sunt; color est e viridi fuscogriseus, nervorum et venarum rubrofuscus.

Odor subaromaticus; sapor subaromaticus et adstringens.

In India Orientali Nederlandica Psidium Guajava inter alia nominibus *djamboe bidji* et *djamboe kloetoek* vocatur.

+ Folia Salviae.

Folia quae fert Salvia officinalis, LINN. Sp. Pl. 23.

Folium simplex, petiolatum. Petiolus fere dimidio minor quam lamina, in parte superiore canaliculatus. Lamina plerumque centimetra fere 5 longa, oblongolanceolata vel ovata, penninervis, nervi in parte inferiore prominentes, mesophyllum inter venas convexum; apex acutus; basis obtusa; margo crenulatus. Superficies utriusque partis, nonnunquam inferioris tantum, tomento griseo; pili partis superioris non nisi in parvis mesophylli areis convexis, pili partis inferioris imprimis in nervis prominentibus insiti; pili glandulosi, praesertim in parte inferiore tamquam parva puncta tenuia, alba, nitentia.

Foliorum Salviae, imprimis cum contunduntur, odor est aromaticus; sapor subamarus.

Folia Sennae.

Foliola folii pinnati quod fert Cassia angustifolia, VAHL, Symb. Bot. I. 29, culta, quibus nomen est „*Senna Tinnevelly*".

Folium non petiolatum, plerumque centimetra 2,5 longum, rigidum, planum, lanceolatum, penninerve; apex acutus; basis altera pars acuta, altera paulum obtusa; margo integer. Superficies glabra esse videtur, sed praesertim in parte inferiore multi sunt pili breves, densi, qui, fere quinquagies dilatati, facile conspiciuntur; color pallide viridis.

Microscopia pulveris. Parenchyma viride, in quo cellulae columnares valde productae; in parenchymate spongiiformi nonnullae stellulae e crystallis. Epidermis super subterque similis: cellulae quinquangulae ad sexangulas, saepe membrana interiore valde tumefacta, coloris experti, ut in duas

partes divisae esse videantur; stomata saepe inter binas cellulas epidermidis minores. Pili limae instar unicellulares, pachytichi, acuti. Fasciculi fibrarum pachyticharum, longarum vaginae maiorum fasciculorum vasorum, cincti strato cellularum e crystallis brevium, singula crystalla continentium. Vasa spiralia, vasa scrobiculis duplicibus rimalibus. In parenchymate viridi amylum multum.

Odor subaromaticus; sapor prius mucilaginosodulcis, deinde subamarus, subacer.

Folia Sennae ne sint flava neve subfusca.

Pulvere Foliorum Sennae cum aqua concocto, quae de decocto evaporato supererunt, caloris gradu 100° siccata extracti partes centesimas non minus quam 35 relinquant.

Pulvis Foliorum Sennae combustus cineris partes centesimas 6 ad 8 relinquat.

+ Folia Stramonii.

Folia quae fert Datura Stramonium, Linn. Sp. Pl. 179, collecta ab herba florenti, quae in patria nostra colitur, et prudenter siccata, ita ut color viridis servetur.

Folium simplex, petiolatum. Petiolus centimetra ad 10 longus, sulco angusto in parte superiore. Lamina centimetra ad 20 longa, lata centimetra 15, ovatopinnatilobata, eminentiis acutis et sinibus obtusis, arcuatis; apex acutus; basis obtusa ad truncatam, in utraque costae parte nervi laterales 3 ad 5, omnes nervi in parte inferiore valde eminentes. Foliorum iuniorum superficies subpilosa, maxime in nervis et in mesophyllo partis superioris, nec minus in nervis partis inferioris, postea glabra.

Microscopia pulveris. Parenchyma multum colore clare viridi eiusque reliquiae. Crystalla inmunerabilia, plerum-

que stellae, interdum quoque formae simpliciores. Foliorum frustula multa, quae in hydrate chlorali totam folii et transverse et secundum superficiem persecti structuram conspicuam reddant; cellulae epidermidis superioris membranis lateralibus parum tortis, epidermidis inferioris admodum tortis, in utraque parte stomata multa; cellularum columnarium longarum stratum unum, parenchymatis spongiiformis strata nonnulla, quorum summi singulae cellulae fere omnes continent singula crystalla, de quibus supra dictum est; venae magnam partem constantes vasis spiralibus, quae opus reticulatum efficiunt multis capitibus liberis in maculis. Nervorum frusta cellulis epidermidis oblongis, interdum non sine collenchymate. Pili limarum instar constantes cellula 1 ad 4, vel eorum frusta, et pili glandulosi minus crebri stipite conspicuo, unicellulari et capite pluricellulari. Nonnulla vasa retifera latiora. In parenchymatis chlorophylli granis nonnunquam granula amyli tenuissima formam bacilli exhibentia.

Odor foliorum recentium nauseosus; sapor amarus, subsalsus.

Aetheris centimetris cubicis 3 ammoniae guttis 2 mixtis cum Foliorum Stramonii pulveris milligrammatis 150 conquassatis, deinde filtratis, quae de liquore athereo supererunt, in acidi sulfurici diluti gutta 1 soluta, additis aquae guttis 5, liquorem praebeant, qui addita iodeti kalicohydrargyrici gutta 1 manifesto turbatur.

Folia Stramonii ne diutius quam unum annum serventur.

In India Orientali Nederlandica ad usum externum Foliorum Stramonii loco folia quae fert Datura fastuosa, Linn. Syst. ed. X. 932. var. alba, quae ibi nomine „*ketjoeboeng*" vocatur, adhiberi licet.

+ Folia Symploci.

Folia quae fert Symplocos odoratissima, CHOISY, ex ZOLL. Syst. Verz. Ind. Arch. 136.

Folium simplex, petiolatum. Longitudo petioli: M = millimetra 18, Q = millimetra 4,5. Lamina rigida, coriacea; longitudo: M = centimetra 13, Q = centimetra 3; latitudo: M = centimetra 5,5, Q = centimetra 1,5; oblonga vel quodammodo obovata, penninervis, in utraque parte nervis lateralibus denis (10); apex acutus ad acuminatum; basis acuta; margo enormiter repandus, pars extrema quodammodo deflexa. Superficies glabra, pars superior plus minusve nitida.

Odor et sapor exigui.

In India Orientali Nederlandica Symplocos odoratissima inter alia nomine *seriawan* vocatur.

+ Folia Trifolii fibrini.

Folia quae fert Menyanthes trifoliata, LINN. Sp. Pl. 145, ab herba florenti collecta, aqua abluta, celeriter siccata.

Folium trifoliatum. Vagina centimetra 6 ad 8 longa, cylindrica, quae foliis siccatis plerumque deest. Petiolus centimetra fere 10 longus, cylindricus. Foliola centimetra non plus quam 8 longa, lata centimetra 4, sessilia, obovata ad ovalia, penninervia; margo grosse nec alte crenatus, in sinibus singulis singulae verruculae lunatae, subfuscae (emissarium cum stomatis aquam abducentibus). Superficies glabra.

Odor nullus; sapor peramarus.

Folia Uvae ursi.

Folia quae fert Arctostaphylos Uva-ursi, SPRENG. Syst. II. 287.

Folium simplex, brevipetiolatum. Petiolus millimetra 2 ad 5 longus, foliorum iuniorum marginibus tenuiter pilosis. Lamina rigida, coriacea, centimetra ad 2,5 longa, ovaliobovata vel oblongoobovata vel lanceolatoobovata, penninervis, venis tenuibus, reticulatis, quae in parte superiore nitenti acute impressae, in parte inferiore fuscae sunt; apex obtusus, nonnunquam quodammodo deflexus, qua causa emarginatus esse videtur, interdum acutus; basis acuta; margo integer, paululum reflexus. Superficies glabra, sed foliorum iuniorum margo, interdum quoque costa, tenuiter pilosus est, praesertim in parte inferiore; color viridis, non fuscus neque ruber.

Odor nullus; sapor acerbus.

Sulfatis ferrosi crystallum, in Folia Uvae ursi minuta, per aquam (1=50) macerata, inmissum, paulatim praecipitatum efficit abundans, caeruleoviolaceum.

Fructus Anisi.

Fructus maturi quos fert Pimpinella Anisum, LINN. Sp. Pl. 264.

Diachenium pedicellatum, cuius partes plerumque inter se coniunctae manent. Pediculus millimetra fere 3 longus. Fructus millimetra ad 5 longus, crassus millimetra ad 3, ovatoconicus, ad perpendiculum in commissura paulum compressus, coronatus stylopodio gemmiformi, fisso et stylis brevibus 2; columella partita; achenia singula iugis filiformibus quinis (5), paulum prominentibus, quorum bina (2) in mar-

ginibus, terna (3) in parte posteriore, minus inter se distantia, et valleculis quaternis (4) non altis, planis. Vittae in parte convexa externe non conspicuae, in commissura plana vittae 2 latae, fuscae, admodum conspicuae. Superficies e subviridi griseofusca, iuga paulo clariora; totus fructus pilis brevibus, albis, sursum versis. In fructu transverse persecto vittae ad 50 in membrana fructus cuiusque achenii in circulo 1 aequaliter dispositae, in commissura maiores, minus crebae. Endospermium orthospermum.

Microscopia pulveris. Pili limae instar, plerumque unicellulares, interdum bicellulares, conici apice obtuso, curvati, verruculis ovalibus, coloris expertes. Vittarum partes, flavofuscae, saepe strato cellularum leptoticharum, multangularum. Epidermis interior membranae fructus constans cellulis humilibus, tangentialiter admodum extentis; saepe cum vittis coniuncta. Parenchyma endospermii coloris expers; in multis cellulis complures stellulae e crystallis cum aeris bullula in medio. Epidermis exterior fructus constans cellulis multangulis, striatura cuticulae; stomata; pili multi. Epidermis pediculi cellulis magis oblongis, striatura cuticulae valentiore, pilis paucis. Vasa anularia et spiralia; fasciculi fibrarum pachyticharum, scrobiculatarum. Cellulae sclerenchymaticae, breves, non ita pachytichae, scrobiculis rimalibus. Nonnullae cellulae parenchymaticae impletae amylo; praeterea grana amyli rarissima, parva, dispersa.

Odor admodum aromaticus; sapor subdulcis, aromaticus.

Fructus Anisi quam maxime liberati sint ramulis, aggere, aliis sordibus.

Fructus Conii maculati, Linn. Sp. Pl. 243, ne adsint. Hi carent vittis, superficies est glabra, achenia singula quinis (5) iugis prominentibus, undulatis. Endospermium campylospermum.

+ Fructus Bruceae.

Fructus quos fert Brucea sumatrana, Roxb. Hort. Beng. 12; Fl. Ind. I. 449.

Drupae monopyrenae centimetrum ad 1 longae, crassae millimetra ad 6, fere ovatae, apice satis obtuso; in basi parva cicatrix rotunda rostelli, in apice cicatrix minor styli. Superficies reticulata rugis crassis, enormibus, eminentibus; saepe marginibus magis expressis, directis 2, qui fructum in partes duas pares dividunt, inter quos margines breviores, paululo minus expressi, directi 2 in basi fructus; color est diversissimus, a clare fusco ad subnitide e caeruleo nigrum, interdum enormiter maculatus. Sarcocarpium, cum siccum est, dimidium millimetri (0,5) crassum est, intra fuscum. Pyrena fere ovata, dura, fragilis, fusca, 2 marginibus acutis, directis, ab utraque basis parte nervo tumido, qui in venarum reticulum tumidum, maculis magnis, se dividit; membrana millimetri partem fere dimidiam (0,5) crassa est; superficies interior venarum reticulo acute impresso, clare fusca. Semen pyrenam prorsus complet, est ovatum apice acuto, enormiter multangulum. Spermodermis tenuis, alba; hilus paululum infra apicem positus, oblongus; raphe brevis, in crebros ramos albos extenta per chalazam rotundam, fuscam, prope partem inferiorem seminis positam, in eadem parte, qua hilus. Nucleus clare e viridi flavus, abundans oleo, quod ungue exprimitur; albumen crassum ad millimetri partem dimidiam (0,5). Embryo seminis maiorem partem occupat, rectus est; radicula et internodium hypocotylum breviter conica; cotyledones obovatae, planoglobosae; plumula minima.

Odor quodammodo acide dulcis; sapor peramarus.

Ad usum Fructus Bruceae contundantur et pericarpio duro liberentur.

In India Orientali Nederlandica Fructus Bruceae inter alia nominibus *bidji makasar* (grana macasaria) et *tambara maridja* vocantur.

+ Fructus Capsici.

Fructus maturi quos ferunt varietates diversae speciei Capsici annui, LINN. Sp. Pl. 188.

Bacae sarcocarpio parum perfecto, quarum summa pars magnam partem aere impleta est; brevipetiolatae aut longipetiolatae, calice persistenti, rotato ad campanulatum, lobis minime perfectis 5 ad 6, coloris griseoviridis sic ut petiolus. Ipse fructus longus est centimetra 5 ad 12, in basi crassus ad centimetra 4, recte vel curvate conicus, cetera admodum diversus, sive brevior et crassior, sive longior et tenuior; constat carpellis 2 nec raro 3, pars inferior est bilocularis aut trilocularis, saeptis completis et placentis latis, axillaribus, aurantiacis; in fructus altitudinis parte fere quarta saepta discedere incipiunt et mox reducta sunt in placenta tenuia, marginalia, parietalia, quae ad fructus apicem continuantur et per magnam partem longitudinis semina ferunt; summa igitur pars fructus unilocularis est. Pericarpium crassum est ad millimetri partes centesimas triginta quinque (0,35), siccum, coriaceum, flexile, rugis crassis, parum expressis; lucem versus spectatum crebros exhibet nervos directos, parum ramosos. Superficies exterior glabra, nitida, fuscorubra vel rubra vel aurantiaca, raro flava, 2 vel 3 nervis directis, parum impressis, coloris quodammodo obscurioris, cum saeptis convenientibus; in apice parva styli cicatrix rotunda. Superficies interior rugis tenuibus, directis.

Semina creberrima sunt, partim separata, partim placentis affixa funiculo brevi, membranaceo, ad perpendiculum

directo, diametro millimetrum 4, plana, fere orbicularia; hilus positus est in marginis parte eminenti; superficies admodum punctata, flava.

Ad pulverem parandum petioli, calices, semina quam maxime removenda sunt.

Microscopia pulveris. Omnia frustula maiora ex aurantiaco flava sunt per carotinum, quod magnam partem in guttis oleosis receptum est; membranae cellularum coloris expertes sunt aut flavae, nunquam fuscae. In hydrate chlorali carotinum solvitur, at guttae oleosae valde crebrescunt et pigmentum recipere atque exhibere pergunt. Parenchyma membranis collenchymatis more valde tumefactis, in quibus fragmentis epidermis exterior admodum perlucida, non tamen facile, conspicua est; cellulae epidermidis oblongae, membranis lateralibus tumefactis, omnis coloris expertibus, in quibus aliquot scrobiculae altiores; cuticulae foveae valde conspicuae, nonnunquam anastomantes, epidermidem enormiter percurrunt. Cellulae membranis subflavis, tumefactis epidermidis interioris, separatae vel in globos maiores minoresve collectae; oblongae, membranis lateralibus plus minusve flexuosis, in quibus plurimae scrobiculae altiores. Cellulae parenchymaticae e receptaculo oriundae, enormiter globosae vel quodammodo oblongae, separatae vel in globos collectae; membranae quodammodo tumefactae, subflavae, reticulatione admodum conspicua; lacunae intercellulares permagnae et margines coniunctionis rotundi vel ovales, intra quos scrobiculae parvae, ovales. Parenchyma valde leptotichum, cellulis magnis, rugosum, saepe parum conspicuum. Vasorum spiralium fasciculi. Amyli minimum, tantummodo hic illic nonnulla granula parva, rotunda vel cellularum parenchymaticarum globuli exigui, numerum maiorem talium granulorum continentes.

Nonnulla frustula a seminibus oriunda quoque in pulveribus diligenter paratis inveniri solent; in pulveribus,

seminibus non ante remotis paratis, magnas partes agunt. Imprimis sunt: 1°. seminis cellulae epidermidis, membranis lateralibus flexuosis, clare flavis sic ut membranae interiores, admodum tumefactis, stratis valde conspicuis, nonnunquam parvis eminentiis papillatis, interioribus; 2°. cellulae endospermaticae, quinquangulae ad sexangulas, membranis quodammodo tumefactis, coloris expertibus, lacunis intercellularibus nullis, guttis oleosis multis, praesertim in hydrate chlorali, admodum coloratis carotino e fructus membranae partibus recepto.

Partes petioli et calicis — epidermis cum stomatis vel pilis parvis, fibrae pachytichae cetera — quoque in pulveribus, in quos receptae sunt, paucae inveniuntur. Per acidum sulfuricum fortius carotinum in pulvere sicco colorem trahit clare caeruleum.

Odor exiguus, proprius; sapor, imprimis placentorum, urens acer; pulvis sternutamentum vehementer excitat.

Fructibus Capsici concisis cum spiritu concoctis, quae de spiritu evaporato supererunt, caloris gradu 100° siccata, extracti partes centesimas non minus quam 10 relinquant.

In India Orientali Nederlandica Fructus Capsici nominibus *tjabé* et *lombok* vocantur.

+ Fructus Cardamomi.

Fructus quos fert Elettaria Cardamomum, MATON, in Trans. Linn. Soc. X. (1811) 254.

Longitudo: M = millimetra 10,95, Q = millimetrum 1,3; latitudo: M = millimetra 6,5, Q = millimetri 0,45; rostello brevi, tubuloso. Capsula, triquetroprismatica, lateribus, apice, basi obtusis, trilocularis, saeptis membranaceis, placentis axillaribus, valvis praedita, loculicida, dehiscens; valvae coriaceae. Superficies exterior glabra, in

longitudinem tenuiter striata nervis prominentibus, colore stramineo. In loculis singulis quina (5) ad octona (8) semina, in ordinibus binis (2) in longitudinem posita et in massulam cohaerentia. Semina millimetra ad 4 longa, ad 2,5 crassa, durissima, enormiter polyedra, saepe formam exhibentia pyramidis valde arduae, triquetrae, superne detruncatae, cuius basis est triangulum aequilaterale; in apice non raro reliquiae membranaceae funiculi; cincta arillo membranaceo, qui nonnusquam desquamatur, de seminibus maceratis facile detrahitur. Hilus in latere maximo; micropyle iuxta hilum in apice, in media papilla embryotega, parva, orbiculari, coloris clari; chalaza impressa in imo latere eodem; raphe in sulco acuto, hilum et chalazam coniungente. Superficies 6 rugis crassis, transversis, fusca vel rubrofusca. Nucleus perispermio magno; intra endospermium multo minus. Embryo parvus, radicula cylindrica, cotyledone planoconica.

Ad usum semina, quae sola adhibeantur, pericarpiis liberentur.

Microscopia pulveris. Granorum amyli glebae oblongae, quodammodo polyedrae: massa cellulae inclusa adhuc cohaerens cellularum parenchymaticarum perispermii; grana amyli diametro non plus quam 4 μ, fere globosa; quas intra glebas 2 ad 7 crystalla parva, simplicia. Sclerenchyma columnare, cellulae cylindricae membranis interioribus valde tumefactis, ita ut in parte exteriore tantum lumen parvum relinquatur; quae cellulae plerumque supra vel infra videntur; membranae flavofuscae ad obscure rubrofuscas. Epidermidis cellulae productae, extremitatibus acutis, clare flavae. Parenchyma repressum, leptotichum, saepe structurae cellularis conspicuae expers. Nonnulla vasa spiralia raphes.

Pericarpii partes in pulvere ne adsint; elementa notabilissima sunt: fibrae pachytichae, glebae resinae flavae, crystalla parva in cellulis parenchymaticis magnis, vasa spiralia multa.

Pericarpium odoris et saporis expers; semina odoris et saporis penetrantis, camphoracei, aromatici.

Fructuum Cardamomi pulvis combustus cineris non minus quam partes centesimas 3 neque plus quam 8 relinquat.

+ Fructus Colocynthidis.

Fructus quos fert Citrullus Colocynthis, SCHRAD. in Linnaea, XII. (1838) 414, decorticati.

Diametro centimetra ad 8, subglobosi, saepe quodammodo deiecti, leves, spongiosi, sicci; facile comprimuntur. Superficies interior quodammodo angulosa quippe decorticata, non nitida, alba vel flavidoalba, nonnullis locis praedita partibus corticis, qui vix millimetrum 1 crassus est, firma, non nitide ex aurantiaco fusca. Fructus est pepo, e carpellis 3 compositus, saeptis completis 3, itaque trilocularis; margines autem carpellorum e medio fructu extra curvati sunt, quo fit ut in loculis singulis laminae binae crassae ad perpendiculum adsint, quae ad circuitum perductae, ibi divergentes placenta efficiunt. Qua de causa loculi 6 adesse videntur, in quibus semina in ordinibus ad perpendiculum directis 2 vel 3, ad libram placentis affixa sunt. Omnia spatia loculorum, nec minus inter semina, tela spongiosa impleta sunt; stratum extremum fructus decorticati paulo minus spongiosum est, magis membranaceum. Laminae, de quibus supra sermo erat, cum fructus siccantur, valde divergere solent, praesertim in fructus parte superiore, quo fit ut intus rimae 3 directae conspicuae sint, quae in media parte coniunguntur, extra cuneatim discurrentes in parte latissima centimetri dimidium (0,5) ad centimetrum 1 latae sunt. Pars interior fructus hanc ob causam facile in partes 3 cuneatas dividitur, convenientes cum binis partibus carpellorum confinium, cum placenta quoque, si fructus

prudenter decorticatur, aperiuntur. Placenta plerumque inter se coaluerunt, sed tantum in fructus parte superiore cum membrana exteriore coniuncta esse solent. Tum rimarum membranae quodammodo concavae cum placentorum partes iis confines, extra directae, tela densiore et nitidiore vestitae sunt, in qua nervi ad libram directi, fere paralleli, subramosi, quodammodo impressi, clare fuscoflavi.

Semina ad 300 numero, millimetra 7,5 longa, lata 5, crassa millimetrum 1 ad 2, ovata, apice quodammodo acuto, plana, margine obtuso. Testa dura modo ossis, crassa fere millimetri dimidium (0,5); hilus proxime apici seminis positus, oblongus; micropyle in apice; ab utraque apicis parte, prope margines binae (2) rimulae apicem versus directae, longae millimetrum sesquialterum (1,5); superficies non nitida, clare vel obscurius griseofusca. Tegmen membranaceum, album, subnitidum. Albumen nullum.

Odor exiguus; sapor peramarus, qui iam sentitur per pulverem, quem fructus, cum tractantur, spargunt.

Praestantiores sunt fructus, in quibus pulpae multum et seminum parum inest.

Ad usum pulpa seminibus liberetur.

+ Fructus Coriandri.

Fructus maturi quos fert Coriandrum sativum, Linn. Sp. Pl. 256.

Diachenia non pedicellata; partes firmiter inter se coniunctae manent; diametro millimetrum ad 5, durum, globosum, coronatum denticulis calicinis brevissimis 5, quorum 2 nonnunquam paulo maiores, et stylopodio conico, in quo interdum stylorum reliquiae; achenia iugis primariis quinis (5) paulum prominentibus, tortis, alternantibus cum

lobis calicinis superpositis, et iugis secundariis quaternis (4) rectis, paulo magis prominentibus; praeterea margines acheniorum in utraque parte fructus inter se applicantur in iugum quodammodo tortum. Superficies exterior clare flavofusca, glabra. Intus cavum lenticulare, per quod columella transit, modo in apice et in basi cum fructus membrana coniuncta. Vittae tantum in commissura, binae in singulis acheniis, quasi fasciculi curvi, fusci, qui facile solvuntur. Endospermium coelospermum.

Odor fructuum recentium nauseosus qualis est cimicum, arescentium paulatim proprie aromaticus fit; sapor aromaticus, initio subdulcis sed, cum fructus manducantur, acer.

+ Fructus Cubebae.

Drupae magnam partem immaturae quas fert Piper Cubeba, Linn. f. Suppl. 90.

Drupae globosae, diametro non plus quam millimetrum 6, deorsum deminutae in caudam millimetra 5 ad 10 longam, vix millimetrum 1 crassam. Superficies nonnunquam aequa plerumque reticulatorugosa, atra vel fusca. Pyrena clare fusca, superficie interiore levi. Semen saepe parum perfectum; funiculus brevissimus, basi cavitatis fructus affixus. Spermodermis rugosa, fusca; hilus in basi, magnus, orbicularis. Nucleus magnam partem perispermium solidum; cuius in apice parvum endospermium conicum cum embryone.

Odor aromaticus; sapor aromaticus et amarus, non acer.

Cubebae grano una cum acidi sulfurici guttis nonnullis contrito, color valde ruber exsistat.

Ad usum Fructus Cubebae pedunculis et ramulorum fragmentis purgentur.

Microscopia pulveris. Cellulae scleroticae oblongae, valde pachytichae, clare flavae, quae uno vel duobus stratis pyre-

nam efficiunt et firmissime coniunctae sunt. Cellularum scleroticarum stratum sub epidermidis cellulis fuscis, multangulis, eique firmiter affixum; quae cellulae scleroticae stratum coniunctum non efficiunt, sed alternantur cellulis leptotichis, ita, ut opus quoddam musivum in epidermide efficiant; sunt isodiametrae, multangulae, dimidio minores pyrenae cellulis. Spermodermis tenuis, clare rubrofusca, ubi saepe parum structurae cellularis cerni potest. Perispermii cellulae parenchymaticae oblongopolyedrae, leptotichae, amylo prorsus impletae. Sarcocarpii parenchyma leptotichum, in quo cellulae oleosae membranis subfuscis. Vasa spiralia nonnulla. Fasciculi fibrarum longarum, pachyticharum pedunculi ne multi adsint. Oleum multum (in hydrate chlorali). Multa amyli grana e parenchymatis perispermii et pericarpii; perispermii grana saepe quinquangula ad sexangula, nucleo centrali, multa diametro 6 ad 7 μ, nonnunquam composita, diadelpha vel triadelpha. Amyli grana minora, etiam e sarcocarpio, saepe adsunt.

Fructuum Cubebae pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 10 relinquat.

+ Fructus Foeniculi.

Fructus maturi quos fert Foeniculum vulgare, MILL. Gard. Dict. ed. VIII. n. 1.

Diachenia pedicellata vel non pedicellata; partes non firmiter inter se coniunctae, plerumque separatae. Pediculus ad centimetrum 1 longus. Fructus ad centimetrum 1 longus, crassus millimetra ad 4, cylindricus, paulum curvus, coronatus stylopodio conico, fisso, in quo stigmata 2 brevia, curva; columella partita; achenia iugis quinis (5) admodum prominentibus, carinatis, quorum bina (2) in mar-

ginibus paulo latiora, terna (3) in parte posteriore paulo minus lata minusque inter se distantia, et valleculis altis quaternis (4). Vittae, singulae in sulcis singulis, binae (2) in commissura plana acheniorum singulorum, omnes extrinsecus conspicuae. Superficies glabra, e viridi fuscoflava; vittae fuscae. Endospermium orthospermum.

Microscopia pulveris. Olei guttae plurimae (in hydrate chlorali). Cellulae parenchymaticae membranis fuscis, quodammodo tumefactis. Endospermii parenchyma coloris expers, quodammodo pachytichum; in multis cellulis complures stellulae e crystallis, in quarum medio aeris bullula. Epidermis interior membranae fructus constans cellulis humilibus, fere tangentialiter admodum extentis; saepe cum vittis coniuncta. Cellulae parenchymaticae oblongae, coloris expertes, reticulatione expressa, grossa. Vittarum partes, flavofuscae, interdum strato cellularum leptoticharum, multangularum. Phalanges vasorum anularium et spiralium et fibrae pachytichae. Epidermis e cellulis multangulis, coloris expertibus; stomata.

Odor et sapor valde aromatici.

+ Fructus Hordei decorticati.

Nuclei farinosi fructuum quos fert Hordeum vulgare, Linn. Sp. Pl. 84, vel aliae species, copiose cultae, eiusdem generis.

Millimetra fere 5 longi, lati millimetra fere 3,5, crassi millimetra fere 2,5; compresse oblongorotundi extremitatibus obtusis; in altero latere plano vallecula directa, in qua reliquiae fuscae palearum et pericarpii et spermodermidis; in altera extremitate, ad latus planum, valleculae expers versa, macula parva rotundata, compressa, plerumque clarissime fusca, fundus cavi, in quo embryo ante decorticationem

inerat; duri, satis fragiles, quodammodo semiperlucidi; superficies non nitida, colore albo farinae, partim sordide alba, interdum hic illic stria parva, clare fusca, reliquiis involucrorum.

Odor nullus; sapor fatuus.

+ Fructus Iuniperi.

Fructus maturi quos fert Iuniperus communis, Linn. Sp. Pl. 1040.

Galbuli globosi, diametro non plus quam millimetrum 9; in basi verticillis alternantibus triphyllis 1 ad 6; cum recentes sunt, e nigro violacei et pruinosi; sicci autem sunt nigri; in apice suturis 3 ex uno puncto divergentibus et punctis alternantibus 3 paulo editioribus, apicibus carpellorum. Sarcocarpium clare fuscum. Semina numero 3, in apice tantum libera, porro cum sarcocarpio coaluerunt; triquetro-ovata, durissima, vesiculis 3 ad 8 oblongis, oleiferis instructa.

Odor aromaticus; sapor dulcis.

+ Fructus Myrtilli.

Fructus quos fert Vaccinium Myrtillus, Linn. Sp. Pl. 349.

Bacae diametro millimetrum ad 8; enormiter globosae, quodammodo angulosae, nonnunquam petiolo nonnulla millimetra longo; in apice calix siccata, figuram exhibens valli orbicularis, humilis, tenuis, saepe conspicue quinquepartiti; iuxta in parte interiore pars leviter arcuata, orbicularis, disciformis, in medio locum depressum exhibens, in quo cicatrix rotunda styli. Superficies e caeruleo nigra, cuius pars extra limbum calicis posita tota enormiter rugosa est. Sarcocarpium admodum siccatum, coloris e

subrubro nigri. Bacae plerumque quinqueloculares, saeptis tenuibus multisque seminibus in quoque loculo, ita ut totus numerus plus quam centum esse possit. Semina longa ad millimetrum 1,5, figura sectorum sphaericorum faciebus binis; superficies parvis sulcis tenuissimis, oblongis, directis, rubrofusca.

Aqua per Fructus Myrtilli colorem trahit purpureum, qui, additis alcalinis, in sordide viridem, additis acidis, in rubrum abit.

Odor exiguus; sapor acidule dulcis.

+ Fructus Papaveris.

Fructus immaturi quos fert Papaver somniferum, Linn. Sp. Pl. 508.

Capsulae, non plus quam centimetra 8 longae, crassae centimetra ad 3,5; compositae e carpellis numero variis: M = 9,5, Q = 1,2, uniloculares, saeptis imcompletis; forma diversissima, a subglobosa ad ovatam vel angustooblongam; in basi declives vel repente angustatae in pedunculum solidum, centimetrum fere 1 longum, qui infra rursus dilatatur in tumorem rotundum, orbicularem margine obtuso et in parte inferiore cicatricibus staminum et corollae et calicis. Nisi pedunculus iterum decisus est, superficies secta reliquias nigras exhibere solet suci siccati. Fructus apicem versus paulatim attenuantur vel collo sunt paulo tenuiore, quod fert scutum stigmatiferum. Scutum stigmatiferum diametro ad centimetra 2,5 est planum, forma stellae, marginis sinibus magnis, quodammodo triangulis cum carpellis convenientibus numero atque loco; in lobis singulis singuli margines, radiatim ducti, eminentes, superficie quodammodo aspera, sulcis angustis; hi margines in medio coniunguntur itaque figuram efficiunt stellae formam exhibentem; loco cum saeptis conveniunt. Superficies exterior quodammodo

gibbosa; suturae carpellorum videntur sulci non alti, directi, in pedunculo margines obtusi, supra prope scutum stigmatiferum margines acuti, carinati; colore est e viridi griseo, plus minusve pruinosa; suturae colore clariore esse solent, scutum stigmatiferum clare flavofusco, staminis margines obscurius fusco. Superficies interior pericarpii crassi ad millimetrum 1, fragilis, per longitudinem rugosa, clare e viridi flava. Saepta incompleta, falcata, tenuia, fragilia; ad radii partem fere tertiam introrsum producta; clare fuscoflava; tota superficie, etiam in marginibus, obsita crebris seminibus, quae postea solvuntur vel punctis in longitudinem extentis, seminum cicatricibus. Semina modo omnia, modo magnam partem immatura; cum matura sunt, fere millimetrum 1 longa, reniformia, superficie reticulatim rugosa; plerumque alba.

Odor nullus; sapor subamarus.

Fructus Papaveris ad usum seminibus liberentur.

+ Fructus Rubi Idaei recentes.

Fructus recentes quos fert Rubus Idaeus, Linn. Sp. Pl. 492.

Receptaculum conicum, spongiosum — in basi sepalis reflexis 5 multisque staminum reliquiis — circumdatum rubo proprie dicto, qui facile decerpitur. Rubus diametro centimetrum 1,5 ad 2 cavus est, semiconicus vel magis oblongus, et parvis drupis coniunctis, monopyrenis 20 ad 40 constat. Drupae obovatae; pars ima, aliis drupis confinis, angulosa; in apice stylus vietus, filiformis; pilis tenuibus obductae sunt et rubrae; sucus ruber. Pyrena dura, millimetra 3 longa, oblonga, superficie tenuiter reticulatorugosa.

Odor aromaticus; sapor acidule dulcis.

+ Fructus Sambuci recentes.

Fructus maturi, recentes quos fert Sambucus nigra, LINN. Sp. Pl. 269.

Drupae globosae vel ovatae, tripyrenae vel dipyrenae, millimetra 5 ad 7 longae, e violaceo nigrae, nitidae, calicis dentibus et stigmatum cicatriculis coronatae. Pyrenae oblongae, lateribus repressis, flavofuscae.

Odor proprius; sapor acide dulcis.

+ Galbanum.

Gummiresina quam praebent variae species generis Ferulae, quarum nominanda est Ferula galbaniflua, BOISS. et BUHSE, in Nouv. Mém. Soc. Nat. Mosc. XII. (1860) 99.

Sucus lacteus e caulibus profluens aere induratus.

Grana separata aut conglutinata, subflava aut rubroflava aut e subviridi fusca, fractura sordide alba, mox superficiei colorem trahentia, aut massae maiores, enormes, viridifuscae aut flavae. Frigida fragilia sunt, calefacta mox mollescunt digitisque adhaerent. Odor proprius, aromaticus; sapor amarus.

Galbani gramma 1 si cum spiritus centimetris cubicis 20 concoctum erit, pars, quae refrigerata solvi non potest, siccata caloris gradu 100^0, milligrammatum ne plus quam 350 sit. Solutio spirituosa flava, addita ammoniae gutta 1, colore caeruleo fluorescit; aquae quantitate quintuplici diluta emulsa alba praebet.

Galbanum coloris valde obscuri reiciatur.

Ad usum Galbanum, per calcem vivam siccatum, contundatur et per cribrum quisquiliis purgetur; quo facto prudenter contusum et contritum in pulverem (B_{10}) redigatur.

Galbani pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 8 relinquat.

Per calcem vivam servandum.

+ Gallae.

Tumores qui per ictum insectae, cui nomen est Cynips Gallae tinctoriae OLIV., exsistunt in ramis iunioribus quos fert Quercus lusitanica, LAM. Encycl. I. 719 sive Quercus infectoria, OLIV. Voy. Atlas, tt. 14, 15.

Globosae vel piriformes, interdum brevicaudatae, diametro plerumque centimetrum 2, nunquam plus quam 2,5, sursum acute gibbosae, graves, coloris clare vel obscure olivacei vel violacei, intus durae, solidae, griseae ad fuscas. In media Galla cavum est obductum tela laxa, circumdatum strato cellularum scleroticarum, in quo saepe reliquiae vel larva cynipis adsunt. Gallae partim perforatae esse solent a cynipe evolanti, unde infra foramine rotundo, millimetra fere 3 lato instructae sunt, quod ad cavum interius ducit.

Satisne acidi tannici in Gallis insit, ita statuitur: Gallarum decocti (1 = 200) centimetra cubica centena (100) infunde in duas lagenas, quae centimetra cubica centena vicena quina (125) continere possint; iis, quae lagena altera continet, additis pellis pulveris abluti et siccati grammatis 5, lagenas obturatas per horas 24, frequenter quassans, sepone. Deinde utriusque liquoris per filtra complicata pari diametro centimetra cubica 40 defunde; utrumque filtratum evapora, caloris gradu 100° sicca, refrigerata pondera. Pondera eorum, quae de utroque filtrato supererunt, ne minus quam milligrammata 120 differant.

In India Nederlandica alia Gallarum genera illic oblata adhiberi licet, dummodo acidi tannici satis contineant.

+ Gallas bismuthicus basicus.

Dermatolum.

Pulvis citreus, amorphus, odoris et saporis expers, tenuissimus, qui calefactus, oxydum bismuthicum flavum, globulis metallicis mixtum relinquens, comburitur. Gallas bismuthicus basicus in aqua non solvitur, chartam exploratoriam caeruleam, madefactam reddit subrubram.

Gallas bismuthicus basicus calefactus in acidi hydrochlorici quantitate quintuplici solvitur; solutis refrigescentibus, crystalla alba secernuntur.

Gallas bismuthicus basicus in solutione hydratis natrici solvitur in liquorem flavum, qui aere rubescit; una cum acido sulfurico calefactus liquorem obscure rubrum praebet.

Aetheris centimetris cubicis 10 cum Gallatis bismuthici basici grammate 1 conquassatis, deinde filtratis et evaporatis, nihil supersit, quod ponderari queat (*acidum gallicum liberum*).

Aquae centimetrum cubicorum 20 cum Gallatis bismuthici basici grammatis 2 conquassatorum filtrata ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico turbentur. Quorum filtratorum centimetra cubica 5 si diphenylamini milligrammatis 5 in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 nullo colore solutis superimponuntur, stratum confine caeruleum ne fiat.

Eorum, quae de Gallatis bismuthici basici grammate 1 combusto supererunt, in acidi nitrici diluti centimetris cubicis 10 solutorum, deinde aquae centimetris cubicis 10 et ammoniae centimetris cubicis 6 mixtorum filtrata coloris expertia sint; iis, quae de filtratis evaporatis relicta erunt, leniter candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Iis, quae de Gallatis bismuthici basici grammate 1 combusto supererunt, in acidi nitrici diluti centimetris cubicis 10 solutis, additis aquae centimetris cubicis 50 et carbonatis natrici tanta quantitate ut liquor reactionis tantum leviter acidae sit et exiguum praecipitatum constans exstiterit,

cum deinde, additis acetatis natrici centimetris cubicis 25, per horae partem quartam coctum erit, liquoris ita parati filtrata, addito bichromate kalico ne turbentur (*plumbum*).

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Gallatis bismuthici basici milligrammata 500, calore adhibito soluta in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 10, chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Gallatis bismuthici basici gramma 1 cum leniter candefactum, tum, quae relicta erunt, in acido nitrico soluta, deinde haec soluta dum sicca sint evaporata, denique quae supererunt, iterum candefacta erunt, oxydi bismuthici ita parati pondus non minus sit quam milligrammatum 520 neque plus quam 560.

Gelatina.

Gelatina, in officinis parata ex ossibus, cartilagine, tendinibus, pellibus, depurata.

Folia tenuia, propemodum coloris expertia, perlucida, nitoris vitrei, odoris expertia.

In aqua frigida Gelatina tumescit; una cum aqua calefacta paulatim liquorem praebet glutinosum, leviter opalescentem, reactionis levissime acidae, qui propemodum coloris et odoris et saporis expers sit et refrigescens, Gelatinae plus quam partem centesimam ne unam quidem continens, in gelatinam concrescit. Gelatina in spiritu non solvitur nec magis in aethere.

Gelatina in aqua (1 = 10000) soluta, addito tannino, praecipitatum secernat abundans, album, floccosum.

Gelatina combusta cineris ne plus quam partes centesimas 3 relinquat.

+ Gelatina Oxydi zincici.

Solve, calore adhibito, in balneo aquae

Gelatinae partes viginti 20

in

Aquae partibus quadraginta 40

His adde

Glycerini partes decem 10

Solutis admisce

Oxydi Zincici partes quindecim 15

ante contritas cum

Glycerini partibus quindecim 15

et tantum aquae adde ut totum pondus sit

partium centum 100

+ Glandulae Lupuli.

Lupulinum.

Glandulae quae inveniuntur in squamis strobilorum quos fert Humulus Lupulus, Linn. Sp. Pl. 1028.

Pulvis granosus, inaequalis, subfuscoflavus, constans pilis glandulosis pluricellularibus, patelliformibus, bulla cuticulae arcuata. Odor aromaticus; sapor aromaticoamarus. Glandulae Lupuli cum fortiter conteruntur, abeunt in massam plasticam, odoris penetrantis humuli lupuli.

Glandularum Lupuli grammate 1 contrito cum pumicis pulveris grossi grammatis 3 et mixtis per horas 24, frequenter conquassatis, per aetheris centimetra cubica 20 maceratis, eorum, quae de liquoris aetherei, clari centimetris cubicis 10 evaporatis supererunt, caloris gradu 100° siccatorum pondus ne sit minus quam milligrammatum 350.

Glandulae Lupuli quisquiliis, quantum fieri potest, purgatae sint.

Glandulae Lupuli combustae cineris ne plus quam partes centesimas 6 relinquant.

A luce remotae serventur.

Glycerinum.

$C_3H_5(OH)_3$ aquae partes centesimas 12,7 ad 14,5 continens.

Liquor clarus, spissus, coloris et odoris expers, saporis dulcis, hygroscopicus, qui, in aere calefactus, inflammatur et, antea non carbonescens, comburitur. Glycerinum aqua et spiritu pro quavis portione misceri potest, in aethere, in chloroformo, in oleis pinguibus non solvitur. Pondus specificum 1,230 ad 1,235.

Glycerinum aquae voluminibus 6 mixtum clarum, neutrius reactionis sit, ne addito acido hydrosulfurico neve sulfohydrate ammonico neve oxalate ammonico neve nitrate barytico speciem mutet neve addito nitrate argentico turbetur intra horae partem sexagesimam.

Glycerini centimetrum cubicum 1, una cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 5 calefactum, ne coloretur (*glucosum*) neve vapores reactionis alcalinae emittat.

Glycerini centimetra cubica 2, una cum acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 5 calefacta, odorem sebacinum ne spargant.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in mixta Glycerini centimetra cubica 2 et acidi sulfurici diluti centimetra cubica 5 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

+ Glycerinum cum Tragacantha.

Misce

Pulveris Tragacanthae partes decem 10
Glycerini partibus nonaginta 90

Mixtas per horas 24 sepone.

Gossypium cum Hydrochlorate Chinini.

Gossypium stypticum.

Imbue

Gossypii depurati partes nonaginta octo. . . 98

solutis

Hydrochloratis Chinini partibus quattuor . . . 4

in

Aquae partibus trecentis nonaginta sex . . 396

Exprime dum liquor defluens sit

partium ducentarum. 200

Gossypium, a luce remotum, sicca caloris gradu 40^0 ad 50um.

Gossypium quod Hydrochloratis Chinini partes centesimas non minus quam 2 contineat.

Gossypii cum Hydrochlorate Chinini milligrammata 100, per aquae centimetra cubica 5 extracta, aquae chloratae centimetro cubico 1, deinde ammoniae guttis 5 mixta, virescant.

A luce remotum servetur.

+ Gossypium cum Iodoformo.

Gossypium depuratum, iodoformo minutissimo aequabiliter praeditum.

Gossypium cum Iodoformo contineat iodoformi partes centesimas fere 10, id quod ita statuitur: Gossypii cum

Iodoformo grammata 2 percola per aethera dum liquor coloris expers defluat. Liquori aethereo adde solutum nitratis argentici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 4 et acidi nitrici diluti grammate 1; cucurbitam converte dum liquor coloris expers factus sit; aethera destillatione remove. Si opus erit, aliquamdiu in balneo aquae calface dum reactio finita sit; adde aquae centimetra cubica 20; iodetum argenticum collige in filtrum noti ponderis; elue, sicca, pondera. Iodeti argentici pondus ne sit minus quam milligrammatum 340 neve plus quam milligrammatum 375.

Praeter Gossypii cum Iodoformo genus supra memoratum adesse licet Gossypium plus minusve iodoformi continens, dum ne Iodoformi quantitas plus quam partem vicesimam differat ab iis, quae in involucro, quo venire solet, indicata erunt.

A luce et ab aere remotum servetur.

+ Gossypium depuratum.

Pili seminum quae praebent variae species generis Gossypii, depurati, omni pinguedine liberati.

Microscopia. Pili longi, tenues, unicellulares, compressi ideoque ligulati, plerumque admodum torti, nonnunquam vel helicoidei, in basi abscissi, inde paulatim in latitudinem crescentes; latissimi sunt paulo infra medium; apicem versus angustiores, extremitate tenuissime conica, nonnunquam spatulata. Pili ne sint breviores quam centimetra 3; in parte latissima non minus quam 12 μ neque plus quam 48 μ lati sunt. Membrana cellulae tumefacta, partem tertiam vel duas diametri cellulae crassa; nonnullorum pilorum tenuissima est; coloris expers; maximam partem constat celluloso, cuticula tenuissima, spiraliter striata vel granosa (inquisitio in aere), quae interdum per tractationes pristinas

partim ablata est: scrobiculi altiores vel membranarum dislocationes nullae. Massa cellulae inclusa: aer et protoplasmatis reliquiae exiguae.

Gossypium depuratum album sit, odoris expers, frustulis duris et corporibus alienis liberum. Aquae superimpositum celeriter imbuatur, quo facto submergatur.

Charta exploratoria inter Gossypium depuratum madefactum pressa colorem ne mutet.

De Gossypii depurati grammatis 5 per aethera plane extractis, aethere evaporato, milligrammata ne plus quam 10 relinquantur; quod gossypium cum siccatum et aquae ebullientis centimetris cubicis 100 superfusum erit, aqua post horam 1 expressa, filtrata ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico neve oxalate ammonico neve iodeto kalico cum amylo speciem mutet intra horae partem sexagesimam.

Gossypium depuratum supra acidum sulfuricum siccatum ponderis ne amittat plus quam partes centesimas 5.

Gossypium depuratum combustum cineris ne plus quam partis centesimae decimas tres (0,3) relinquat.

Granula.

Singula granula, nisi alia quantitas praescripta erit, medicamenti singula (1) milligrammata contineant neve pondus habeant plus quam milligrammatum tricenum (30).

Parari possunt miscendo medicamento mixtis

Pulveris Sacchari Lactis partibus viginti . . . 20

et

Pulveris Gummi arabici partibus quinque . . . 5

ex his per Sirupum simplicem massa paranda, hanc massam in Granula dividendo, Granula talco veneto involvendo vel argento foliato obducendo.

+ Guaiacolum.

$C_6H_4.OCH_3.OH.1,2.$

Crystalla coloris expertia vel tantum subrosea, rhomboedrica, odoris aromatici, saporis subdulciter adstringentis. Caloris gradu 27,6° ad 27,8um liquescunt. Guaiacolum liquefactum, vel infra caloris gradum 27,6um facile remanet liquidum et ita pondere specifico est 1,143. Guaiacolum caloris gradu 205° ebullit. In aquae partibus fere 60, in spiritu et in glycerino facile solvitur.

Guaiacolum in aqua (1 = 60) solutum, addita chloreti ferrici vel minima quantitate, colorem trahit caeruleum indici instar, qui statim in rubrofuscum transit.

Guaiacoli gramma 1 leni calore in solutionis hydratis natrici normalis centimetris cubicis 8 solvatur.

Guaiacolum combustum nihil relinquat.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 3.

Ad usum in dermate

Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2

Gummi arabicum.

Gummi Acaciae.

Gummi profluens e stirpibus et ramis quae praebent Acacia Senegal, Willd. Sp. Pl. IV. 1077 et aliae species eiusdem generis, aere induratum.

Frusta plus minusve rotundata, albida vel subflavida, magnitudinis diversae, extra non nitida et rimosa, fragilissima, fractura parviconchata, quae in assulas subiri-

descentes, vitri instar nitentes frangi possunt. Odor nullus; sapor fatuus.

Gummi arabicum in aquae pondere duplici solvatur in mucum clarum, coloris fere expertem, odoris prorsus expertem, reactionis leviter acidae, qui, partem gummosam insolubilem nullam secernens, aqua facile dilui possit. Addito spiritu vel chloreto ferrico vel biborate natrico mucus gummosus praebet gelatinam.

Gummi arabicum in aqua (1 = 10) solutum, in tubo decimetrum 1 longo inclusum, radium lucis polarisatae gradus fere −2,5 detorqueat.

Gummi arabicum in aqua (1 = 100) solutum, addito acetate plumbico, praecipitatum ne deponat, at deponat, addito acetate plumbico basico atque etiam, aquae quantitate centuplici dilutum, turbetur.

Gummi arabicum in aqua (1 = 10) solutum, addita solutionis iodii gutta 1, caeruleum neve fuscum fiat (*amylum et dextrinum*) neve, addita chloreti ferrici gutta 1, e caeruleo neve e viridi nigrescat. Cum liquore Fehlingi concoctum oxydum cuprosum omnino ne secernat aut partem perexiguam; solutorum centimetra cubica 25 ut neutrius reactionis sint, phenolphthaleino indicatore, alcali decinormalis ne minus quam centimetrum cubicum 1 neve plus quam centimetra cubica 3 requirant.

Gummi arabicum combustum cineris ne plus quam partes centesimas 4 relinquat, qui cinis albus sit.

+ Gummi elasticum.

Sucus lacteus incisione paratus e nonnullis teporis Urticaceis et Euphorbiaceis arboreis vel Apocynaceis caulibus scandentibus, tortilibus, postquam coaluit siccatus; imprimis merx venalis ex America Meri-

dionali oriunda, nomine „Pararubber'' nota, vel materies aeque bona, qualis e. g. in India Orientali Nederlandica e plantis cultis paratur vel e sponte sua crescentibus colligitur.

Plerumque laminae, crassae centimetra ad 2, extra coloris fusci vel atri, intra multo clarioris, usque ad sordide album; laminas, si transverse persectae sunt, constare apparet stratis regularibus, parallelis, tenuibus, quisquilias non exhibentibus.

Materies coriacea, simul elastica, tactu larido similis, quae in aqua natat, in aqua ebullienti magis elastica nec tamen glutinosa neque ad depsendum idonea, caloris autem gradu 120° valde glutinosa fit at ne gradu 180° quidem tota liquescit.

Odor proprius, odori kreosoti quodammodo similis.

In chloroformo, in sulfido carbonico, in benzolo, in aethere petrolei Gummi elasticum maxime tumescit in gelatinam perlucidam, in qua, si res est cum Gummi elastico Para, strata prima perspicua sunt, quaeque trita vel fortiter quassata cum materia, in qua Gummi elasticum solutum est, iungitur in mucilaginem spissam.

Gummi elastici grammatis 1 concisi et caloris gradu 100° siccati, tum per horam 1 concocti cum solutis hydratis kalici grammatis 2 in alcoholis absoluti centimetris cubicis 20, deinde idenditem per aquam excocti, denique caloris gradu 100° siccati pondus ne deminutum sit plus quam milligrammatis 100; liquor alcoholicus inde defusus addito acetate plumbico ne coloretur (*gummi elasticum sulfuratum*).

Gummi elasticum combustum cineris ne plus quam partes centesimas 8 relinquat.

A luce remotum, sub aqua servetur.

+ Gummi plasticum.

Sucus lacteus siccatus, incisione paratus e stirpibus quas praebent nonnullae species generis Palaquii et nonnullae Sapotaceae affines, in Sumatra et in Borneo insulis sponte sua crescentes vel in Iava insula cultae.

Plerumque placentae, depsendo fictae, extra griseofuscae, si transverse persectae sunt, clare fuscae vel quodammodo carnosae, enormiter striatae, stratis clarioribus, interdum propemodum albis.

Materies solida, parum lenta, non granosa, quae in aqua natat, caloris gradu iam 60° mollescit, in aqua ebullienti lenis et plastica fit nec tamen liquescit. Gummi plasticum refrigeratum, rursus durum factum, ipsam formam retinet sibi datam cum calidum erat. Dum plasticum est, facile extenuatur in taeniam firmam, semiperlucidam, quae neve fragilis neve glutinosa sit. Gummi plasticum, exceptis quisquiliis, quae ne plus sint quam partes centesimae 10, in chloroformo et in sulfido carbonico lente solvitur in liquorem griseofuscum, non viridem, spissum, qui addito aethere turbatur. Gummi plastici concisi grammatis 1, cum alcoholis absoluti centimetris cubicis 20 per horam 1 concocti, ne plus quam milligrammata 150 soluta sint.

Gummi plasticum combustum cineris ne plus quam partes centesimas 5 relinquat.

In India Occidentali Nederlandica loco Gummi plastici adhiberi licet *balata* ibi collectum e specie generis Mimusopis.

Gummi plasticum depuratum.

Bacilla vel folia constantia Gummi plastico in officinis depurato.

Gummi plasticum depuratum foliaceum (quae Charta Getah Pertja quoque dicitur) coloris sit flavofusci vel fusci, perlucidum, aequabile, particularum obscurarum expers, plasticum, nec glutinosum nec fragile, tantaeque crassitudinis ut metrum quadratorum singulorum pondus sit grammatum 100 ad 150.

Gummi plasticum depuratum in chloroformo totum solvatur ceteraque isdem postulatis satisfaciat, quibus Gummi plasticum.

A luce remotum loco frigido, sicco servetur.

+ Herba Cannabis indicae.

Inflorescentiae resina non orbatae quas praebent exempla feminea narcoticae varietatis herbae cui nomen est Cannabis sativa, LINN. Sp. Pl. 1027, quae in India Britannica nomine *Ganja* colitur.

Quantum fieri potest foliis magnis et ramis orbatae sunt, plerumque certo numero conglutinatae, repressae, centimetra 2 ad 10 longae, fragiles, coloris sordide viridis. Pauca folia parva, palmata, foliolis linearilanceolatis adsunt. Inflorescentiae, strues dichasiorum densorum, partim tantum adultorum. Bracteae linearilanceolatae binis stipulis brevioribus lanceolatis; in axilla singularum stipularum flores singuli adesse videntur, adhuc circumdati bractea spatham efficiente, simul cum fructu coalescente. Flores omnis aetatis adsunt feminei, hypogyni; perigonium campanulatum, limbi expers, ovarium ad dimidiam altitudinem arte includens, membranaceum; pistillum stigmatis filiformibus 2. Superficies

ramorum, foliorum, bractearum obsita est multis pilis brevibus, compressis et glandulis multo minus conspicuis, globosis.

Odor tenuis, narcoticus; sapor subamarus.

Herbae Cannabis indicae pulvere decocto cum spiritu, spiritu evaporato, denique iis, quae supererunt, caloris gradu 100° siccatis, extracti non minus quam partes centesimae 10 supersint

---

+ Herba Cardui benedicti.

Pars epigaea quam praebet Carbenia benedicta, Adans. Fam. II. 116, in prima anthesi collecta.

Planta annua, decimetra ad 6 alta. Caulis erectus, herbaceus, sursum corymbosoramosus, angulatus; superficies pilis longis, albis et pilis glandulosis brevibus capitibus parvis, rotundis, albis, eoque glutinosa, viridis; iuga rubra. Folia sparsa; summa densa involucrum efficiunt, in quo capitulum latet. Folium longum decimetra ad 3, simplex, sessile, petiolo triquetro in basi caulis. Lamina lanceolato-pinnatifida, lobis erecte extentis; lamina foliorum summorum cordata, lobata; apex et summitates loborum acuta, in saetam acutam desinentia; loborum sinus rotundati; basis obtusa, secundum caulem minuta, foliorum summorum aurita, imorum acuta, in petiolum abiens; margo grosse et enormiter dentatus; pili quales caulis. Inflorescentia, capitulum, centimetra 3 altum, crassum centimetra 2, in cuiusque rami summitate 1. Receptaculum planum, obsitum squamis saetosis, albis. Involucrum fere globosum, constans bracteolarum stratis compluribus; involucri bracteolae virides, extremae ovatae, breviores, in summitate spina longa, praeacuta, intimae longiores, minus latae, spina rectangule extrinsecus flexa, obscure rubra, pinnatifida; omnes spinae densissime pilosae araneorum more.

Flores longi centimetra ad 3. Flosculi radii 4 ad 6, neutri, constantes tantum corolla tubulosa, in ovarii rudimento posita; haec corolla est tubulosa, lobis linearibus 3, flavis. Flosculi disci crebri, completi, epigyni. Pappus in coronis 3; margo dentibus 10, saetis albis 10 longis, totidem brevibus. Corolla monopetala, quinqueloba, tubulosa, quodammodo zygomorpha, lobo longo 1, lobis mediocribus 2, brevibus 2, qui omnes capituli axem versus flexi sunt; tubus albus, lobi flavi; pili glandulosi in tubo et in lobis. Stamina 5, in corolla insita, syngenesia; antherae flavae, marginibus violaceofuscis, quarum pars superior producta est in finem longum, planum, falcatum, unde tubus curvatus efficitur. Pistillum compositum e carpellis 2, stylo longo 1, stigmatis brevibus 2; ovarium iugis praeditum, album, ovulo 1.

Sapor amarus.

+ Herba Centaurii.

Pars epigaea quam praebet Erythraea Centaurium, Pers. Syn. I. 283, in prima anthesi collecta.

Caulis decimetra ad 5 altus, herbaceus, erectus, plerumque non ramosus, interdum infra valde ramosus, quadrangulus ad sexangulum, tenuiter alatus in lateribus; superficies glabra. Folia caulis decussata Folium simplex, sessile. Lamina centimetra ad 3 longa, oblonga, in foliis superioribus minus lata, ad linearem, curvinervis, nervis 3 ad 5; apex et basis acuta; margo integer; superficies glabra. Inflorescentia mixta; dichasia saepe in cincinnos parvos abeuntia, omnia in corymbum ramosum coniuncta; bracteae lanceolatae ad lineares; bracteolulae adsunt. Flos centimetrum fere 1,5 longus, completus, actinomorphus, hypogynus. Calix monosepalus, quinquepartitus, tubulosus, viridis, persistens. Corolla monopetala, limbo quinquepartito, hypocrateriformis; lobi

ovati, rubri, in basi macula clariore, ante et post anthesin torti. Stamina 5, insita in fauce corollae; antherae innatae; introrsum dehiscentes, post anthesin helicoideae. Pistillum compositum e carpellis 2, stylo 1 cylindrico, stigmatis 2 spatulatis; ovarium cylindricum, incomplete biloculare, placentis axillaribus et ovulis crebris.

Odor nullus; sapor amarus.

+ Herba Cochleariae recens.

Pars epigaea quam praebet Cochlearia officinalis, Linn. Sp. Pl. 647, recens dum floret collecta.

Caulis herbaceus, erectus, ramosus, angulatus, glaber, clare viridis. Folia sparsa, simplicia. Folia radicalia longipetiolata; lamina centimetra 2 ad 3 lata, cordata vel reniformis, palminervis vel penninervis, margine integro. Folia caulis ima foliis radicalibus similia, sed minora et magis dentata. Folia superiora sessilia vel amplexicaulia; lamina angusta, ovata, grosse dentata. Omnia folia subcarnosa, sucosa, nitida, superficie glabra. Inflorescentia, racemus. Flores albi.

Odor herbae, cum conteritur, acer, sinapinus; sapor acer, amarus, salsus.

+ Herba Lobeliae.

Pars epigaea quam praebet Lobelia inflata, Linn. Sp. Pl. 931, dum fructifera fit collecta, sectiva, siccata, in lateris formam compressa.

Caulis decimetra ad 6 altus, herbaceus, erectus, ramosus, angulatus, tenuiter alatus, superficies puberula in alis,

viridis, in basi rubroviolaceus. Folia sparsa. Folia simplicia, sessilia, ima brevipetiolata. Lamina centimetra ad 6,5 longa, ovalis ad oblongam, penninervis; apex et basis acuta; margo enormiter repandus, quisque angulus in parte superiore parvo puncto albo praeditus est; superficies puberula, imprimis in margine et in parte inferiore nervorum. Inflorescentia, racemus bracteolis lanceolatis, viridibus, sed basin versus flores sparsi, bracteolis paulatim in folia caulis abeuntibus. Flos centimetrum fere 1 longus, completus, zygomorphus, epigynus. Calix fere actinomorphus, pentasepalus, persistens; sepala linearia, corollam aequantia, quodammodo patentia, obscure viridia. Corolla labiata, resupinata; labium superius lobis 2, ad tubi basin divisum, quare in illa parte corolla aperta est; lobi lanceolati; labium inferius lobis 3, oblongis; color clare violaceus, in labio inferiore macula flava. Stamina 5, syngenesia; filamenta clare violacea; filamenta staminum 3 postremorum supra coaluerunt; antherae erectae, nigroviolaceae. Pistillum compositum e carpellis 2, stylo 1 et stigmate fisso; ovarium inflatum, iugis 10, postea fere globosum, viride, biloculare, placentis axillaribus crassis et ovulis multis. Capsula calice persistenti, tantum in apice loculicide dehiscens valvis 2. Semina millimetri partes ad tres (0,75) longa, oblonga; superficies reticulata marginibus fuscis; maculae in longitudinem extentae, coloris clarioris, iridescentes.

Odor nullus; sapor acer.

+ Herba Maioranae.

Pars epigaea quam praebet Origanum Maiorana, Linn. Sp. Pl. 590, in anthesi collecta, caulibus crassioribus remotis.

Caulis decimetra ad 5 altus, herbaceus parte inferiore

nonnunquam lignosa, erectus; praesertim in basi ramosus, in summitatibus florentibus paniculatus; quadrangulus; superficies canotomentosa, multis pilis glandulosis flavis, globosis. Folia decussata. Folium simplex, petiolatum. Lamina centimetra ad 3 alta, ovalis vel obovata, secundum costam plus minusve sursum complicata; penninervis; apex obtusus, basis acuta; margo integer; superficies utrimque pilosa ut caulis. Inflorescentia, capitula globosa, non pedicellata, constantia multis floribus, qui singuli in singulis axillis bracteolarum decussatarum positi sunt; quae capitula numero 3 ad 9 in glomera fere globosa coniuncta sunt in summitatibus ramulorum; bracteolae latae, obovatae, in parte exteriore pilosae ut caulis. Flos millimetra ad 5 longus, completus, zygomorphus, hypogynus. Calix labiatus, tubi expers, labio superiore permagno, inferiore perexiguo, denticulis 2 parum conspicuis; viridis; pilosus ut caulis et folium, at pilis vulgaribus paucioribus, pilis glandulosis pluribus. Corolla labiata, alba vel violacea, pilis vulgaribus. Stamina in corolla insita, didynama. Pistillum compositum e carpellis 2, stylo 1 et stigmate fisso. Tetrachenium.

Odor et sapor proprii, aromatici, plus minusve camphoracei.

+ Herba Sabinae.

Summitates iuniores quas fert Iuniperus Sabina, Linn. Sp. Pl. 1039, verno tempore collectae.

Ramuli internodiis brevissimis. Folia decussata vel trifariam verticillata. Folia millimetra 2 ad 8 longa, sessilia; rhombea et imbricata vel magis acerosa et patula; in partibus exterioribus foliorum singulorum singulae glandulae oblongae, depressae.

Microscopia pulveris. Parenchyma chlorophyllum continens. Cellulae epidermidis oblongae, membranis lateralibus

tumefactis, in quibus scrobiculi altiores. Stomata in utraque parte folii; cellulae includentes membranis hic illic ligneis, qua re in hydrate chlorali cellulae includentes extremae discedere videntur, et in spatiis cuneatis ita factis bacillum ligneum in extrema parte furcae modo diffusum, describitur. Iuxta fasciculum vasorum foliorum cellulae parenchymaticae (in hydrate chlorali) leptotichae, membranae tumoribus valde conspicuis, columnaribus, nonnunquam ramosis. Fibrae pachytichae, plerumque cum epidermide coniunctae. Vasa spiralia tenuissima. Fibrae tracheideae tenues, parvis scrobiculis duplicibus. In parenchymate amylum multum, grana chlorophylli fere prorsus implens.

Odor herbae, praesertim cum conteritur, valde terebinthinaceus; sapor amarus, acer.

Herbae Sabinae pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 8 relinquat.

+ Hirudines.

Hirudinea Sanguisuga medicinalis Sav. et Sanguisuga officinalis Sav.

Illa (hirudo Germanica) cute quodammodo granosa, tergo olivacea est, 6 striis directis, fuscorubris, nigro maculatis; venter e viridi flavus est, nigro maculatus. Haec (hirudo Hungarica) cute levi, in tergo strias latiores, flavas habet; venter est clarius viridis, non maculatus.

Hirudines sint lubricae, agiles, manu leviter pressae mox se contrahant in formam olivae. Pondus sit grammatis 1 ad 2,5, longitudo ne minor quam centimetrum 5.

Hirudines, quae sanguinem iam suxerunt, dispensentur non licet; gossypium, acido acetico diluto madefactum, cum ad hirudinis acetabulum pressum erit, ne rubescat.

+ Hydrargyrum.

Hg.

Metallum liquidum, valde nitidum, volatile. Pondus specificum 13,57.

Hydrargyrum in acido nitrico totum solvitur; ita solutum liquorem praebeat, qui evaporatus residuum relinquit, quod admodum calefactum, totum evanescit.

Hydras Chlorali.

$CCl_3.CH(OH)_2$.

Crystalla sicca, non hygroscopica, coloris expertia, perlucida, monoclinia, odoris proprii, saporis subamari et pungentis, quae in balneo aquae calefacta tota evanescunt. Hydras Chlorali in aquae parte quarta (0,25) et in spiritus parte quinta (0,2) solvitur.

Hydratis Chlorali gramma 1 additis solutionis hydratis natrici centrimetris cubicis 2, chloroformum secernens, totum dissolvitur.

Hydras Chlorali in aqua (1=2) solutus plane clarus sit. In aqua (1=10) solutus reactionis sit neutrius vel leviter acidae, addito nitrate argentico, non aut vix opalinus fiat.

Hydras Chlorali una cum acido nitrico calefactus vapores fuscos ne emittat.

Hydras Chlorali una cum acidi sulfurici pari volumine leniter calefactus liquescit; interea ne coloretur neve vapores acidos emittat.

Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 4.

+ Hydras kalicus.

KOH.

Bacilla vel frusta plana sicca, alba, crystallina, dura, hygroscopica, calore liquescentia. Hydras kalicus in aquae parte dimidia (0,5) et in spiritus partibus 2,4 solvitur.

Hydratis kalici grammata 5 in aquae centimetris cubicis 20 soluta isdem postulatis et isdem legibus puritatis satisfaciant, quibus Solutio hydratis kalici.

Hydratis kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 10 solutum, ut neutrius reactionis sit, acidi normalis centimetra cubica non minus quam 16 requirat, quod convenit cum KOH partibus centesimis non minus quam 89,8.

Per calcem vivam servandus.

+ Hydras natricus.

NaOH.

Bacilla vel frusta plana sicca, alba, crystallina, dura, hygroscopica, calore liquescentia. Hydras natricus in aquae parte dimidia (0,5) et in spiritus partibus 4,2 solvitur.

Hydratis natrici grammata 3 in aquae centimetris cubicis 20 soluta isdem postulatis et isdem legibus puritatis satisfaciant, quibus Solutio hydratis natrici.

Hydratis natrici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 10 solutum, ut neutrius reactionis sit, acidi normalis centimetra cubica non minus quam 22,5 requirat, quod convenit cum NaOH partibus centesimis non minus quam 90,1.

Per calcem vivam servandus.

+ Hydras Terpini.

$C_{10}H_{18}(OH)_2.H_2O.$

Crystalla coloris expertia, odoris et saporis subaromatici, rhombea, quae caloris gradu 116⁰ liquescunt et calore aucto flamma admodum lucenti comburuntur. Hydras Terpini in aquae partibus 230 et in spiritus partibus 12,8 solvitur; ita solutus neutrius reactionis est.

Hydras Terpini, caloris gradu 100⁰ siccatus, in terpinum transit caloris gradu 102⁰ liquescens.

Hydratis Terpini milligrammata 10, in acidi sulfurici centimetro cubico 1 soluta, praebent liquorem aurantiacum, qui, additis aquae centimetris cubicis 6, spargens odorem qualis est olei terebinthinae et olei citri, lactescit.

Hydratis Terpini gramma 1 combustum cineris ne plus quam milligrammata 3 relinquat.

+ Hydrobromas Homatropini.

$C_{16}H_{21}NO_3.HBr.$

Pulvis albus, microcrystallinus, odoris expers, qui caloris gradu 216⁰ liquescit et calore aucto totus comburitur. Hydrobromas Homatropini in aquae partibus 7,2 et in spiritus partibus 25,7 solvitur.

Hydrobromatis Homatropini parva quantitas (milligramma 1 ad 10), una cum acidi nitrosonitrici guttis 4 vel 5 in balneo aquae evaporata dum sicca sit, residuum relinquit, quod, addita solutione hydratis kalici spirituosa, colorem aurantiacum trahit, cui violaceus ne admixtus sit (*atropinum*). Hydrobromatis Homatropini milligramma fere 1 calefactum dum nebulae ortae sint, deinde una cum acidi sulfurici centimetro cubico 1,5 calefactum dum hoc coloretur, denique,

cum refrixerit, aquae centimetris cubicis 2 mixtum, odorem proprium spargit, qualis est florum.

Hydrobromas Homatropini in aqua (1 = 50) solutus, addito chloreto aurico, praecipitatum fuscum deponit, quod initio guttis oleosis constat, deinde crystallinum fit; addito nitrate argentico, praecipitatum deponit flavidoalbum, quod in ammonia non facile solvitur.

Hydrobromatis Homatropini milligrammata 20 in aquae centimetro cubico 1 soluta neutrius reactionis sint neve additis ammoniae guttis 2 turbentur.

Hydrobromatis Homatropini milligrammata 10, addito acidi sulfurici centimetro cubico 1, effervescentia liquorem praebent coloris fere expertem, qui, addita acidi nitrici gutta 1, colorem subfuscum trahit, at, bromio secreto leni calore expulso, rursus coloris fere expers fiat.

+ Hydrobromas Scopolamini.

$C_{17}H_{21}NO_4.HBr.3H_2O.$

Crystalla coloris expertia, rhombea, quae caloris gradu 100^0 liquefacta aquae crystallinae partes centesimas 12,3 amittunt, anhydrica caloris gradu 187^0 ad 190um liquescunt, aucto calore tota comburuntur. Hydrobromas Scopolamini in aquae partibus 4 et in spiritus partibus 21,5 solvitur. Ita solutus reactionis est leviter acidae.

Hydrobromatis Scopolamini parva quantitas (milligramma 1 ad 10), una cum acidi nitrosonitrici guttis 4 vel 5 in balneo aquae evaporata dum sicca sit, residuum relinquit, quod, addita solutione hydratis kalici spirituosa, colorem trahit violaceum, qui postea in rubrum transit. Hydrobromatis Scopolamini milligramma fere 1, una cum acidi sulfurici centimetro cubico 1 calefactum dum mixta manifesto fusca

fiant, et, cum refrixerit aquae guttis nonnullis mixtum, odorem proprium spargit, qualis est florum.

Hydrobromas Scopolamini in aqua (1 = 50) solutus, addito chloreto aurico, praecipitatum praebet aurantiacum, quod in aqua ad caloris gradum 100um calefactum non liquescit.

Hydrobromas Scopolamini in aqua (1 = 20) solutus, addito nitrate argentico, praecipitatum praebet flavidoalbum, quod in ammonia non facile solvitur.

Hydrobromatis Scopolamini milligrammata 20 in aquae centimetro cubico 1 soluta additis ammoniae guttis 2 ne turbentur.

Doses maximae singulae milligrammatis dimidiae partis (0,5).

Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 1.

Iniectionum subcutanearum

Doses maximae singulae milligrammatis partis quartae (1/4).

Hydrochloras Apomorphini.

$C_{17}H_{17}NO_2.HCl.$

Crystalla acicularia coloris expertia vel clare e griseo viridia, odoris expertia, saporis amari, quae luce, praesertim in aere humido, virescunt. Hydrochloras Apomorphini in aquae partibus 40,4 solvitur.

Hydrochloratem Apomorphini acidum nitricum colore sanguineo inficit.

Hydrochloratis Apomorphini milligrammata 10 in aquae centimetris cubicis 10 soluta, acidi nitrici diluti gutta 1 mixta, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponunt, quod, addita ammonia, statim argentum secernit.

Hydrochloras Apomorphini in aqua (1 = 100) solutus, addito carbonate natrico, praecipitatum album deponit, quod aere mox virescit, et ita colore violaceo in chloroformo solvitur.

Hydrochloras Apomorphini in aqua (1 = 100) solutus neutrius reactionis, clarus, coloris expers sit vel tantum subviridis.

Aether et chloroformum cum Hydrochlorate Apomorphini conquassata ne colorentur.

Hydrochloras Apomorphini combustus nihil relinquat.

A luce remotus servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 10.

Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 50.

Iniectionum subcutanearum

Doses maximae singulae milligrammatum 10.

Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 25

Hydrochloras Chinini.

$C_{20}H_{24}N_2O_2.HCl.2H_2O.$

Crystalla coloris expertia, nitida, acubus similia, saporis amari, quae calefacta tota comburuntur. Hydrochloras Chinini in aquae partibus 29,9 et in spiritus partibus 0,8 solvitur.

Hydrochloras Chinini in aqua (1 = 50) solutus neutrius reactionis est vel leviter alcalinae; solutorum guttae 2, additis aquae centimetris cubicis 5, aquae chloratae centimetro cubico 1, deinde ammoniae guttis 5, liquorem clarum, viridem praebent; additis acidi sulfurici diluti guttis nonnullis, soluta

colore caeruleo leviter, addita aqua fortiter fluorescunt. Solutis per ammoniam chinino liberatis, liquor clarus, per acidum nitricum dilutum acidus factus, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod in ammonia facile solvitur.

Hydrochloras Chinini in aqua (1 = 50) solutus, addita ammonia, praecipitatum album deponat, quod, ubi mixta cum aethere conquassantur, plane evanescat; addito nitrate barytico, ne intra horae partem sexagesimam, addito acido sulfurico diluto, nequaquam turbetur (*baryum*).

Hydrochloratis Chinini milligrammata 100 in acidi sulfurici centimetris cubicis 2 soluta tantum subflava, in acidi nitrici centimetris cubicis 2 soluta coloris fere expertia sint.

Hydrochloratis Chinini grammata 2 in aquae calidae centimetris cubicis 10 soluta si sulfatis kalici milligrammatis 550 in aquae centimetris cubicis 4 solutis mixta et evaporata, ea, quae supererunt, in pulverem redacta et cum aquae centimetris cubicis 20, frequenter quassata, per horae partem dimidiam caloris gradu 60^0 ad 65um calefacta erunt, si mixta refrigerata et, frequenter quassata, per horas 2 caloris gradu 15^0 retenta, denique per lanam vitream filtrata erunt, filtratorum centimetra cubica 5, additis ammoniae centimetris cubicis 4,5 caloris gradus 15^i, liquorem praebeant clarum.

Hydrochloras Chinini, caloris gradu 100^0 siccatus, ponderis partes centesimas ne plus quam 9 amittat.

Hydrochloras Chinini chinini partes centesimas 81,7 continet.

A luce remotus servetur.

Hydrochloras Cocaini. F. I.

$C_{17}H_{21}NO_4.HCl.$

Crystalla prismatica, coloris et odoris expertia, saporis subamari, quae linguae sensum torporis excitant, caloris gradu 183° liquescunt, calore aucto tota comburuntur. Hydrochloras Cocaini in aqua et in spiritu facile, in aethere et in chloroformo parum solvitur.

Hydrochloratis Cocaini milligrammata 10 in acidi sulfurici guttis 5, acidum hydrochloricum emittentia, nullo colore solvuntur; quibus solutis per horae partem duodecimam caloris gradu 105° calefactis et, cum refrixerint, aquae centimetro cubico 1 dilutis, benzoas methylicus exsistit et crystalla secernuntur, quae, liquore calefacto vel cum aethere conquassato, solvuntur.

Hydrochloras Cocaini in aqua (1 = 10) solutus coloris et saporis expers, reactionis neutrius sit.

Hydrochloras Cocaini in aqua (1 = 50) solutus, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod in ammonia facile solvitur.

Hydrochloratis Cocaini milligrammata 10 in aquae guttis 2 soluta, mixta solutionis permanganatis kalici (3 = 100) guttis 3, praecipitatum violaceum deponunt; quibus mixtis calefactis benzaldehydum ne exsistat (*cinnamylecgoninum*).

Hydrochloratis Cocaini milligrammatis 100 in aquae centimetris cubicis 85 solutis si ammoniae guttae 4 adduntur et fortiter agitatur, praecipitatum deponitur floccosum, crystallis constans; liquor ne lactescat (*alcaloidea coca alia*).

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 150.

Hydrochloras Codeini.

$C_{18}H_{21}NO_3.HCl.2H_2O.$

Crystalla acicularia, alba, saporis amari. Hydrochloras Codeini in aquae partibus 26 solvitur.

Hydrochloratis Codeini milligrammata 50 in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 soluta coloris expertia sint et leniter calefacta, addita chloreti ferrici vel minima quantitate, obscure caerulea fiant.

Hydrochloras Codeini in aqua (1 = 50) solutus, addito nitrate argentico, praecipitatum deponit album, quod in ammonia facile solvitur.

Hydrochloratis Codeini milligrammata 5 in aquae centimetro cubico 1 et acidi hydrochlorici diluti gutta 1 soluta si ferricyaneti kalici milligrammati 1 et chloreti ferrici milligrammatis 10, recens in aquae centimetris cubicis 10 solutis, addita erunt, mixta caerulea ne fiant intra horae partem duodecimam (*morphinum*).

Hydrochloras Codeini in aqua (1 = 50) solutus neutrius reactionis sit neve addito nitrate barytico turbetur.

Hydrochloras Codeini, caloris gradu 100° siccatus, ponderis ne plus quam partes centesimas 10 amittat neve combustus quicquam relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum **50**.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum **200**.

Hydrochloras Morphini.

$C_{17}H_{19}NO_3.HCl.3H_2O.$

Crystalla acicularia, coloris et odoris expertia, saporis amari, nitoris sericei, plerumque in cubos leves, albos coniuncta. Hydrochloras Morphini in aquae partibus 25 et in spiritus partibus 57,7 solvitur.

Hydrochloras Morphini, addito acido nitrico, rubescit, addito chloreto ferrico, caeruleus fit.

Hydrochloratis Morphini milligrammata 10 in aquae centimetris cubicis 10 soluta, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponunt, quod, addita ammonia, argentum non secernens solvitur.

Hydrochloras Morphini in aqua (1 = 20) solutus neutrius sit reactionis. Addita solutione hydratis natrici, praecipitatum deponit, quod in reagentis quantitate excedenti rursus solvitur. Liquoris ita parati centimetris cubicis 5 cum aetheris pari volumine conquassatis, strato aetheris filtrato et evaporato, quae supererunt, ponderari nequeant (*alia alcaloidea*).

Hydrochloras Morphini in acido sulfurico colore nullo aut tantum clarissime rubro solvatur.

Hydrochloras Morphini, caloris gradu 100° siccatus, ponderis ne plus quam partes centesimas 14,5 amittat neve combustus quicquam relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum 20
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 100.

Iniectionum subcutanearum
Doses maximae singulae milligrammatum 20.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 60.

+ Hydrochloras Pilocarpini.

$C_{11}H_{16}N_2O_2.HCl.$

Crystalla coloris et odoris expertia, saporis amari, quae caloris gradu 193° ad 195um liquescunt et calore aucto tota comburuntur. Hydrochloras Pilocarpini in aqua et in spiritu facile, in aethere et in chloroformo parum solvitur.

Hydrochloratis Pilocarpini et chloreti hydrargyrosi totidem partes mixtae, addita aquae vel minima quantitate, colorem e nigro griseum trahunt.

Hydrochloras Pilocarpini in aqua (1 = 10) solutus chartam exploratoriam caeruleam subrubram reddit; addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod in ammonia facile solvitur; addita solutione hydratis natrici valde turbatur, guttas oleosas secernens, quae quassatae evanescunt.

Hydrochloras Pilocarpini in aqua (1 = 100) solutus, addito chloreto hydrargyrico, praecipitatum album, addita solutione iodii, rubrum, quod mox fuscum fit, addita aqua bromata, flavum deponit.

Hydrochloratis Pilocarpini milligrammata 10 in acidi sulfurici guttis 5, acidum hydrochloricum emittentia, nullo colore solvantur.

Per calcem vivam servandus.

Doses maximae singulae milligrammatum 20.

Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 50.

Hypophosphis calcicus.

$Ca(H_2PO_2)_2$.

Pulvis albus, crystallinus, non hygroscopicus. Hypophosphis calcicus in aquae partibus 6 ad 7 solvitur, in spiritu fere non solvitur.

Hypophosphis calcicus calefactus, emittens hydrogenium phosphoratum aere exardescens, dissolvitur.

Hypophosphis calcicus in aqua (1 = 20) solutus reactionis neutrius vel leviter alcalinae est; addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod mox fuscum fit, deinde nigrescit; addito oxalate ammonico, deponit praecipitatum album, quod in acido acetico non solvitur.

Hypophosphis calcicus in aqua (1 = 20) solutus, per acidum hydrochloricum acidus factus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet.

Hypophosphis calcicus in aqua (1 = 100) solutus addito nitrate barytico vel acetate plumbico ne statim turbetur.

Huius liquoris centimetris cubicis 5 nitratis argentici guttis 3 et acidi nitrici centimetro cubico 1 mixtis, praecipitatum initio album, tum fuscum, denique griseonigrum, calefactum, totum solvatur aut liquor tantummodo levissime opalescat colore albido.

Hypophosphitis calcici milligrammatis 100 in aquae centimetris cubicis 10 solutis, deinde una cum acidi sulfurici centimetris cubicis 10 et permanganatis kalici decinormalis centimetris cubicis 50 per horae partem sextam concoctis, liquor ita paratus ut decoloretur, acidi oxalici decinormalis centimetra cubica ne plus quam 4 requirat.

+ Hypophosphis natricus.

$NaH_2PO_2.H_2O$.

Pulvis albus, crystallinus, odoris expers, hygroscopicus. Hypophosphis natricus in aquae partibus 0,8 et in spiritus partibus 9,2 solvitur.

Hypophosphis natricus flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit; calefactus, emittens hydrogenium phosphoratum aere exardescens, dissolvitur.

Hypophosphis natricus in aqua (1 = 20) solutus, addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit, quod mox fuscum fit, deinde nigrescit.

Hypophosphitis natrici gramma 1, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 5, liquorem clarum praebeat.

Hypophosphis natricus in aqua (1 = 2) solutus neutrius

reactionis sit aut leviter alcalinae; addito acido nitrico, ne effervescat, neve carbonate natrico neve mixtura magnesiae turbetur.

Hypophosphis natricus in aqua (1 = 20) solutus, per acidum hydrochloricum acidus factus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet.

Hypophosphis natricus in aqua (1 = 100) solutus addito nitrate barytico vel acetate plumbico ne statim turbetur.

Huius liquoris centimetris cubicis 5 nitratis argentici guttis 3 et acidi nitrici centimetro cubico 1 mixtis, praecipitatum initio album, tum fuscum, denique griseonigrum, calefactum, totum solvatur aut liquor tantummodo levissime opalescat colore albido.

Hypophosphitis natrici milligrammata 100 in aquae centimetris cubicis 10 solutis, deinde una cum acidi sulfurici centimetris cubicis 10 et permanganatis kalici decinormalis centimetris cubicis 40 per horae partem sextam concoctis, liquor ita paratus ut decoloretur, acidi oxalici decinormalis centimetra cubica ne plus quam 3 requirat.

Per calcem vivam servandus.

Infusa.

Infusa, nisi aliter praescriptum erit, ita parentur ut elementa, minuta quantum opus erit, potissimum in patina porcellanea vel lapidea, operculo clausa, aqua frigida, quanta sufficiat, superfundantur et, interdum agitata, in balneo aquae calefiant.

Infundatur ex eo tempore, quo ad caloris gradum 90um calefatum erit, per horae partem quartam, Folia Sennae autem per horae partem dimidiam.

Refrigerata colentur.

Nisi alia ratio praescripta neque medicamentum valentius erit, ad colaturam partium 100 sumantur elementi partes 10, praeterquam de

Cortice Radicis Ipecacuanhae cuius pars dimidia 0,5
Foliis Digitalis quorum pars dimidia 0,5
Secali cornuto cuius partes tres 3
Floribus Arnicae quorum partes quattuor . . 4
Radice Senegae cuius partes quattuor 4
Foliis Sennae quorum partes quattuor 4
Speciebus antiaphthosis quarum partes quinque 5

sumantur.

+ Infusum Hyoscyami oleosum.

Oleum Hyoscyami.

Misce

Foliorum Hyoscyami in pulverem ($A_{1,5}$) redactorum partes viginti quinque 25
Spiritus partibus quinquaginta 50

et

Ammoniae liquidae parte una 1

Calface in vase clauso gradu caloris fere 50° per horas decem.

Adde

Olei Sesami partes ducentas quinquaginta . 250

et interdum agitans calface caloris gradu fere 80° dum spiritus evaporatus sit.

Exprime, fac liquor subsidat, filtra.

Liquor obscure fuscoviridis, oleaceus, odoris proprii, non rancidi.

Mixtorum aquae centimetrum cubicorum 10 et acidi sulfurici

diluti guttarum 3, conquassatorum cum Infusi Hyoscyami oleosi centimetris cubicis 10, per horae partes sexagesimas nonnullas in balneo aquae calefactorum filtrata addita iodeti kalicohydrargyrici gutta 1 leviter turbentur.

A luce remotum servetur.

+ Infusum Sennae compositum.

Aqua laxativa viennensis.

Infunde

Foliorum Sennae concisorum partes decem. . 10

et

Fructuum Anisi contusorum partes tres . . . 3

aqua per horae partem dimidiam ad colaturam partium octoginta 80

In qua calefacta solve

Tartratis kalico-natrici partes decem 10

quibus adde

Glycerini partes decem 10

Praecipitatum secretum removeatur.

+ Iodetum hydrargyricum.

HgI_2.

Pulvis coccineus, quem per microscopium spectanti parvis crystallis tetragonis constare apparet. Calefacta crystalla primo flavescentia in systema, rhombeum quod dicitur, transeunt, tum in liquorem obscurum liquescunt, deinde tota evanescunt, gignentia sublimatum flavum, quod tritum rubescit. Iodetum hydrargyricum in spiritus partibus 167 et in

aetheris partibus 110 in liquores coloris expertes solvitur; in aqua fere non solvitur; in iodeto kalico in aqua soluto in liquorem subflavum solvitur.

Iodeti hydrargyrici milligrammata 50 in spiritus centimetris cubicis 10 soluta, aquae volumine duplici diluta, praecipitatum clare flavum deponit, quod luce paulatim rubescit, quodque addita aquae chloratae quantitate, quanta satis erit, rursus solvitur. Liquor simul fuscus fit iodio secreto, quod si cum chloroformo conquassabitur, in eo solvetur colore violaceo.

Iodetum hydrargyricum in spiritu (1 = 200) solutum, per acidum hydrochloricum acidum factum, addito acido hydrosulfurico, initio colorem fuscum trahit, deinde praecipitatum nigrum deponit.

Aquae centimetrum cubicorum 10 cum Iodeti hydrargyrici grammate 1 conquassatorum filtrata, addito nitrate argentico, tantummodo leviter opalescunt, nec minus ammonia insuper addita.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 15.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 50.

Iodetum hydrargyrosum.

Hg_2I_2.

Contere, addito spiritu lenique calore adhibito,

Hydrargyri partes quattuor 4

cum

Iodeti hydrargyrici partibus novem 9

dum nulli iam globuli metallici conspicui sint. Pulverem spiritu ablue dum hic addito acido hydrosulfurico tantum

colore subfusco inficiatur; loco obscuro caloris gradu non plus quam 40° sicca.

Pulvis viridiflavus, qui calefactus liquescit et, dum in hydrargyrum et iodetum hydrargyricum dissolvitur, totus evanescit.

Iodetum hydrargyrosum in aqua non solvitur; addito iodeto kalico, hydrargyrum secernens, dissolvitur.

Iodetum hydrargyrosum cum spiritu conquassatum fere non solvitur. Quibus mixtis addita solutione hydratis natrici, pulvis nigrescit; deinde addito hypochlorite natrico, iodoformum exsistit.

Spiritus cum Iodeto hydrargyroso conquassati filtrata addito acido hydrosulfurico colore tantum subfusco inficiantur.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 200.

Iodetum kalicum.

KI.

Cubi albi, non hygroscopici. Iodetum kalicum in aquae partibus 0,75, in spiritus partibus 10,8 solvitur.

Iodeti kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 15 solutum, addito acidi tartarici grammate 1 in aquae centimetris cubicis 5 soluto, praecipitatum album, crystallinum deponit. Iodeti kalici in aqua (1 = 20) soluti centimetris cubicis 5 cum chloroformi centimetris cubicis 3 et aquae chloratae centimetris cubicis 2 conquassatis, stratum chloroformi colorem violaceum trahit.

Iodetum kalicum in aqua (1 = 20) solutum neutrius reactionis sit neve addito nitrate barytico turbetur. Quorum solutorum

centimetris cubicis 5 si sulfatis ferrosi milligrammata 50 et solutionis hydratis natrici guttae 5 adduntur, soluta, calefacta et per acidum hydrochloricum dilutum acida facta, ne virescant neve caerulea fiant (*cyaneta*).

Solutio recens facta per aquam coctam, deinde refrigeratam (1 = 20), amylo recens soluto et acido sulfurico diluto mixta, intra horae partem vicesimam ne coloretur (*iodas*).

Iodeti kalici milligrammata 250 in ammoniae centimetris cubicis 2,5 soluta, admixtis nitratis argentici decinormalis centimetris cubicis 16, filtrata, per acidum nitricum acida facta, tantummodo leviter fiant opalina (*chloreta et brometa*), ne nigrescant (*thiosulfas*).

A luce remotum servetur.

Iodetum natricum.

NaI.

Pulvis albus, cubis parvis, hygroscopicus. Iodetum natricum in aquae partibus 0,6, in spiritus partibus 1,8 solvitur.

Iodetum natricum flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit. Iodeti natrici in aqua (1 = 20) soluti centimetris cubicis 5 cum chloroformi centimetris cubicis 3 et aquae chloratae centimetris cubicis 2 conquassatis, stratum chloroformi colorem violaceum trahit.

Iodeti natrici gramma 1, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 3, liquorem clarum praebeat.

Iodetum natricum in aqua (1 = 20) solutum neutrius reactionis sit neve addito nitrate barytico turbetur. Quorum solutorum centimetris cubicis 5 si sulfatis ferrosi milligrammata 50 et solutionis hydratis natrici guttae 5 adduntur, soluta, calefacta et per acidum hydrochloricum dilutum acida facta, ne virescant neve caerulea fiant (*cyaneta*).

Solutio recens facta per aquam coctam, deinde refrigeratam (1 = 20), amylo recens soluto et acido sulfurico diluto mixta, intra horae partem vicesimam ne coloretur (*iodas*).

Iodeti natrici milligrammata 250 in ammoniae centimetris cubicis 2,5 soluta, admixtis nitratis argentici decinormalis centimetris cubicis 17, filtrata, per acidum nitricum acida facta, tantummodo leviter fiant opalina (*chloreta et brometa*), ne nigrescant (*thiosulfas*).

Iodetum natricum, caloris gradu 100° siccatum, ponderis ne plus quam partem centesimam 1 amittat.

A luce remotum servetur.

Iodium.

I.

Lamellae e griseo nigrae, nitoris metallici, odoris proprii, rhombeae, quae iam leni calore in vapores violaceos abeunt totaeque evanescunt. Iodium solvitur in aquae partium fere milibus 5 et in spiritus partibus 10,4, facile autem in aethere, in chloroformo, in iodeto kalico in aqua soluto. Solutum in aethere vel in iodeto kalico soluto fuscum est, in chloroformo violaceum.

Aqua cum Iodio conquassata solutionem amyli colore caeruleo inficit.

Aquae centimetrum cubicorum 20 cum Iodii milligrammatis 500 per horae partem tricesimam conquassatorum filtrata tantum subflavida sint (ICl); quorum filtratorum centimetra cubica 5, per thiosulfatem natricum decolorata, additis sulfatis ferrosi milligrammatis 50 et solutionis hydratis natrici guttis 5, calefacta et per acidum hydrochloricum dilutum acida facta, ne virescant neve caerulea fiant (ICN).

Iodii milligrammata 200 cum iodeti kalici milligrammatis

500 in aquae centimetris cubicis 25 soluta ut decolorentur, thiosulfatis natrici decinormalis centimetra cubica ne minus quam 15,5 neve plus quam 15,7 requirant.

Doses maximae singulae milligrammatum 15.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 60.

Iodoformum.

CHI_3.

Lamellae citreae, hexagonales vel pulvis microcrystallinus, odoris proprii, admodum adhaerentis. Iodoformum caloris gradu 119° ad 120um liquescit in liquorem perfuscum et aucto calore, vapores iodii emittens, dissolvitur. Iodoformum in spiritus partibus 67 et in aetheris partibus 6,1 solvitur; in aqua fere non solvitur.

Aquae centimetrum cubicorum 10 cum Iodoformi grammate 1 conquassatorum filtrata coloris expertia (*acidum picrinicum*) et neutrius reactionis sint, addito nitrate barytico, speciem ne mutent, addito nitrate argentico, post horas ne 24 quidem plus quam exiguum praecipitatum griseum, nequaquam nigrum deponant.

Iodoformum in exsiccatore siccatum ponderis ne plus quam partem centesimam 1 amittat.

Iodoformum combustum nihil relinquat.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 150.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 400.

Clysmatum:

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 1.

Kreosotum.

Liquor e pice liquida e ligno fagi destillatione paratus.

Liquor pallide flavus, clarus, lucem valde refringens, quodammodo spissus, odoris proprii, saporis urentis, neutrius reactionis. Pondus specificum ne minus sit quam 1,080. Kreosotum spiritu, aethere, chloroformo, oleis pinguibus pro qualibet portione misceri potest; in aqua non facile solvitur. Cum aquae calidae partibus 120 conquassatum liquorem praebet clarum, e quo refrigescenti guttae perlucidae, pallide flavae secernantur. Liquoris inde defusi centimetra cubica 10 addita chloreti ferrici gutta 1 turbantur, colorem initio caeruleum, deinde sordide fuscum trahunt, floccos eiusdem coloris secernunt.

Kreosotum chartam exploratoriam caeruleam, aqua madefactam, rubram ne reddat.

Kreosoti centimetra cubica 3, cum glycerini centimetris cubicis 3 conquassata, liquorem praebeant clarum, e quo addito aquae centimetro cubico 1 fere totum Kreosotum secernatur (*phenolum*).

Kreosoti centimetra cubica 2, additis solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 4, liquorem praebent clarum, qui ne aquae centimetris cubicis 100 quidem dilutus turbetur.

Kreosoti centimetro cubico 1 cum aetheris petrolei centimetris cubicis 2 et aquae barytae centimetris cubicis 2 conquassato, stratum aquosum colorem rubrum ne trahat neve soluta supra posita colorem caeruleum vel sordide fuscum (*coerulignon*).

Kreosoti centimetrum cubicum 1 et hydratis kalici in alcohole absoluto (1 = 5) soluti centrimetra cubica 10 conquassata, initio calida, dum refrigescunt, in massam solidam, crystallinam transeant.

Inter caloris gradus 200um et 215um Kreosotum maximam partem destilletur.

Doses maximae singulae milligrammatum 200.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 1.

+ Kresolum crudum.

Liquor clarus, coloris flavidi vel flavofusci ad rubrofuscum, odoris proprii, empyreumatici, qui flamma valde fuliginosa comburitur. Pondus specificum plus quam 1. Kresolum crudum in aquae partibus fere 50 solvitur, addito spiritu vel aethere vel chloroformo vel aethere petrolei pro quavis portione nec minus solutionis hydratis natrici pari volumine, mixta clara praebet.

Kresolum crudum in aqua solutum neutrius sit reactionis vel tantum leviter acidae.

E liquore, parato Kresoli crudi centimetris cubicis 10 cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 25 et aquae centimetris cubicis 75 conquassandis, post horas 24 tantum pauci flocci secreti sint nec tamen guttae oleosae. Solutis, si opus erit, per lanam vitream filtratis, cum acidi hydrochlorici centimetris cubicis 30 et chloreti natrici grammatis 10 conquassatis, post horas nonnullas Kresoli stratum clarum non minus quam centimetrum cubicorum 8,5 secretum sit.

Kresoli crudi ita secreti gutta 1 in aquae centimetris cubicis 25 soluta, addito chloreto ferrico, colorem caeruleoviolaceum trahat.

Kresoli crudi destillati inter caloris gradus 185um et 200um partes centesimae ne minus quam 90 transeant.

Lactas ferrosus.

$(C_3H_5O_3)_2Fe.3H_2O.$

Crustae crystallinae, plus minusve viridiflavae. Lactas ferrosus in aquae partibus fere 40 solvitur in liquorem viridiflavum, paululum turbidum, leviter acidum, in spiritu fere non solvitur.

Lactas ferrosus in aqua (1 = 50) solutus, addito ferricyaneto kalico, praecipitatum obscure caeruleum deponit. In acido sulfurico diluto (1 = 10) solutus, addito permanganate kalico, aldehydum emittit.

In aqua (1 = 50) solutus, deinde filtratus, addito acetate plumbico, tantum leviter opalescat, additis acido hydrochlorico diluto et acido hydrosulfurico, speciem ne mutet. Solutorum centimetrum cubicorum 10 una cum acidi hydrochlorici centimetro cubico 1 per horae partem duodecimam concoctorum et, cum refrixerint, solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 5 mixtorum filtrata, calefacta dum ebulliant, coloris expertia sint.

Lactas ferrosus combustus oxydi ferrici partes centesimas fere 27 relinquat, quae nihil quod in aqua solvatur contineant.

+ Lactucarium.

Sucus lacteus quem praebet Lactuca virosa, Linn. Sp. Pl. 795, profluens e caule inciso vel persecto, aere induratus.

Frusta sicca, enormia, angulosa vel segmentis sphaericis quodammodo similia, flavidofusca, quae, dum recentia sunt, intra albida, postea subfusca fiunt. Odor proprius, narcoticus; sapor peramarus.

Lactucarium cum aqua concoctum depsi potest; liquor

ita paratus eiusdem odoris et saporis est atque Lactucarium, reactionis acidae; refrigescens lactescit, addita ammonia rursus clarescit; Lactucarium excoctum, refrigeratum, magnam partem massa constat gummi elastico simili.

Lactucarium combustum cineris ne plus quam partes centesimas 10 relinquat.

Ad pulverem parandum Lactucarium, si opus erit, ante per calcem vivam siccetur.

+ Lichen islandicus.

Cetraria islandica, Ach. Lich. univ. 512, cuius lichenis varietates complures exstant.

Thallus centimetra ad 15 altus, latus centimetrum ad 1,5, crassus ad millimetri dimidium (0,5), fruticosus, foliaceus, gibbosorugosus, enormiter ramosus; pars ima convoluta, canaliculata vel tubulosa, laciniae planiores; margines toti muniti ciliis brevibus, rigidis, plus minusve obscuris. Altera pars, ad lucem versa, olivaceobadia, altera pallidior, grisea vel albida, parvis maculis albis, quodammodo depressis; cum lichen humidus est, crebrae maculae adsunt minus perlucidae, enormiter rotundae. In merce venali interdum apothecia inveniuntur in parte ad lucem versa summitatum laciniarum latiorum, rotundarum, superiorum, nonnunquam complura densa; diametro sunt centimetrum ad 1,5, sed etiam multo minora, orbicularia, non pedicellata, tantum paulum supra thallum eminentia, obscure badia. Complurium lichenum thalli saepe inter se plus minusve coaluerunt vel ciliis mixti et turbati sunt; cum sicci sunt, cartilaginosi et fragiles, madefacti molles et subcoriacei.

Sapor amarus.

Lichen islandicus liberetur acubus pini, musco, aliis lichenibus, qui saepe adsunt.

Lichen islandicus cum aqua (1 = 20) concoctus, si ad partem quartam evaporatus erit, gelatinam praebeat.

+ Lignum Quassiae.

Lignum quod praebent Quassia amara, LINN. Sp. Pl. ed. II. 553 et Picraena excelsa, LINDL. Fl. Med. 208.

Quassiae Surinamensis (Q. amarae) fustes ad metrum 1 longi, centimetra 2 ad 4, non plus quam 10 crassi, cortice non plus quam millimetra 2 crasso, quasi capsa soluta lignum circumdante, extra sordide cinereo vel subfusco, parum fracto.

Quassiae Iamaicensis (P. excelsae) partes centimetra 15 altae truncorum centimetra ad 40 crassorum, cortice artius cum ligno cohaerente, centimetrum ad 1 crasso, extra e cinereo flavofusco, squamis corticalibus obsito.

Lignum utriusque generis albidum vel paululum flavidum, structura aequabilissima, leve, tenax, fissile, saepe maculis e caeruleo nigris notatum. In ligno transverse persecto polito circuli annui, plerumque non clausi cerni videntur, insuper radii medullares tenues et puncta multa cum vasorum ligni globis convenientia. Ligni plerumque rasura adhibetur.

Microscopia pulveris. Fibrae libriformes, plus minus 16 ad 20 μ crassae, membranis non valde crassis, coloris expertibus et scrobiculis rimalibus; saepe in fasciculos collectae. Cellulae radiorum medullarium, saepe in ordinibus transversis in fibrarum fasciculis positae; membranae tangentiales, per crebros scrobiculos altiores monolini formam

exhibentes. Frusta vasorum articulis brevibus et scrobiculis duplicibus tenuissimis, densis, nonnunquam transverse paulum extentis. Amyli fere nihil. Nonnunquam mycelium fungosum ramosum, nigrofuscum vel subviolaceum. Pulveres ligni generum supra dictorum tam parum inter se differunt, ut utrius generis pulvis sit, saepe statui nequeat; lignum Iamaicense radios medullares habet cellulas 2 vel 3 latos et crystalla, Surinamense radios plerumque cellulam 1 latos, crystalla nulla, sed utrumque insigne in pulveribus admodum obscuratur. Si corticis elementa in pulvere adsunt, pulvis ligni Surinamensis facile cognoscitur crebris cellulis sclerenchymaticis brevibus, valde pachytichis, clare flavis, scrobiculis altioribus ramosis, nulloque fere lumine, quibus cellulis lignum Iamaicense caret.

Odor nullus; sapor peramarus.

Ad usum decorticatione non opus est.

Pulvis Ligni Quassiae combustus cineris ne plus quam partes centesimas 8 relinquat.

+ Lignum Santalinum.

Rasura Ligni Santalini rubri.

Lignum quod praebet Pterocarpus santalinus, Linn. f. Suppl. 318, molitum.

Pulvis ruber, tenuis, levis, floccosus, partim glebulis laneis cohaerens.

Microscopia. Omnium elementorum membranae fuscorubrae, insuper in luminibus saepe gummiresinae globi fuscorubri vel massae alterius formae. Fibrae libriformes solutae, quarum multae millimetra 4 longae, aliae totae graciles, aliae extremitatibus gracilibus et parte media plus minusve cylindrica, tumefacta; nonnunquam fasciculi

frustorum fibrarum, in quibus cellulae radiorum medullarium transverse positae sunt. Glomera fuscorubra, enormiter globosa: massae inclusae cohaerentes cellularum, quibus fibrae crystallorum constant; in glomeribus singulis singula crystalla magna, simplicia, lateribus multis, coloris expertia, plus minusve conspicua; talia crystalla soluta non raro in pulvere quoque inveniuntur. Frustula membranae vasis multis scrobiculis duplicibus rimalibus, densis. Cellulae parenchymaticae, oblongae, scrobiculis rotundis in membranis radiatis. Amylum deest. Sucus infector hydrate chlorali extrahitur, aqua non extrahitur.

Odor vel sapor nullus.

Pulvis Ligni Santalini combustus cineris ne plus quam partes centesimas 3 relinquat.

+ Lignum Sassafras.

Lignum radicis, cortice indutum, quod praebet Sassafras officinale, NEES et EBERM. Handb. Med.-Pharm. Bot. II. 418; NEES, Syst. Laurin. 488.

Frusta magna, centimetra ad 20 crassa, enormia, interdum ramosa. Cortex millimetra 2 ad 3 crassus, pars exterior tam mollis quam cortex subereus, introrsum durior, extra squamis corticalibus, fuscogriseus, vel, ubi squami nuper soluti sunt, coloris cinnamomei. Lignum leve, secabile, fissile, subfuscum vel pallide rubrum; circuli annui valde conspicui, millimetra ad 6 crassi, saepe autem multo tenuiores; radii medullares crebri, tenues; plerique globi vasorum plerumque in ligno verno.

Odor valde aromaticus, foeniculaceus; sapor subdulcis.

Lignum stirpium vel ramorum parum aromaticum reiciatur.

+ Linimentum Ammoniae.

Conquassa

Olei Sesami partes octoginta 80

et

Ammoniae liquidae partes viginti 20

Mixta aequabilia, spissiuscula, flavoalba.

Ex tempore parandum.

+ Linimentum Calcis.

Conquassa

Olei Lini

et

Solutionis Hydratis Calcici totidem partes.

Mixta aequabilia, spissiuscula, flava.

Liquor arsenicalis Fowleri. F. I.

Liquor $As_2 O_3$ partem centesimam 1 continens.

Calface

Acidi arsenicosi in pulverem redacti 1

et

Carbonatis kalici partes singulas 1

una cum

Aquae parte una. 1

dum acidum arsenicosum solutum sit. Soluta refrigerata dilue

Aquae partibus viginti 20

His adde

Acidi hydrochlorici diluti partes tres cum dimidia 3,5

Spiritus Lavandulae partes quattuor 4

Aquae tantum, quanto opus erit ad parandas partes centum 100

Liquor fere clarus, oleum lavandulae redolens, fere neu-

trius reactionis, qui per acidum hydrochloricum acidus factus, addito acido hydrosulfurico, praecipitatum flavum deponit.

Liquoris arsenicalis Fowleri centimetra cubica 5, additis alcali decinormalis guttis 2, chartam exploratoriam rubram caeruleam, additis acidi decinormalis guttis 2, chartam exploratoriam caeruleam rubram reddant.

Liquoris arsenicalis Fowleri centimetra cubica 5, mixta bicarbonatis natrici milligrammatis 500, aquae centimetris cubicis 20, solutionis amyli guttis nonnullis, ut caerulea fiant, iodii decinormalis centimetra cubica 9,9 ad 10,1 requirant.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 1.

Liquor Kresoli saponatus.

Lysolum.

Calface in balneo aquae

Saponis kalini partes quinquaginta 50

dum molluerint; assidue agitans his adde

Kresoli crudi partes quinquaginta 50

et, cum massa aequalis facta erit,

Aquae tantum, quanto opus erit ad parandas partes centum 100

Liquor clarus flavofuscus ad rubrofuscum, spissitudinis sirupi, qui, addita aqua pro quavis portione, mixta clara praebeat.

+ Liquor Picis Lithanthracis.

Calface, frequenter fortiterque conquassans, per horae partem quartam, caloris gradu 60°

Picis Lithanthracis partes centum 100

una cum

Spiritus partibus centum 100

Refrigerata clara defusa per dies 14 loco frigido sepone, tum filtra.

Liquor obscurus, Picem Lithanthracis redolens. Pondus specificum 0,872 ad 0,880.

Liquoris Picis Lithanthracis centimetris cubicis 10 in balneo aquae evaporatis et iis, quae relicta erunt, per horas 12 caloris gradu 105° calefactis, milligrammata non minus quam 400 supersint. Quae combusta cineris ne plus quam partem centesimam 1 relinquant; cinis reactionis manifesto alcalinae ne sit.

Lycopodium.

Sporae, quas praebet Lycopodium clavatum, LINN. Sp. Pl. 1101 et ed. II. 1564.

Pulvis pallide flavus, mobilissimus, tactu mollis, digitis adhaerens; in aqua natat, cum aqua autem concoctus submergitur; in flammam sparsus celerrime comburitur fere nullum fumum spargens.

Microscopia. Tetraedra, quae segmentum sphaericum basin habent; diametros maxima fere 30 μ. Exosporium marginibus prominentibus, qui, in pyramidis triquetrae lateribus admodum expressi et sulcati, per fere totam superficiem opus reticulatum tenue efficiunt maculis quinquangulis vel sexangulis, qua re sporae, per vitrum opticum paulum tantum

dilatatae, ciliatae esse videntur. Pulvis reactionem amyli non praebet.

Odor vel sapor nullus.

Lycopodium siccum sit; per cribrum B_{40} caulium et foliorum frustulis liberetur.

Lycopodii cum chloroformo conquassati parum vel nihil resideat. Lycopodium combustum cineris ne plus quam partes centesimas 5 relinquat.

+ Mannitum.

$C_6H_8(OH)_6$.

Crystalla alba, odoris expertia, subdulcia, semiperlucida, acicularia vel prismata magna, rhombea, caloris gradu 165° ad 166um liquescentia. Mannitum in aquae partibus 6,3 solvitur. Mannitum, in spiritu ebullienti solutum, refrigescens fere totum secernitur.

Manniti milligrammatis 10 per bichromatis kalici guttas 3 et acidi sulfurici diluti centimetrum cubicum 1, coquendo per horae partem sexagesimam, oxydatis et liquori ita parato, per solutionem hydratis natrici leviter alcalino facto, liquoris exploratorii Fehlingi centimetro cubico 1 addito, cum liquor coquitur, oxydum cuprosum rubrum secernitur.

Manniti milligrammatis 100 cum aquae centimetris cubicis 4 et liquoris exploratorii Fehlingi centimetro cubico 1 per horae partem sexagesimam concoctis, liquor clarus sit neve colorem rubescentem trahat.

Manniti milligrammata 100 in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 soluta, additis aquae guttis 2, ne statim colorentur et post horae partem dimidiam colorem tantum subflavidum trahant.

Quae de Manniti milligrammatis 100 combustis supererunt, ponderari nequeant.

+ Marmor album.

$CaCO_3$ ab ipsa natura confectum, crystallinum.

Frusta alba, granose crystallina, dura. Pondus specificum 2,7 ad 2,8.

Marmor album candens ne coloretur neve vapores empyreumaticos emittat; transeat in frusta alba, quae isdem postulatis satisfaciant, quibus oxydum calcicum.

Si nullo alio indicio facto „Pulvis Marmoris" in unguento vel in sapone quodam praescriptus erit, adhibeatur pulvis B_{10}, e quo partes tenuiores cribro remotae sint.

+ Mel.

Liquor collectus e favis quos praebet Apis mellifica Linn.

Cum recens est, liquor clare flavus, spissitudinis sirupi, perlucidus, saporis dulcissimi, odoris proprii, qui sensim in massam abit opacam, sordide albam, granose crystallinam.

Praecipitatum collectum e Melle, aquae quantitate duplici mixto, per microscopium spectanti grana pollinis exhibeat licet at amyli nulla. Ipse liquor ponderis specifici sit non minus quam 1,110; addito nitrate argentico vel nitrate barytico minime turbetur, addito spiritus volumine quadruplo praecipitatum ne deponat; liquoris centimetra cubica 10, additis aquae pari volumine et phenolphthaleini guttis 2, ut rubescant, alcali decinormalis ne plus requirant quam centimetrum cubicum 1.

Mellis grammata 10 combusta cineris ne minus quam milligrammata 10 neve plus quam 80 relinquant.

In India Nederlandica Mel collectum ab aliis apium generibus adhibeatur licet, dummodo cum supra descripti natura conveniat et puritatis legibus scriptis satisfaciat.

+ Mel depuratum.

Solve

Mellis partes centum 100

in

Aquae partibus centum quinquaginta . . . 150

Filtra; filtrata assidue agitans in balneo aquae evapora ad

partes centum 100

Liquor spissitudinis sirupi, qui limpidus sit clarique coloris.

Mellis depurati grammata 10 et aquae grammata 40 commixta, additis phenolphthaleini guttis 2, ut rubescant, alcali decinormalis ne plus quam centimetra cubica 2 requirant.

Mel depuratum cetera satisfaciat isdem legibus puritatis, quibus Mel.

+ Mel rosatum.

Misce

Petalorum Rosae in pulverem ($A_{1,5}$) redactorum

partes octo 8

Aquae ebullientis partibus triginta 30

mixtas per horas 12 sepone in vase clauso.

Massam in percolatorem inmissam per aquam percola ad

partes sexaginta. 60

In liquore, calore adhibito, solve

Sacchari partes triginta sex 36

Filtra; filtrata in balneo aquae evapora ad

partes sexaginta quattuor 64

His adde

Mellis depurati partes triginta sex 36

Liquor spissitudinis sirupi, rosam redolens, fuscus.

Alcohol amylicus cum Melle rosato conquassatus ne coloretur.

+ Mentholum.

$C_{10}H_{20}O$.

Elementum primarium Olei Menthae piperitae.

Prismata coloris expertia, fragilia, hexagonalia, odoris et saporis proprii Olei Menthae piperitae.

Mentholum in spiritus partibus 0,2 solvitur et facile in chloroformo et in aethere; quamquam in aqua fere non solvitur, tamen ei odorem et saporem impertit. Caloris gradu 43^0 liquescit. Caloris gradu 216^0 ebullit.

Mentholum, cum camphorae vel thymoli vel hydratis chlorali pari pondere contritum, liquescit.

Mentholi gramma 1 in spiritus centimetris cubicis 5 solutum si aquae centimetris cubicis 5 mixtum erit, neutrius sit reactionis.

Mentholum in balneo aquae calefactum totum evanescat.

+ Metadioxybenzolum.

Resorcinum.

$C_6H_4(OH)_2$. 1,3.

Lamellae coloris expertes vel leviter coloratae, vel crystalla prismatica odoris tenuissimi, proprii; caloris gradu 110^0 ad 112um liquescunt, prudenter calefacta tota sublimantur.

Metadioxybenzolum in aquae partibus 0,9, in spiritus partibus 0,5, in aetheris partibus 0,6 solvitur, in chloroformo fere non solvitur.

Metadioxybenzolum in aqua (1 = 20) solutum, addito chloreto ferrico, colorem violaceum trahit; additis nitrate argentico et ammonia, argentum secernens, paulatim colore obscuriore inficitur. Metadioxybenzoli milligrammata 50,

una cum acidi tartarici milligrammatis 100 et acidi sulfurici guttis 10 calefacta, colorem coccineum trahunt.

Metadioxybenzolum in aqua (1 = 10) solutum coloris et odoris expers sit, chartam exploratoriam caeruleam tantum leviter rubram reddat.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2.

+ Methylsulfonalum.

Trionalum.

$$CH_3.C_2H_5.C(SO_2C_2H_5)_2.$$

Lamellae crystallinae, coloris expertes, nitoris unionis conchae, odoris expertes, saporis subamari, quae caloris gradu 76° liquescunt, aucto calore sublimantur dum partim dissolvuntur, denique nihil relinquentes comburuntur. Methylsulfonalum in aquae partibus 280 et in spiritus partibus 9,4 solvitur. Ita solutum neutrius est reactionis.

Methylsulfonali milligrammata 50, una cum carbonatis natrici anhydrici milligrammatis 100 lente calefacta dum fervefiant, mercaptanum emittunt, massam fusconigram relinquentia; cuius massae aquae centimetris cubicis 15 superfusae, filtratis si admiscentur aquae bromatae guttae nonnullae dum liquor subflavus sit, hic liquor per acidum hydrochloricum acidus factus, addito nitrate barytico, praecipitatum album deponat.

Aquae centimetrum cubicorum 50 per horae partem sexagesimam cum Methylsulfonali milligrammatis 100 concoctorum, refrigeratorum filtrata ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico statim turbentur; filtratorum centimetra

cubica 10, addita chloreti ferrici gutta 1, tantum leviter flavescant neve addita permanganatis kalici (1 = 1000) gutta 1 decolorentur intra horae partem sexagesimam.

Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2.

+ Moschus.

Materies quam in folliculo prope umbilicum posito inclusam habet Moschus moschiferus Linn. mas.

Folliculus impletus quam integerrimus sit, semiglobosus aut semiovatus, centimetra 4 ad 6 longus, latus centimetra 3 ad 4, crassus centimetrum 1,5 ad 2, hinc fere planus et glaber, illinc convexus et obsitus saetis griseis vel fusco-flavis, quae adpressae iacent, sed in foramine subcentrali et circum erectae stant. In membrana interiore est canalis, qui prope foramen exitum habet. Intus folliculus obductus sit membrana tenui, vasorum rete notata, cuius facies interior e flavo vel e rufo fusca est.

Folliculus recens apertus odoris est quodammodo ammoniacalis, continet massam conglutinatam, quae mox arescens paulatim odorem gravem moschi spargit.

Solus Moschus Tibetanus adhibeatur, qui nomine Tonquinensis prostat.

Massa granosa, partim constans granulis et glebulis nitoris pinguiculi, inter quae membranulae fuscae, semiperlucidae adsunt, nonnunquam pilis brevibus, tenuissimis mixtae. Moschus coloris est nigrofusci vel e rufo obscure fusci, in stratum tenue teri potest coloris clarioris, quod particulas plus minusve resinosas, nitidas, griseas vel subflavas exhibet. Odor proprius, penetrans, diutissime persistens; sapor subamaroacer.

Chloroformo superimpositus Moschus natet; parva pars aut nulla submergatur. De chloroformo evaporato supersit nihil nisi aliquantulum adipis exigui odoris moschi.

Per microscopium spectanti in oleo terebinthinae Moschus videatur massa aequabilior, perlucida, fusca, informis, neve elementa aliena, fragmenta plantarum, cetera conspiciantur. Ad usum e Moscho membranulae pilique removenda sunt.

Moschus in lagena epistomio clausa servetur neque calce neque alia materia hygroscopica adhibita.

+ Mucilago Amyli.

Decoctum Amyli.

Misce

Amyli Tritici partes duas 2

Aquae partibus nonaginta octo 98

Mixta agitans fac ebulliant dum liquor aequabilis paratus sit.

Mucilago Amyli ex tempore paretur.

+ Mucilago Gummi arabici.

Solve

Pulveris Gummi arabici partes quadraginta . . 40

in

Aquae partibus sexaginta 60

Mucilago Gummi arabici ex tempore paretur.

+ Mucilago Saleb.

Dilatatio Saleb.

Conquassa

Pulveris Saleb partem unam 1

et

Aquae ebullientis partes fere viginti 20

dum massa aequabilis exsistat; huic adde aquam ebullientem dum adsint

partes centum 100

Fortiter conquassa dum mucilago refrixerit.

Mucilago Saleb spissa sit et tantum sedimentum exiguum secernat.

Mucilago Saleb ex tempore paretur.

+ Mucilago Tragacanthae.

Misce

Pulveris Tragacanthae partes duas 2

Aquae partibus quadraginta 40

dum massa aequabilis exsistat; huic paulatim adde

Aquae partes sexaginta 60

Mucilago Tragacanthae ex tempore paretur.

+ Mylabrides.

Corpora siccata, quae praebent insectorum coleopterorum, vesicantium species quaedam ex Asia Orientali oriundae generis Mylabridis, imprimis Mylabris Cichorii Fabr. et Mylabris pustulata Billb.

Genus Mylabris a genere Lytta distinguitur corpore compacto et colore plerumque nigro elytrorum, striis flavis vel flavorubris praeditorum, retro dilatatorum. Caput, thorax, abdomen nec minus antennae et pedes nigra esse solent. Antennae breves, articulo extremo clavato.

Mylabris Cichorii FABR. (Cantharis Chinensis) in basi elytrorum habet 2 maculas ochraceas et post eas 2 strias latas, dentatas eiusdem coloris.

Mylabris pustulata BILLB. habet 3 strias transversas flavas vel aurantiacas, undulatas.

Utriusque speciei insecta centimetra 1,8 ad 2,8 longa sunt, lata millimetra 6 ad 9.

Mylabrides sint integrae nec corrosae.

Mylabridum pulvis (B_{30}) cantharidini contineat non minus quam partis centesimae quintas tres (0,6) at plus continere solent. Quantum insit, statuatur modo in Cantharidibus descripto.

In India Orientali Nederlandica Mylabrides, quae illic nomine *andol-andol* vocantur, loco Cantharidum adhiberi licet, dummodo ratio habeatur quantitatis cantharidini quam Mylabrides contineant.

Per calcem vivam servandae.

+ Myrrha.

Gummiresina quam praebent quaedam species generis Commiphorae. Sucus lacteus e stirpe et ramis profluens, aere induratus.

Frusta enormia, flava aut subrubra aut fusca, intus saepe passim subalbida, superficie pulverulenta, fragilia, fractura cerae instar non nitenti. Odor aromaticus; sapor amarus, constanter acer.

Myrrhae pulvis acido nitrico madefactus, leniter calefactus, colorem cerasinum trahat.

Myrrha cum aqua contrita emulsum albidoflavum praebet.

Pulveris Myrrhae gramma 1 si cum spiritus centimetris cubicis 20 concoctum erit, pars quae, liquore refrigerato, solvi non potest, siccata caloris gradu 100°, milligrammatum non minus quam 400 neque plus quam 700 sit. Solutio spirituosa flava, addita aquae quantitate duplici, emulsum album praebet; pars, quae in spiritu non solvitur, in aqua fere tota solvitur in mucilaginem resinosam, turbidam.

Myrrhae pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 5 relinquat.

+ Naphthalinum.

$C_{10}H_8$.

Lamellae crystallinae, coloris expertes, perlucidae, nitidae, odoris proprii, penetrantis, quae prudenter calefactae totae sublimantur. Caloris gradu 79,2° ad 80um liquescunt. Caloris gradu 218° ebulliunt.

Naphthalinum in aqua non solvitur, at facile in aethere, in chloroformo, in sulfido carbonico neque minus, calefactum, in spiritu, in oleis et pinguibus et volatilibus.

Naphthalini gramma 1, cum aquae centimetris cubicis 10 concoctum, colorem chartae exploratoriae ne mutet.

Naphthalinum, cum acidi sulfurici quantitate decemplici conquassatum, coloris expers sit; calefactum ad caloris gradum 100um tantum subrubrum fiat.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 1.

+ Naphtholum.

$C_{10}H_7(OH)$.

Lamellae crystallinae coloris expertes, nitidae vel pulvis crystallinus, albus, odoris tenuis et saporis urenter acris, qui prudenter calefactus totus sublimatur.

Naphtholum caloris gradu 122° ad 123um liquescit.

Naphtholum solvitur in spiritus parte 1,8, facile in aethere, in chloroformo, in oleis pinguibus, in liquoribus alcalinis, sed in aqua non facile solvitur.

Naphtholum in ammonia (1 = 50) solutum, praesertim cum aqua dilutum est, fluorescit colore caeruleo.

Solutio aquosa saturata neutrius sit reactionis; quorum solutorum centimetra cubica 10, addito aquae chloratae centrimetro cubico 1, liquorem praebent turbidum, qui, addita ammonia, primum clarus fit, tum viridis, denique e subrubro fuscus; solutionis aquosae centimetra cubica 10, additis chloreti ferrici guttis 3, colorem viridem, non violaceum trahant.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae (ad usum quoque externum) milligrammatum 500.

Doses maximae in horas vicenas quaternas (ad usum quoque externum) grammatum 1.

Nitras argenticus.

$AgNO_3$.

Crystalla coloris expertia, perlucida, rhombea; calefacta liquescunt, deinde vapores nitrosos emittentia dissolvuntur. Nitras argenticus in aquae partibus 0,53 et in spiritus partibus 10,9 solvitur.

Nitras argenticus in aqua (1 = 10) solutus neutrius est

reactionis; addito acido hydrochlorico, praecipitatum album deponit, quod addita ammoniae quantitate excedenti solvitur.

Nitratis argentici milligrammata 200 in ammoniae centimetro cubico 1 soluta coloris expertia, clara sint.

Nitratis argentici milligrammata 200, in aquae centimetris cubicis 10 soluta et per acidi hydrochlorici diluti centimetri cubici dimidiam partem (0,5) praecipitata, eluta et siccata, milligrammatum 168 sint; quae de filtratis evaporatis supererunt, ponderari nequeant.

Doses maximae singulae milligrammatum **20.**
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum **100.**

Nitras argenticus in Bacillis.

Lapis infernalis.

Nitras argenticus liquefactus, deinde in bacilla effusus.

Bacilla alba vel grisea, fractura radiata; isdem puritatis legibus satisfaciant, quibus Nitras argenticus.

Nitras bismuthicus basicus.

Magisterium Bismuthi.

Inmitte

Bismuthi in pulverem grossum redacti partes decem 10

in quantitates parvas divisas sensim in mixtas, iam antea caloris gradu 75° ad 90um calefactas,

Acidi nitrici partes viginti septem 27
Aquae partibus viginti tribus 23

et sub finem reactionem initio vehementem calefaciendo adiuva. Liquor ita paratus fac subsidat; post dies nonnullos clarum factum defunde et evapora dum crystallisetur. Crystalla collige et aquae, per acidum nitricum acidae factae, parva quantitate ablue.

Misce

Crystallorum ita paratorum partem unam . . 1
Aquae partibus quattuor 4

in pultem aequabilem; hanc assidue agitans effunde in

Aquae ebullientis partes viginti unam 21

Cum primum praecipitatum subsederit, liquorem calidum superpositum remove; praecipitatum quam maxime per antliam pneumaticam liquore adhaerenti liberatum, non amplius abluens, sicca caloris gradu 30°.

Pulvis albus, microcrystallinus, odoris et saporis expers, qui chartam exploratoriam caeruleam madefactam subrubram reddit.

Nitras bismuthicus basicus calefactus, oxydum bismuthicum flavum relinquens, aquam et vapores nitrosos emittit.

Nitratis bismuthici basici grammatum 5 aquae centimetris cubicis 75 mixtorum et frequenter, praesertim horis primis, quassatorum, per horas 24 servatorum, filtratorum centimetra cubica 50, ut neutrius reactionis sint, alcali decinormalis centimetra cubica 8 ad 10 requirant.

Nitratis bismuthici basici aquae quantitate quinquies decies tanta mixti et, non quassati, per horas 3 sepositi praecipitatum cohaeserit nec facile quassando dividi poterit.

Nitratis bismuthici basici gramma 1 in acidi nitrici centimetris cubicis 5 non effervescens solvatur in liquorem clarum, coloris expertem. Liquoris ita parati, aquae centimetris cubicis 25 diluti, centimetra cubica 5 ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico turbentur; eiusdem liquoris centimetrum cubicorum 15, ammoniae centimetris cubicis 6 mixtorum, filtrata coloris expertia sint; iis, quae

de filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Nitratis bismuthici basici grammati 1 in acidi nitrici centimetris cubicis 5 soluto additis aquae centimetris cubicis 50 et carbonatis natrici tanta quantitate ut liquor reactionis leviter acidae sit et praecipitatum constans exstiterit, tum additis acetatis natrici centimetris cubicis 25, cum deinde per horae partem quartam coctum erit, liquoris ita parati filtrata addito bichromate kalico ne turbentur (*plumbum*).

Nitratis bismuthici basici grammatis 1 una cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 5 calefacti vapor chartam exploratoriam rubram caeruleam ne reddat.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in ea, quae de Nitratis bismuthici basici milligrammatis 500 candefactis supererunt, in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 10 soluta, chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Nitratis bismuthici basici gramma 1 candefactum oxydi bismuthici partes centesimas 79 ad 81 relinquat.

+ Nitras bismuthicus basicus elutus.

Misce

Nitratis bismuthici basici partem unam 1
Aquae partibus quindecim 15

Mixtas frequenter, praesertim horis primis, quassatas per horas 24 sepone; praecipitatum collectum caloris gradu 30° sicca.

Pulvis albus, microcrystallinus, odoris et saporis expers, qui chartam exploratoriam caeruleam, madefactam tantum levissime rubram reddit.

Nitras bismuthicus basicus elutus calefactus, oxydum

bismuthicum flavum relinquens, aquam et vapores nitrosos emittit.

Nitratis bismuthici basici eluti grammatum 5 aquae centimetris cubicis 75 mixtorum et, frequenter quassatorum, per horas 24 servatorum, filtratorum centimetra cubica 50, ut neutrius reactionis sint, alcali decinormalis ne plus quam centimetrum cubicum 1 requirant.

Nitratis bismuthici basici eluti aquae quantitate quinquies decies tanta mixti et, non quassati, per horas 3 sepositi praecipitatum ne cohaeserit et quassatum facile dividi possit.

Ceterum Nitras bismuthicus basicus elutus isdem puritatis legibus satisfaciat, quibus Nitras bismuthicus basicus.

+ Nitras kalicus.

KNO_3.

Prismata coloris expertia, perlucida, rhombea, vel eorum pulvis. Nitras kalicus in aquae partibus 3,8 solvitur, in spiritu fere non solvitur.

Nitratis kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 20 solutum, addito acidi tartarici grammate 1 soluto in aquae centimetris cubicis 3, praecipitatum album, crystallinum deponit; liquoris clari inde defusi centimetris cubicis 3, acidi sulfurici centimetris cubicis 3 mixtis, sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetris cubicis 3 prudenter superimpositis, stratum confine fusconigrum est.

Nitras kalicus flammam non lucentem colore flavo ne inficiat.

Nitras kalicus in aqua (1 = 20) solutus clarus, coloris expers, neutrius reactionis sit neve addito acido hydrosulfurico neve sulfohydrate ammonico neve carbonate natrico neve nitrate barytico speciem mutet.

Nitratis kalici leniter candefacti gramma 1 in aquae centimetris cubicis 20 solutum, acidi nitrici guttis 5 mixtum addito nitrate argentico, per horae partem non minus quam duodecimam clarum sit (*perchlorates, chloreta*).

+ Nitras natricus.

$NaNO_3$.

Rhomboedra coloris expertia, perlucida, hygroscopica. Nitras natricus in aquae partibus 1,2 et in spiritus partibus 65,2 solvitur.

Nitras natricus flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit; Nitratis natrici in aqua (1 = 20) soluti centimetris cubicis 3, acidi sulfurici centimetris cubicis 3 mixtis, sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetris cubicis 3 prudenter superimpositis, stratum confine fusconigrum est.

Nitratis natrici gramma 1, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 5, liquorem clarum praebeat.

Nitras natricus in aqua (1 = 20) solutus clarus, coloris expers, neutrius reactionis sit neve addito acido hydrosulfurico neve sulfohydrate ammonico neve carbonate natrico neve nitrate barytico speciem mutet.

Nitratis natrici leniter candefacti gramma 1 in aquae centimetris cubicis 20 solutum, acidi nitrici guttis 5 mixtum, addito nitrate argentico, per horae partem non minus quam duodecimam clarum sit (*perchlorates, chloreta*).

Nitratis natrici in aqua (1 = 5) soluti, per acidum sulfuricum dilutum acidi facti, centimetris cubicis 5 cum chloroformi centimetro cubico 1 conquassatis, chloroformum, ne aqua hydrosulfurata quidem neve aqua chlorata instillata, coloretur (*iodates, iodeta, brometa*).

+ Nitras Strychnini.

$C_{21}H_{22}N_2O_2.HNO_3$.

Crystalla acicularia nitida, coloris et odoris expertia. Sapor etiam Nitratis Strychnini valde diluti (1 = 100000) amarus. Nitras Strychnini in aquae partibus 61,5, caloris autem gradu 100° iam 3 solvitur.

Nitratis Strychnini in aqua (1 = 100) soluti centimetra cubica 5 si diphenylamini milligrammatis 5 in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 nullo colore solutis prudenter superimponuntur, stratum confine colorem obscure caeruleum trahit.

Nitratis Strychnini in aqua (1 = 100) soluti centimetrum cubicum 1, addita bichromatis kalici gutta 1, praecipitatum crystallinum deponit flavum, quod collectum et acido sulfurico superfusum paulisper colore obscure violaceo inficitur.

Nitras Strychnini in acidi sulfurici quantitate centuplici colore nullo aut tantum subflavido solvatur.

Nitras Strychnini combustus nihil relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum 5.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 10.

Iniectionum subcutanearum:

Doses maximae singulae milligrammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 10.

Nitris aethylicus cum Spiritu.

Spiritus Nitri dulcis.

Superfunde in retorta tubulata

Ramentorum Cupri grammata centum 100

mixtis refrigeratis

Spiritus centimetris cubicis mille 1000

et

Acidi Sulfurici centimetris cubicis centum viginti quinque. 125

Prudenter quassans his adde

Acidi nitrici centimetra cubica centum septuaginta quinque 175

et e balneo aquae destilla, cura habita ne calor eorum, quae retorta continet, gradum 85um excedat.

Destillata excipe in

Spiritus centimetra cubica octingenta . . . 800

et destillare perge dum transierint

centimetra cubica sescenta. 600

Quae retorta continet, refrigera usque ad caloris gradum 20um, tum adde

Acidi nitrici centimetra cubica triginta. . . 30

et iterum destilla modo supra indicato.

Destillata excipe in

Spiritus centimetra cubica ducenta. 200

et destillare perge dum transierint

centimetra cubica centum 100

Destillata mixta tam diu conquassa cum

Oxydi magnesici grammatis decem 10

ut reactio acida esse desierit, quo facto filtra et e balneo aquae rectifica, cura habita ne calor eorum, quae retorta continet, gradum 85um excedat.

Destillata excipe in

Spiritus centimetra cubica quinquaginta. . 50

et destillare perge dum transierint

centimetra cubica mille sescenta. 1600

Nitritis aethylici quantum insit, modo infra indicato statue et spiritus tanta quantitate dilue ut in Nitritis aethylici cum Spiritu centimetris cubicis 10 insint nitritis aethylici milligrammata 250.

Liquor pallidissime flavus, clarus, odoris grati, saporis proprii. Pondus specificum 0,840 ad 0,850.

Nitritis aethylici cum Spiritu centimetro cubico 1 solutis sulfatis ferrosi milligrammatis 500 in acidi hydrochlorici centimetris cubicis 5 prudenter superimposito, stratum confine est viridifuscum.

Nitris aethylicus cum Spiritu neutrius reactionis sit vel tam leviter acidae, ut centimetrum cubicum 1 per alcali normalis guttam 1 reactionis alcalinae fiat.

Nitritis aethylici cum Spiritu centimetra cubica 5, ammoniae centimetris cubicis 2 mixta, additis centimetris cubicis 2 solutarum iodii partis 1 et iodeti kalici partium 2 in aquae centimetris cubicis 17, praecipitatum nigrum deponunt, quod non multo post rursus solvitur. Insuper additis eorundem solutorum centimetris cubicis 2 vel tanto maiore quantitate ut leni calore liquoris color flavidus evanescat, liquore refrigerato, crystalla iodoformi post horae partem ne dimidiam quidem exstiterint.

Nitritis aethylici quantum in liquore insit, ita statuitur: Nitritis aethylici cum Spiritu centimetra cubica 10 chloratis kalici in aqua (1 = 20) soluti centimetris cubicis 15 et acidi nitrici centimetris cubicis 5 misce et in lagena clausa, nonnunquam quassans, per horam 1 sepone. Deinde adde nitratis argentici decinormalis centimetra cubica 20 et solutionis sulfatis ammonicoferrici saturatae guttas 5 et argenti quantitatem excedentem per sulfocyanetum ammonicum decinormale titra dum color ruber exsistens quassando non statim evanescat. Solutionis nitratis argentici decinormalis centimetra cubica singula adhibita cum Nitritis aethylici milligrammatis 22,5 conveniunt.

Nitritis aethylici cum Spiritu centimetra cubica 10 nitritis aethylici minus quam milligrammata 200 ne contineant.

In lagenis quam maxime impletis a luce remotus loco frigido servetur.

+ Nitris amylicus.

Liquor $C_5H_{11}NO_2$ non minus quam partes centesimas 80 continens.

Liquor flavidus, clarus, odoris proprii, saporis urenter aromatici, plane volatilis, qui exardescere potest. Nitris amylicus spiritu et aethere pro quavis portione misceri potest, in aqua parum solvitur. Pondus specificum 0,870 ad 0,880. Caloris gradu 97^0 ad 99um ebullit.

Acidi sulfurici centimetris cubicis 2 Nitritis amylici et aquae guttis singulis mixtis, valerianas amylicus exsistit, qui, liquore aqua diluto, odore percipi potest. Nitritis amylici gutta 1 solutis sulfatis ferrosi milligrammatis 500 in acidi hydrochlorici centimetris cubicis 5 addita, liquor viridifuscus nec perlucidus est.

Nitritis amylici centimetra cubica 3, cum ammoniae gutta 1 et aquae centimetro cubico 1 conquassata, chartam exploratoriam rubram reddant caeruleam.

Nitritis amylici centimetrum cubicum 1, una cum ammoniae guttis 5, spiritus centimetro cubico 1,5, nitratis argentici guttis 10 per horae partem duodecimam leniter calefactum, colorem obscurum ne trahat (*valeraldehydum*).

Nitris amylicus ad calorem glaciei liquescentis refrigeratus clarus sit (*aqua*).

$C_5H_{11}NO_2$ quantum in liquore insit, ita statuitur: Nitritis amylici milligrammata 500, in spiritus centimetris cubicis 10 soluta, chloratis kalici in aqua (1 = 20) soluti centimetris cubicis 15 et acidi nitrici centimetris cubicis 5 misce et in lagena clausa, nonnunquam quassans, per horam 1 sepone. Deinde adde nitratis argentici decinormalis centimetra cubica 20 et solutionis sulfatis ammonicoferrici saturatae guttas 5 et argenti quantitatem excedentem per sulfocyanetum ammonicum decinormale titra dum color ruber exsistens quassando non statim evanescat. Quod ut fiat,

sulfocyaneti ammonici ne plus quam centimetra cubica 8,6 requirantur. Nitratis argentici decinormalis centimetra cubica singula adhibita cum $C_5H_{11}NO_2$ milligrammatis 35,1 conveniunt.

A luce remotus servetur.

Olea pinguia.

Olea pinguia, si opus erit calefacta, clara sint, odoris puri, omnino non rancidi; in aethere et in chloroformo pro quavis portione solvantur.

Olea pinguia serventur in lagenis vel urnis siccis, quam maxime impletis, bene obturatis, loco frigido, a luce remota.

Olea pinguia libera sint oleis alienis; num oleum gossypii vel sesami vel olea mineralium insint, ita statui potest:

Num oleum gossypii insit statuitur:

Si in tubo vitreo olei centimetra cubica 2 ad 3 una cum alcoholis amylici et sulfuris depurati in sulfido carbonico (1 = 100) soluti paribus voluminibus per horae partem sextam in balneo aquae concoquuntur, liquoris in tubo inclusi fere dimidio supra aquam eminente, mixta, si oleum gossypii inest, rubescunt. Si dubitatur, liquor denuo semel vel bis sulfuris in sulfido carbonico soluti centimetris cubicis singulis misceatur et per horae partem duodecimam calefiat.

Num oleum sesami insit statuitur:

Si olei centimetris cubicis 5 furoli (1 = 100) guttae 2 et acidi hydrochlorici concentrati (pondere specifico 1,18 ad 1,19) centimetra cubica 10 adduntur et fortiter conquassantur, stratum acidi, si oleum sesami inest, coloris cerasini fit intra horae partem tricesimam.

Num olea mineralium insint statuitur:

Si olei centimetrum cubicum 1 una cum solutionis hydratis kalici spirituosae centimetris cubicis 15 in balneo aquae frequenter agitatum evaporatur dum sicca sint, sapo relictus, in aqua vel in spiritu solutus, si olea mineralium insunt, turbatur.

Si postulata praescripta erunt de indice acidimetrico vel de indice saponificationis vel de indice iodimetrico, hi indices ita statuantur:

Statuitur index acidimetricus:

Olei grammati 1 adde alcoholis absoluti centimetra cubica 20 et phenolphthaleini guttas 5 et assidue conquassans (adipes non liquidos leniter calefaciens) per solutionem hydratis kalici spirituosae seminormalem titra dum mixta rubescant.

Index acidimetricus est numerus milligrammatum KOH, quae requiruntur ut acida libera in grammate 1 materiae exploratae neutrius reactionis fiant.

Statuitur index saponificationis:

Olei gramma 1 una cum solutionis hydratis kalici spirituosae seminormalis centimetris cubicis 20 per horae dimidiam partem cum restillatione concoque, adde phenolphthaleini guttas 5, per acidum hydrochloricum seminormale titra dum color ruber evanescat.

Index saponificationis est numerus milligrammatum KOH, quae ad saponificationem grammatis 1 materiae exploratae requiruntur.

Statuitur index iodimetricus:

Olei quantitatem, singulis oleis expresse praescriptam, solve in solutionis chloreti iodii centimetris cubicis 25; soluta in lagena bene obturata a luce remota sepone per temporis spatium singulis oleis praescriptum. Quo tempore interiecto adde solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetra cubica 10 et aquae centimetra cubica 100 et, solutione amyli

indicatore, retrotitra iodium non coniunctum per thiosulfatem natricum decinormalem.

Index iodimetricus est numerus partium iodii coniuncti partibus 100 materiae exploratae.

Olea volatilia.

Olea volatilia, si opus erit calefacta, clara sint, odoris fortis et puri earum plantarum, e quibus parata sint, pro quavis portione in aethere et in chloroformo solvantur. Odor et sapor Oleorum volatilium optime sentiuntur in commixtis olei gutta 1 et aquae centimetris cubicis 10.

Olea volatilia serventur in lagenis siccis, quam maxime impletis, bene obturatis, non nimis magnis, loco frigido, a luce remota.

Olei volatilis guttae in aquam inmissae superficies ne turbetur; in balneo aquae calefacta Olea volatilia destillata ne praebeant; Oleis volatilibus conquassatis cum solutionis chloreti natrici saturatae pari volumine, deinde sepositis, solutionis chloreti natrici volumen, stratis perfecte secretis, auctum ne sit (*spiritus*).

Olei volatilis gutta chartae imposita, nullam maculam perlucidam relinquens (*oleum pingue*), sensim evaporetur.

Oleum Amygdalarum.

Oleum pingue, paratum e seminibus quae praebent varietates diversae speciei Pruni Amygdali, STOKES, Bot. Mat. Med. III. 101.

Para Amygdalis amaris vel dulcibus contundendis et, calore nullo adhibito, exprimendis, deinde massa expressa

eodem modo tractanda. Oleum, cum desederit, clarum factum defunde; quae relicta erunt, filtra.

Oleum subflavum, odoris expers, non arescens, saporis mitis qualis est nucum. Pondus specificum 0,915 ad 0,920.

Oleum Amygdalarum caloris gradu — 15° liquidum sit. Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 200 ad 220 per horae partem tertiam continuato, ne sit minor quam 95 neve maior quam 101. Olei Amygdalarum centimetris cubicis nonnullis cum acidi nitrici pari volumine fortiter conquassatis, mixta alba sint, oleum ne flavescat neve e subflavo rubescat neve rubrofuscum fiat (*oleum nucleorum persicorum*).

Olei Amygdalarum centimetra cubica nonnulla si una cum acidi nitrici pari volumine conversa erunt, addita hydrargyri quantitate parva, oleum post horas nonnullas in massam solidam, fere albam abierit.

Oleum Anisi.

Oleum volatile destillatione per aquam e Fructibus Anisi paratum.

Coloris expers vel subflavum, lucem valde refringens; sapor subdulcis, proprie aromaticus. Pondus specificum 0,980 ad 0,990. Caloris gradu ne minus quam 14° concrescat.

Oleum Anisi in spiritus voluminibus 2 solvatur; si opus erit in experiendo ad caloris gradum 20um calefieri licebit.

+ Oleum Aurantiorum.

Oleum volatile expressione e Cortice Fructus Aurantii recenti paratum.

Tenue liquidum, subflavum; sapor proprius, amariusculus. Pondus specificum 0,850 ad 0,870. Oleum Aurantiorum inter caloris gradus 175um et 180um fere totum destillatur.

Oleum Aurantiorum in spiritus voluminibus 7 solvatur.

+ Oleum Betulae empyreumaticum depuratum.

Oleum Rusci depuratum.

Liquor rectificando paratus e pice liquida, in Russia destillatione sicca parata e stirpibus quas praebet Betula alba, Linn. Sp. Pl. 982.

Liquor agilis, clare flavus, qui aere mox colorem fuscum trahit et lente in resinam transit; picem liquidam redolet; guttae nonnullae cum solutione hydratis kalici calefactae odorem spargunt aromaticum, ligni betulae et olei terebinthinae. Pondus specificum 0,920 ad 0,945. Oleum Betulae empyreumaticum depuratum in aqua fere non solvitur; in alcohole absoluto, in aethere, in aethere petrolei, in spiritus volumine fere decemplici solvitur.

Aquae centimetrum cubicorum 5 cum Olei Betulae empyreumatici depurati gutta 1 conquassatorum filtrata reactionis sint acidae, addito chloreto ferrico (1 = 1000) virescant, addita aqua bromata lactescant.

Inter caloris gradus 180um et 240um Olei Betulae empyreumatici depurati partes fere 3 destillentur.

Oleum Cacao.

Butyrum Cacao.

Pinguedo, non calefacta solida, quae, calore adhibito, expressione paratur e seminibus spermodermide liberatis, tostis vel non tostis, quae praebet Theobroma Cacao, LINN. Sp. Pl. 782.

Massa flavidoalba, Pastam Cacao redolens, saporis mitis, quae caloris gradu 15° fragilis, 25° quodammodo mollis est; gradu 31° ad 34um in liquorem clarum liquescat.

Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 600 ad 800 per horae partem quartam continuato, ne sit minor quam 33,8 neve maior quam 36.

Olei Cacao grammate 1 caloris gradu non plus quam 30° in aetheris centimetris cubicis 3 soluto, mixta caloris gradu 15° clara sint.

+ Oleum Cajuputi.

Oleum volatile in India Orientali Nederlandica, praesertim in Beroe et Ceram insulis, destillatione per aquam paratum e recentibus ramis foliatis, quos fert varietas arboris cui nomen est Melaleuca Leucadendron, LINN. Mant. I. 105.

Tenue liquidum, clare caeruleoviride; sapor proprie aromaticus, camphoraceus. Pondus specificum 0,920 ad 0,930. Oleum Cajuputi inter caloris gradus 155um et 180um destillatur.

In Oleo Cajuputi iodium solvatur sine reactione vehementi; olei partes 5 et iodii in pulverem redacti pars 1 mixtae et ad caloris gradum 50um calefactae, refrigeratae, in pultem crystallinam concrescunt.

Oleum Cajuputi, cum acido acetico diluto conquassatum, flavescit, in liquore acido, aquoso vestigia cupri indicari possunt.

Oleum Cajuputi, addito spiritu pro qualibet portione, mixta clara praebeat. Guttae in chartam bibulam instillatae et, calore non adhibito, evaporatae maculam relinquant licet, quae, ut margo colorem trahat, tamen luce neve incidente neve transeunte perlucida sit.

+ Oleum Caryophyllorum.

Oleum volatile destillatione per aquam e Caryophyllis paratum.

Recens paratum coloris fere expers, aere paulatim flavescit, denique colorem rubrofuscum trahit. Sapor acriter aromaticus. Pondus specificum non minus quam 1,050.

In spiritu (1 = 20) solutum, addito chloreto ferrico, caeruleum fit. Oleum Caryophyllorum, cum solutionis hydratis natrici pari volumine conquassatum, massa mollis, subflava, crystallina fiat.

Oleum Caryophyllorum, addito spiritu pro qualibet portione, mixta clara praebeat et in spiritus diluti voluminibus 2 solvatur.

+ Oleum Cinnamomi.

Oleum volatile destillatione per aquam e Cortice Cinnamomi paratum.

Recens paratum flavum, aere paulatim colorem trahit flavorubrum vel subfuscum et lentius fluit. Sapor prius dulcissimus, deinde urenter aromaticus. Pondus specificum 1,025 ad 1,040. Maior pars caloris gradu fere 250° destillatur; residuum non volatile ne plus quam olei partium centesimarum 10 sit.

Olei Cinnamomi centimetri cubici dimidiae parti (0,5) acidi nitrici par volumen calore glaciei liquescentis stillatim additum massam crystallinam praebeat tantum paulo obscuriorem quam oleum est.

Oleum Cinnamomi, addito spiritu pro qualibet portione, mixta clara praebeat, in spiritus diluti voluminibus 3 solvatur; hic liquor chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram.

Oleum Cinnamomi in spiritu (1 = 10) solutum, addito chloreto ferrico, subviride, non perspicue caeruleum fiat (*oleum foliorum Cinnamomi*).

Olei Cinnamomi in aquam instillati guttae celeriter, nulla turbatione facta (*spiritus*), submergantur (*oleum pingue*).

Olei Cinnamomi centimetris cubicis 5 una cum bisulfitis natrici (30 = 100) centimetris cubicis 50 frequenter conquassatis, per 2 horas in balneo aquae calefactis, centimetra cubica ne plus quam 2,25 neve minus quam 1,25 insolubilia sint.

Oleum Cinnamomi, cum solutionis hydratis natrici pari volumine conquassatum, voluminis ne plus quam partem decimam amittat.

+ Oleum Citri.

Oleum volatile expressione e Cortice Fructus Citri recenti paratum.

Tenue liquidum, subflavum; sapor lenis, aromaticus, in ore relictus amarus. Olei Citri gutta 1, cum saccharo contrita et in aquae centimetris cubicis 500 soluta, liquorem praebeat grati odoris fructuum citri. Pondus specificum 0,850 ad 0,860. Oleum Citri in tubo decimetrum 1 longo inclusum gradu caloris 20° radium lucis polarisatae detorquet gradus + 58 ad + 67.

Oleum Citri in spiritus voluminibus 6 solvatur.

Olei dimidia parte destillatione remota, destillata radium lucis polarisatae longius detorqueant a dextro quam oleum pristinum.

+ Oleum Cocos.

Pinguedo, nullo calore adhibito solida, parata calore adhibito exprimendis nucleis (copra) siccatis, quos praebet Cocos nucifera, LINN. Sp. Pl. 1188.

Pinguedo quodammodo perlucida, alba, odoris proprii, saporis dulcis, quae facile rancescit.

Oleum Cocos caloris gradu 5^0 ad 10um solidum et granosum est, gradu 15^0 ad 20um molle, inter gradus 25um et 30um liquescat in liquorem clarum. Pondus specificum caloris gradu 15^0 0,920 ad 0,930.

Index iodimetricus, experimento in grammatis 2,5 ad 3 per horae partem quartam continuato, ne sit maior quam 10. Index saponificationis ne sit minor quam 250. Olei Cocos gramma 1 caloris gradu non plus quam 35^0 in alcoholis absoluti centimetris cubicis 5 solvatur. In spiritus partibus 10 Oleum Cocos, ne calefactum quidem, totum solvitur.

In India Orientali Nederlandica Oleum Cocos, quod illic liquidum esse solet, nomine *minjak kalapa* vel *klapperolie* vocatur.

+ Oleum Crotonis.

Oleum pingue e Semine Crotonis paratum.

Para oleum seminibus Crotonis spermodermide liberandis, deinde nucleis integris contundendis et, calore non adhibito, exprimendis. Oleum per chartam filtra.

Liquor flavidofuscus, spissior, odoris proprii, qui chartam exploratoriam caeruleam, madefactam reddit rubram. Pondus specificum 0,940 ad 0,960.

Oleum Crotonis, in balneo aquae calefactum, in alcoholis absoluti volumine duplici solvatur.

Olei Crotonis centimetra cubica nonnulla si cum acidi nitrici pari volumine conversa erunt, addita hydrargyri quantitate parva, oleum post horas nonnullas, licet multo spissius factum sit, neve tamen totum neve partim in massam solidam abierit.

Oleum Crotonis ne diutius quam unum annum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 50.
Doses maximae per horas vicenas quaternas milligrammatum 100.

+ Oleum Fagi empyreumaticum depuratum.

Liquor rectificando paratus e pice liquida destillatione sicca parata e ligno, quod praebet Fagus sylvatica, Linn. Sp. Pl. 998.

Liquor agilis, clare flavus, qui aere mox colorem rubrofuscum trahit, odoris proprii, qualis est picis liquidae; guttae nonnullae, una cum solutione hydratis kalici calefactae, odorem spargunt aethereum. Pondus specificum 0,960 ad 0,980. Oleum Fagi empyreumaticum depuratum in aqua fere non solvitur; in alcohole absoluto, in aethere, in spiritu totum solvitur, in aethere petrolei quodammodo turbatum.

Aquae centimetrum cubicorum 5 cum Olei Fagi empyreumatici depurati gutta 1 conquassatorum filtrata reactionis sint acidae; addita aqua bromata, valde lactescant.

Inter caloris gradus 120um et 180um Olei Fagi empyreumatici depurati dimidia pars destillatur; quae restant, inter gradus 180um et 220um, parva picis liquidae quantitate relicta, destillantur.

Oleum Foeniculi.

Oleum volatile destillatione per aquam e Fructibus Foeniculi paratum.

Coloris fere expers; sapor prius dulcis, deinde amaro-aromaticus. Pondus specificum 0,965 ad 0,980. In tubo decimetrum 1 longo inclusum radium lucis polarisatae detorquet gradus + 12 ad + 24.

Oleum Foeniculi refrigeratum anetholi crystalla foliacea deponit et sensim massa crystallina, solida fit.

Oleum Foeniculi, quod calore glaciei liquescentis crystalla crebra non deponat, quae caloris gradu demum 5° tota solvantur, reiciatur.

Oleum Foeniculi, addito spiritus pari volumine, mixta clara praebeat.

Olei Foeniculi ne minus quam dimidia pars inter caloris gradus 225um et 240um destilletur.

Oleum Iecoris Aselli.

Oleum pingue e iecore recenti, quod habent Gadus Morrhua Linn. et nonnullae species propinquae eiusdem generis leni calore (gradum 80um non superante) paratum et a parte solida separatum, quae frigore ex oleo solidescit.

Oleum coloris subflavi vel aurei, odoris et saporis proprii quales sunt piscium. Pondus specificum 0,920 ad 0,930.

Si Olei Iecoris Aselli guttis nonnullis, quae in lamina porcellanea effluxerint, acidi sulfurici gutta 1 addita erit, quo loco liquores se contigerint, oleum colorem violaceum trahet, qui in fuscum transibit.

Olei Iecoris Aselli centimetro cubico 1 cum acidi nitroso-nitrici guttis 3 conquassato, mixta colorem latericium, deinde fuscoflavum trahunt.

Oleum Iecoris Aselli calore glaciei liquescentis liquidum sit et omnino nulla aut paucissima grana crystallina secernat.

Oleum Iecoris Aselli chartam exploratoriam caeruleam, spiritu madefactam, nullo colore aut tantum subrubro inficiat. Index saponificationis ne sit minor quam 180. Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 100 ad 120 per horam continuato, ne sit minor quam 163 neve maior quam 182.

+ Oleum Iecoris Aselli cum Benzoate ferrico.

Oleum Iecoris Aselli ferratum.

Solve

Benzoatis natrici partes tres 3

in

Aquae partibus quindecim 15

Quibus solutis adde mixtas

Solutionis Chloreti ferrici partes duas cum decimis quattuor 2,4

et

Aquae partes viginti quinque 25

Praecipitatum collectum in filtrum aqua ablue, dum liquor defluens addito nitrate argentico non amplius turbetur. Liquoris quam plurimum remove filtrum atque praecipitatum,

inter chartam bibulam posita, leviter premendo, deinde praecipitatum misce Sulfatis natrici exsiccati tanta quantitate (partibus fere 15) ut pulvis siccus paretur.

Quibus mixtis adde

Olei Iecoris Aselli partes ducentas quinquaginta. 250

et caloris gradu 30^0 ad 32um calface dum benzoas ferricus solutus sit.

Liquorem in lagenas siccas filtra.

Liquor clarus, rubrofuscus, oleaceus.

In liquore insint ferri non minus quam partis centesimae 0,14. Quantum insit, ita statuitur: Olei Iecoris Aselli cum Benzoate ferrico grammata 20 in cucurbita misce spiritus fortioris centimetris cubicis 20 et solutionis hydratis kalici centimetris cubicis 20; in balneo aquae, assidue conquassans cura habita ut quam minimum evaporetur, per horam 1 calface. Additis aquae centimetris cubicis 150, iterum in balneo aquae per horam 1 calface. Praecipitatum in filtrum collectum aqua calida elue. Filtrum et quae continet, in patella acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 20 superfusa, in balneo aquae calface dum hydras ferricus solutus sit; deinde filtra et patellam filtrumque aqua calida elue, dum filtratorum guttae nonnullae, addito sulfocyaneto kalico, non amplius colorem rubrum trahant. Instilla permanganatem kalicum (1 = 200), dum color ruber non statim evanescat, quo facto, ut permanganatis kalici quantitas excedens dissolvatur, liquorem una cum spiritus parva quantitate calface. Denique in liquore refrigerato iodeti kalici gramma 1 solve et post horam 1 per thiosulfatem natricum titra, cuius, ut liquor decoloretur, non minus quam centimetra cubica 5 requirantur.

+ Oleum Iecoris Aselli cum Iodeto ferroso.

Ad Oleum Iecoris Aselli cum Iodeto ferroso parandum adhibeatur oleum iecoris aselli, quod non solum postulatis illi materiei scriptis satisfaciat sed etiam huice: Solutorum iodii milligrammatum 10 in olei iecoris aselli grammatis 10 guttae nonnullae si post horas 4 cum solutione iodeti kalici cum amylo conquassantur, haec colorem caeruleum trahat.

Solve in mortario deterens

Iodii partes quinque 5

in

Olei Iecoris Aselli partibus trecentis nonaginta quattuor 394

Soluta in lagenam infunde, quae fere tota compleatur.

Adde

Ferri pulverati partes decem 10

et frequenter fortiter conquassans per horas 12 sepone. Liquor fac per horas 24 desidat; per solutionem iodeti kalici cum amylo in guttis nonnullis inquire num iodium liberum insit; quod si inerit, conquassare perge, dum iodium adesse non amplius appareat. Liquorem, cum desederit, clarum defunde.

Liquor e purpureo violaceus, oleaceus.

Aquae centimetrum cubicorum 5 cum Olei Iecoris Aselli cum Iodeto ferroso guttis 3 conquassatorum filtrata, additis acidi nitrosonitrici gutta 1 et solutionis amyli parva quantitate, colorem caeruleum trahant.

In liquore insint ferri non minus quam partes centesimae 0,235, id quod convenit cum iodeti ferrosi parte centesima 1,3. Quantum insit, ita statuitur: Olei Iecoris Aselli cum Iodeto ferroso grammata 20 in cucurbita misce spiritus fortioris centimetris cubicis 20 et solutionis hydratis kalici centimetris cubicis 20; in balneo aquae, frequenter conquassans, cura habita ut quam minimum evaporetur, per horam 1 calface.

Additis aquae centimetris cubicis 150, itérum in balneo aquae per horam 1 calface. Praecipitatum in filtrum collectum aqua calida elue. Filtrum et quae continet, in patella acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 20 superfusa, in balneo aquae calface, dum hydras ferricus solutus sit, deinde filtra et patellam filtrumque aqua calida elue, dum filtratorum guttae nonnullae, addito sulfocyaneto kalico, non amplius colorem rubrum trahant. Instilla permanganatem kalicum (1 = 200) dum color ruber non statim evanescat; quo facto, ut permanganatis kalici quantitas excedens dissolvatur, liquorem una cum spiritus parva quantitate calface. Denique in liquore refrigerato iodeti kalici grammata 2 solve et post horam 1 per thiosulfatem natricum decinormalem titra, cuius, ut liquor decoloretur, non minus quam centimetra cubica 8,4 requirantur.

Oleum Iecoris Aselli cum Iodeto ferroso in lagenis parvis, quae non plus quam centimetra cubica 100 capiant, servetur.

+ Oleum Iuniperi empyreumaticum.

Oleum cadinum.

Pix liquida in Europa Meridionali destillatione sicca parata e ligno quod praebet Iuniperus Oxycedrus, Linn. Sp. Pl. 1038.

Liquor modice spissus, perfuscus, picem liquidam admodum redolens, saporis acriter urentis et amari. Pondus specificum 0,98 ad 1,00. Oleum Iuniperi empyreumaticum in aqua fere non solvitur, in alcohole absoluto, in aethere, in sulfido carbonico, in chloroformo, in anilino solvitur, in aethere petrolei partes fere novem; addita spiritus quantitate quadruplici, mixta praebet turbida, quae calefacta clarescunt, at

refrigescentia sensim olei dimidiam partem, liquorem spissum, fuscum secernunt.

Aquae centimetrum cubicorum 5 cum Olei Iuniperi empyreumatici gutta 1 conquassatorum filtrata reactionis sint acidae; addita aqua bromata, lactescant.

Inter caloris gradus 250um et 275um Olei Iuniperi empyreumatici partes fere tres destillentur.

+ Oleum Lauri.

Mixta oleum pingue et oleum volatile, expressione parata e fructibus recentibus quos praebet Laurus nobilis, LINN. Sp. Pl. 369.

Massa viridis, odoris proprie aromatici, unguinosa, in qua parva crystalla granosa secreta sunt. Oleum Lauri caloris gradu fere 40° liquescit in liquorem obscure viridem.

Oleum Lauri in benzolo solvatur et, calore adhibito, in alcoholis absoluti volumine duplici; his solutis refrigescentibus, pars olei pinguis secernitur; liquor inde defusus, addita ammonia, fuscus ne fiat.

+ Oleum Laurocerasi.

Oleum volatile destillatione per aquam e Foliis Laurocerasi recentibus paratum.

Subflavum; odor ab odore amygdalarum amararum facile distinguitur; sapor urens. Pondus specificum 1,060 ad 1,067.

Olei Laurocerasi guttis 2 una cum solutionis hydratis kalici centimetris cubicis 2 et sulfatis ferrosi milligrammatis 20 calefactis dum ebulliant, refrigeratis acidi hydrochlorici centimetris cubicis 2 mixtis, liquor caeruleus fit et brevi post praecipitatum caeruleum deponit.

Oleum Laurocerasi in spiritus diluti voluminibus 2 solvatur.

Olei Laurocerasi centimetrum cubicum 1, cum bisulfitis natrici (30 = 100) centimetris cubicis 10 frequenter quassatum et in balneo aquae calefactum, totum solvatur.

+ Oleum Lavandulae.

Oleum volatile destillatione per aquam e floribus Lavandulae verae, DC. Fl. Fr. Suppl. 398, paratum.

Coloris expers vel subflavum; sapor aromaticus, amarus. Pondus specificum 0,880 ad 0,890.

Oleum Lavandulae, addito spiritu pro qualibet portione, mixta clara praebeat et in spiritus diluti voluminibus 3 solvatur.

Olei Lavandulae grammati 1 cum solutionis hydratis kalici seminormalis alcoholicae centimetris cubicis 10 per horam 1 in balneo aquae cum restillatione concocto, refrigerato phenolphthaleini guttis nonnullis additis, si per acidum hydrochloricum seminormale retrotitrabitur, ut liquor neutrius reactionis sit acidi non plus quam centimetra cubica 6,4 requirantur, quod convenit cum acetatis linalyli partibus centesimis non minus quam 35.

Oleum Lini.

Oleum pingue, calore non adhibito expressione e Semine Lini paratum.

Oleum flavum vel e subfusco flavum, odoris et saporis proprii, quod in stratum tenue extentum siccatur in vernicem perlucidam. Pondus specificum 0,930 ad 0,935.

Oleum Lini caloris gradu -20^0 liquidum sit. Olei Lini in alcohole absoluto tantum parum (partes centesimae fere 2) solvitur; oleo terebinthinae pro quavis portione misceri possit.

Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 100 ad 120 per horam 1 continuato, ne sit minor quam 175.

Olei Lini grammatis 50 in poculo vitreo, alto acidi sulfurici centimetris cubicis 10 mixtis, calorem non minus quam gradus 100 auctum esse appareat.

Oleum Lini cum aquae calcis pari volumine conquassatum statim emulgeatur.

+ Oleum Macidis.

Oleum volatile destillatione per aquam paratum e Macide, arillis quos praebet Myristica fragrans, HOUTT. Handleid. III. 333.

Coloris expers vel tantum subflavidum, tenue; sapor admodum aromaticus. Pondus specificum 0,900 ad 0,920.

Oleum Macidis, addito spiritus volumine triplici, liquorem praebeat clarum.

Inter caloris gradus 110um et 130um Olei Macidis non minus quam dimidia pars destilletur; eorum, quae restant, pars caloris gradu 130^0 ad 150um, alia pars demum gradu plus quam 200^0 destillatur.

Oleum Menthae piperitae.

Oleum volatile destillatione per aquam e recentibus foliis et ramis floridis Menthae piperitae, LINN. Sp. Pl. 576, paratum.

Coloris expers vel subflavum; sapor proprius, urens, non amarus; in ore respirantis sensum frigoris excitans. Pondus specificum 0,900 ad 0,920.

Olei Menthae piperitae centimetra cubica 2 acidi acetici concentrati centimetris cubicis 2 et acidi nitrici gutta 1 mixta paulatim colorem cyaneum trahunt et colore rubro cupri fluorescunt.

Oleum Menthae piperitae, addito spiritu pro qualibet portione, mixta clara praebeat; in spiritus diluti voluminibus 5 solvatur in liquorem clarum vel tantum leviter opalescentem.

Oleum Menthae piperitae satisne mentholi contineat, ita investigatur: Olei Menthae piperitae centimetra cubica fere 20, cum acidi acetici anhydrici pari volumine et acetatis natrici anhydrici grammatis 2 per horam 1 leniter concocta, bis aqua, tum carbonate natrico (1 = 20), denique iterum aqua laventur, quo facto per sulfatem natricum exsiccatum siccentur. Olei ita acetylati grammatis 10 cum solutionis hydratis kalici normalis alcoholicae centimetris cubicis 50 per horam 1 concoctis, si, addito phenolphthaleini centimetro cubico fere 1, alcalinum liberum per acidum hydrochloricum normale retrotitrabitur, centimetra cubica ne plus quam 21,0 requirantur.

+ Oleum Myristicae expressum.

Mixta oleum pingue et oleum volatile, calore adhibito expressione parata e Seminibus Myristicae.

Massa inaequalis, sordide rubroflava vel rubrofusca, passim albida, odoris et saporis valde aromatici, quales sunt Seminis Myristicae. Oleum Myristicae expressum caloris gradu 15° granosum est, gradu 47° ad 51um liquescat in liquorem fuscorubrum. Pondus specificum 0,920 ad 0,950. Oleo Myristicae expresso una cum spiritus quantitate decemplici in balneo aquae calefacto, liquor exsistat clarus, in quo tantum reliquias nonnullas seminum myristicae telae suspensas esse licet, e quo refrigescenti pinguedinis dimidia pars rursus secernitur in crystalla alba, nitida, caloris gradu 54° ad 55um liquescentia (myristinum).

Oleum Olivarum.

Oleum pingue, calore non adhibito expressione paratum e fructibus maturis quos praebet Olea europaea, Linn. Sp. Pl. 8.

Oleum subflavum, cum recens expressum est nonnunquam subviride, non arescens; odor et sapor tenues et proprii. Pondus specificum 0,915 ad 0,918.

Oleum Olivarum caloris gradu 10° spissescit et secretis crystallinis turbatur; calore glaciei liquescentis massa unguinosa et granosa est.

Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 220 ad 250 per horae partem quartam continuato, ne sit minor quam 82 neve maior quam 85. Olei Olivarum centimetris cubicis nonnullis cum acidi nitrici pari volumine fortiter conquassatis, mixta alba sint, oleum colorem subrubrum vel subfuscum ne trahat.

Olei Olivarum centimetra cubica nonnulla si una cum acidi nitrici pari volumine conversa erunt, addita hydrargyri quantitate parva, post horas nonnullas in massam solidam, fere albam abierint.

Olei Olivarum centimetris cubicis 2 cum solutionis hydratis kalici spirituosae centimetris cubicis 10 concoctis dum tota saponata sint, soluta clara ita parata, per horas 24 loco frigido servata, ne in pultem crystallinam abierint neve secreta crystallina exhibeant (*oleum Arachidis*).

Oleum Ricini.

Oleum pingue, calore non adhibito expressione paratum e seminibus spermodermide liberatis quae praebet Ricinus communis, LINN. Sp. Pl. 1007.

Oleum coloris expers vel subflavum, spissum, odoris et saporis fere expers; sapor deinde acer ne fiat. In stratum tenue extentum Oleum Ricini tantum lentissime arescit. Pondus specificum 0,955 ad 0,970.

Oleum Ricini calore glaciei liquescentis spissescit et floccos crystallinos, albos deponit; aucto frigore, oleum in massam butyraceam concrescit.

Oleum Ricini in acido acetico concentrato et in alcohole absoluto pro quavis portione solvitur; addito spiritus volumine triplici, clarum sit.

Olei Ricini centimetra cubica 10 cum aetheris petrolei centimetris cubicis 20 conquassata, seposita, in strata duo dividantur, quorum inferius volumine non minus quam centimetrum cubicorum 15 sit.

Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 210 ad 240 per horae partem quartam continuato, ne sit minor quam 84 neve maior quam 88.

Olei Ricini centimetris cubicis 3 cum sulfidi carbonici centimetris cubicis 3 et acidi sulfurici centimetro cubico 1 per horae partes sexagesimas nonnullas conquassatis, mixta flavescant licet, at fusca ne fiant neve nigrescant.

+ Oleum Rosarum.

Oleum volatile destillatione per aquam paratum e recentibus petalis quae ferunt species quaedam generis Rosae.

Caloris gradu 20° liquor est subflavus vel subviridis; odor fortis, purus rosarum, qui tum demum bene percipietur cum oleum valde dilutum erit. Pondus specificum caloris gradu 30°: 0,850 ad 0,860.

Oleum refrigescens prius crystalla parva deponit, deinde in massam crystallinam, plus minusve solidam concrescit.

Oleum Rosarum, addito spiritus volumine decemplici, mixta praebeat valde turbata floccis, qui, liquore calefacto ad caloris gradum paulo plus quam 30um, partim solvuntur, partim liquescunt et guttae facti supernatant.

+ Oleum Rosmarini.

Oleum volatile destillatione per aquam paratum e foliis quae praebet Rosmarinus officinalis, Linn. Sp. Pl. 23.

Coloris expers vel viridiflavum; odor aromaticus, valde camphoraceus; sapor aromaticoamarus et refrigerans. Pondus specificum 0,900 ad 0,920. Oleum Rosmarini in tubo decimetra 2 longo inclusum radium lucis polarisatae detorquet gradus non plus quam + 15; etiam pars decima, quae destillata prima transierit, radium dextrorsum detorqueat. Oleum Rosmarini, addito spiritus volumine dimidio, liquorem praebeat clarum.

Olei Rosmarini plus quam dimidia pars inter caloris gradus 165um et 175um destilletur; cetera, exceptis exiguis reliquiis resinosis, gradu 190° ad 205um. Ex his destillatis refrigescentibus crystalla camphorae saepe secernuntur.

Oleum Santali.

Oleum volatile destillatione per aquam paratum e ligno quod praebet Santalum album, LINN. Sp. Pl. 349, quae arbor in India Orientali Nederlandica et in silvis sua sponte crescit et illic et in India Britannica seritur.

Spissum, subflavum; sapor aromaticoamarus, parum acer. Pondus specificum 0,975 ad 0,985. Oleum Santali in tubo decimetrum 1 longo inclusum radium lucis polarisatae detorquet gradus −17 ad −20.

Oleum Santali, additis spiritus voluminibus 2, mixta clara praebeat; in spiritus diluti voluminibus 5 solvatur, quae soluta reactionis leviter acidae sunt.

Oleum Santali caloris gradu ne minus quam 290° destilletur; olei maior pars caloris gradu paulo plus quam 300° destillatur. × IDEM P.N.S

Oleum Santali santaloli partes centesimas non minus quam 92,5 contineat. Quantum insit, ita statuitur: Olei Santali centimetra cubica fere 15 cum acidi acetici anhydrici pari volumine et acetatis natrici anhydrici grammatis 2 per horam $1^1/_2$ concoque; oleum bis aqua, tum carbonate natrico (1 = 20), denique iterum aqua lavetur, quo facto per sulfatem natricum exsiccatum siccetur. Olei ita acetylati grammatis 5 cum solutionis hydratis kalici normalis alcoholicae centimetris cubicis 50 per horam 1 concoctis, si, refrigeratis addito phenolphthaleini centimetro cubico fere 1, alcalinum liberum per acidum hydrochloricum normale retrotitrabitur, centimetra cubica ne plus quam 32,3 requirantur.

N.P.S.

Sp. Gr. - 0·973 - 0·985
R. Ind 1·504 - 1·508
Opt Rot. - −16° to − 21°
Sol in 2 pts 95% alc
— - 5 - 70% -
Santalol - 91.5

+ Oleum Schleicherae.

Oleum pingue, calore adhibito expressione paratum e seminibus quae praebet Schleichera triiuga, WILLD. Sp. Pl. IV. 1396.

Massa subflava, mollis, saporis dulcis, odoris exigui, qualis est olei amygdalarum amararum, cuius maior pars caloris gradu 22° liquescit, minor demum gradu 28°. Pondus specificum 0,925 ad 0,930.

Index saponificationis est 215 ad 230. Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 300 ad 350 per horae partem tertiam continuato, ne sit minor quam 50 neve maior quam 55.

In India Orientali Nederlandica Schleichera triiuga inter alia nomine *koesambi* vocatur.

+ Oleum Sesami.

Oleum pingue, nullo calore adhibito expressione paratum e seminibus quae praebent varietates diversae Sesami indici, LINN. Sp. Pl. 634.

Oleum flavum, odoris expers, non arescens, saporis dulcis. Pondus specificum 0,920 ad 0,924.

Oleum Sesami calore glaciei liquescentis spissius fit, gradu −8° solidum.

Oleum Sesami, olei olivarum vel amygdalarum quantitate vicies tanta mixtum, reactionem olei sesami, in Oleis pinguibus memoratam, magnopere exhibeat.

Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 150 ad 180 per horae partes sexagesimas 25 continuato, ne sit minor quam 106 neve maior quam 112.

Olei Sesami centrimetro cubico 1 cum solutionis hydratis kalici spirituosae centimetris cubicis 10 concocto ad saponificationem, soluta, per horas 24 loco frigido seposita, crystalla multa ne secreverint (*oleum Arachidis*).

In India Orientali Nederlandica Oleum Sesami inter alia nomine *minjak widjen* vocatur.

+ Oleum Shoreae.

Pinguedo calore non adhibito solida, expressione calore adhibito parata e cotyledonibus recentibus vel siccatis quas praebent Shorea Stenoptera, BURCK, Annales de Buitenzorg, VI. 209, et aliae quaedam species eiusdem generis.

Massa subflavida vel subviridialba, odoris exigui, durior quam oleum cacao, cui sapore similis est. Fractura granosa, acubus acidi stearici obducta. Oleum Shoreae caloris gradu 15° fragile est, gradu fere 30° in liquorem clarum liquescit. Pondus specificum 0,950 ad 0,970.

Index acidimetricus est 11 ad 20, index saponificationis 180 ad 200. Index iodimetricus, experimento in milligrammatis 600 ad 800 per horae partem quartam continuato, ne sit minor quam 30 neve maior quam 40.

+ Oleum Sinapis.

Oleum volatile destillatione per aquam paratum e Semine Sinapis, oleo pingui liberato, molito, per horas 24 aqua frigida mollito.

Tenue liquidum, clarum, coloris expers vel subflavum; odor et sapor valde pungentes; in cute Oleum Sinapis mox vesicas excitat. Pondus specificum 1,018 ad 1,025.

Oleum Sinapis, addito spiritu pro qualibet portione, mixta clara praebeat.

Acidi sulfurici centimetro cubico 1 cum Olei Sinapis guttis 4 conquassato, paulatim exsistat liquor plane clarus, odoris expers, qui flavus, ne vero fuscus sit.

Olei Sinapis gramma 1, una cum spiritus grammate 1 et ammoniae grammatis 2 ad caloris gradum fere 50um calefactum, liquorem praebeat clarum, flavum, qui in balneo aquae evaporatus, refrigeratus massam crystallinam, solidam relinquit. Ea non minus quam grammatis 1 sit et, una cum aquae centimetris cubicis 2 calefacta, liquorem praebeat clarum, odoris alliacei, saporis foede amari.

+ Oleum Terebinthinae.

Oleum volatile destillatione per aquam paratum e terebinthina communi, quae est balsamum profluens e stirpibus quas praebent quaedam species generis Pini. Oleum Terebinthinae Americanum, quo nostrates plerumque utuntur, e terebinthina paratum est quam praebent Pinus palustris, Mill. Gard. Dict. ed. VIII. n. 14 et Pinus Taeda, Linn. Sp. Pl. 1000.

Paene aquae instar clarum, coloris fere expers, non fluorescit; odor proprius, aromaticus; sapor amariusculus, acer. Pondus specificum 0,860 ad 0,890. Oleum Terebinthinae in tubo decimetrum 1 longo inclusum radium lucis polarisatae detorquet gradus − 3 ad + 15, plerumque + 10 ad + 14.

Oleum Terebinthinae in spiritus voluminibus 8 solvatur.

Olei Terebinthinae destillati inter caloris gradus 155um et 165um partes non minus quam 9 transeant.

Oleum Terebinthinae depuratum.

Destilla

Olei Terebinthinae partem unam 1

per

Aquae partes sex 6

et paululum lactis calcis, dum olei partes 3 transierint. Oleum collectum aqua adhaerenti libera.

Clarum, coloris expers; odor proprius, aromaticus; sapor amariusculus, acer. Pondus specificum 0,860 ad 0,872.

Oleum Terebinthinae depuratum in acidi acetici concentrati pari volumine solvatur, nec minus in spiritus voluminibus 6, quae soluta chartam exploratoriam caeruleam, madefactam ne reddant rubram.

Oleum Terebinthinae depuratum inter caloris gradus 155um et 165um destillatur.

+ Olibanum.

Gummiresina quam praebent variae species generis Boswelliae, quarum nominanda est Boswellia Carterii, Birdw. in Trans. Linn. Soc. XXVII. (1870) 143.

Sucus lacteus sua sponte e stirpe profluens aut ex incisa stirpe elicitus, aere induratus.

Grana oblongorotunda vel subglobosa, interdum inter se cohaerentia, sicca, fragilia, fractura vitrea, extrinsecus pulverulenta, non nitentia vel subperlucida, albida vel subflava vel subrubra. Calefacta non tota liquescunt et odorem balsamicoresinosum spargunt. Cum masticantur mollescunt. Odor subaromaticus; sapor subacer, subamarus, refrigerans.

Olibani pulveris gramma 1 si cum spiritus centimetris cubicis 20 concoctum erit, pars, quae refrigerata solvi non potest, siccata caloris gradu 100^0, milligrammatum non minus quam 200 neque plus quam 500 sit. Solutio spirituosa, aquae

quantitate vel quadruplici diluta, emulsa alba, odoris aromatici praebet; pars, quae in spiritu non solvitur, in aqua fere tota solvitur in mucilaginem resinosam, turbidam.

Olibanum combustum cineris ne plus quam partes centesimas 3 relinquat.

Opium.

Sucus lacteus incisione paratus e capsulis immaturis quas praebet Papaver somniferum, LINN. Sp. Pl. 508, cultum, aere siccatus.

Massa fusca, extra solida, intra mollior, ceterum aequabilis, cum sicca est fragilis. Opii prostant placentae vel globi vel bacula, depsendo ficta, quae interdum charta, plerumque foliis papaveris involuta sunt et saepe fructibus Rumicis cuiusdam conspersa. Opium persectum corpora aliena ne exhibeat neve loca mucida. Odor proprius, gravis; sapor peramarus.

Opium extracti aquosi, sicci non minus praebeat quam partes centesimas 50; combustum cineris ne plus quam partes centesimas 8 relinquat; aquae ne contineat plus quam partes centesimas 15.

Microscopia. Maximam partem suci lactei exsiccati glebae enormes, granosae, clare fuscoflavae. Paucas partes telae et cellulas adesse licet. Imprimis partes fructus epidermidis exterioris; cellulae enormiter quinquangulae ad sexangulas, admodum pachytichae; anastomata nonnulla. Pollinis grana fere globosa, exino tenui, aequo, poris 3, coloris clarissime flavofusci. Vasorum spiralium fasciculi pauci nec minus partes folii epidermidis. Amylum ne adsit, at fere semper grana nonnulla, plerumque amyli tritici, adsunt; multa adesse omnino non licet.

Ad pulverem Opii parandum Opium, quam maxime

adhaerentibus liberatum, in discos tenues secetur et caloris gradu siccetur non plus quam 60°.

Pulvis Opii flavofuscus est, hygroscopicus; caloris gradu 100° siccatus, ponderis ne plus quam partes centesimas 5 amittat.

Per microscopium spectanti Pulvis Opii ne alterius telae elementa exhibeat nisi quae supra descripta sunt et amylum, additum ut iusta morphini pars insit.

Pulvis Opii morphini partes centesimas 10 contineat, id quod ita statuitur et temperatur: Diligenter misce pulveris Opii grammata 3,3 aquae fere pari quantitate, his adde aquae centimetra cubica 10; omnibus his in cucurbitam siccam noti ponderis immissis adde recens mixtorum hydratis calcici et aquae (1 = 20) centimetra cubica 10 et aquae tantum, ut eorum, quae cucurbita contineat, pondus sit grammatum 35. Frequenter convertens per horas 3 sepone; per filtrum complicatum, siccum, radio centimetrum 4, filtra; filtratorum grammata 20 (= Pulveris Opii grammata 2) cum aetheris centimetris cubicis 10 et chloreti ammonici milligrammatis 200, per horae partem quartam assidue conquassata, per horas 24 sepone. Adde aetheris centimetra cubica 5, liquorem aethereum in filtrum siccum immitte, liquorem aquosum iterum cum aetheris centimetris cubicis 5 converte, quae in idem filtrum immittes. Cum aether transmissus erit, morphini secreti quantum poteris in filtrum collige et cucurbitam filtrumque aqua ablue dum liquoris defluentis gutta 1 phenolphthaleinum non amplius coloret; quod ut fiat, aquae centimetra cubica 15 adhibeantur. Filtrum et quae continet in cucurbitam inmitte et, additis acidi sulfurici decinormalis centimetris cubicis 20, converte dum morphinum solutum sit. Filtra, cucurbitam filtrumque aqua ablue dum liquor defluens non amplius reactionis sit acidae; additis haematoxylini guttis 6, acidi quantitatem excedentem per alcali decinormale retrotitra. Acidi coniuncti centimetra cubica singula morphini milligrammata 28,5 indicant.

Pulvis Opii, quem experimento morphini minus quam partes centesimas 7 aut plus quam 13 continere appareat, in pharmacopolio ne adhibeatur.

Pulvis Opii, qui morphini partes centesimas plus quam 7 at minus quam 13 contineat, admixto alio opio vel addito amylo oryzae ad iustum numerum partium centesimarum 10 redigatur.

A luce remotus per calcem vivam servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 400.

+ Oxydum calcicum.

CaO e marmore paratum.

Frusta alba, superficie aspera, quae, aquae pari pondere conspersa, calefiunt, turgescunt atque in pulverem tenuem dilabuntur, qui in acido hydrochlorico totus solvatur.

Oxydum hydrargyricum flavum.

Mercurius praecipitatus flavus.

HgO flavum, via humida paratum.

Solve calore adhibito

Chloreti hydrargyrici partes duas 2

in

Aquae partibus quadraginta 40

Si opus erit, soluta filtra, filtrata refrigerata, assidue agitans, effunde in mixtas

Solutionis hydratis natrici partes quinque. . . 5

et

Aquae partes quindecim. 15

Praecipitatum, a luce remotum, fac desidat et decantando vel aqua per antliam pneumaticam removenda ablue, dum aqua, qua lavatur, non amplius reactionem chlorii praebeat; quo facto caloris gradu non plus quam 30°, a luce remotum, sicca.

Pulvis flavus, tenuissimus, gravis, qui calefactus prius coloris obscuri fit, deinde hydrargyrum secernens totus evanescit.

Oxydi hydrargyrici flavi milligrammata 250, una cum acidi oxalici (1 = 10) centimetris cubicis 5 per horas 2 in balneo aquae calefacta, in oxalatem album transeunt.

Oxydi hydrargyrici flavi milligrammata 500, in acidi nitrici diluti centimetris cubicis 5 et aquae centimetris cubicis 20 soluta, addito nitrate argentico ne turbentur.

Quae de Oxydi hydrargyrici flavi milligrammatis 500 calefactis supererunt, ponderari nequeant.

A luce remotum servetur.

+ Oxydum hydrargyricum rubrum.

Mercurius praecipitatus ruber.

HgO rubrum via sicca paratum, contritum, levigatum.

Pulvis ruber non nitidus, tenuissimus, gravis, qui calefactus prius coloris obscuri fit, deinde hydrargyrum secernens totus evanescit.

Mixtis Oxydi hydrargyrici rubri grammati 1, aquae centimetris cubicis 2, acidi sulfurici centimetris cubicis 2 prudenter superimpositis sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetris cubicis 3, stratum confine colorem nullum trahat.

Oxydi hydrargyrici rubri milligrammatis 500 calefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

A luce remotum servetur.

Oxydum magnesicum.

Magnesia usta.

MgO.

Pulvis albus, tenuis, aequalis, levissimus. Oxydum magnesicum in aqua fere non solvitur; addito acido nitrico diluto, liquorem praebet clarum, coloris expertem, in quo per ammoniam alcalino facto, addito phosphate natrico, praecipitatum album, crystallinum deponitur.

Aquae centimetrum cubicorum 25 cum Oxydi magnesici grammate 1 per horae partem tricesimam concoctorum filtrata addito oxalate ammonico intra horae partem duodecimam ne turbentur; filtratorum centimetra cubica 10, per phenolphthaleini guttam 1 rubra facta, addita acidi normalis gutta 1, colorem amittant; filtratorum centimetris cubicis 5 evaporatis, massae solidae ne plus quam milligramma 1 supersit. Oxydum magnesicum cum aqua concoctum in acido acetico non vel tantum parum effervescens solvatur; liquor ita paratus, aqua ad centimetra cubica 50 dilutus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet neve, deinde, ut reactionis fiat alcalinae, addita ammonia statim obscuretur; additis acidi nitrici guttis nonnullis, si nitras baryticus vel nitras argenticus admixtus erit, per horae partem non minus quam duodecimam clarus sit.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Oxydi magnesici gramma 1, in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 solutum, chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

+ Oxydum plumbicum semivitreum.

Lithargyrum.

PbO.

Pulvis gravis, ex aurantiaco ruber vel squamae flavorubrae, nitidae, coloris et saporis expertes. Oxydum plumbicum semivitreum in aqua fere non solvitur, sed chartam exploratoriam rubram, madefactam colore subcaeruleo inficit. Oxydum plumbicum semivitreum calefactum colorem trahit fuscorubrum, qui oxydo refrigescente in flavum transit; magno calore liquescit.

Oxydum plumbicum semivitreum in acido nitrico diluto, vapores nitrosos (*plumbum metallicum*) non emittens, fere non effervescens solvitur aut totum aut paululum relinquens materiae fuscae, quae, addito acido oxalico, statim evanescit (*peroxydum plumbicum*).

Ita solutum, additis acetatis natrici quantitate excedenti et bichromate kalico, praecipitatum flavum deponit, quod in solutione hydratis natrici facile solvitur; addito acido sulfurico, praecipitatum deponit album, quod in acetate ammonico facile solvitur.

Oxydi plumbici semivitrei grammate 1 cum acidi acetici diluti centimetris cubicis 25 concocto, pars, quae solvi nequeat, ne sit plus quam milligrammatum 15. Haec soluta, addito ferrocyaneto kalico, praecipitatum pure album (*ferrum, cuprum*) deponunt. Quorum solutorum centimetris cubicis 15 si acidum hydrochloricum additum erit dum praecipitatum non amplius exsistat, e liquore filtrato plumbo relicto per acidum hydrosulfuricum remoto, si denuo filtratum erit, filtrata, addita ammonia, speciem ne mutent neve, iis, quae de evaporatis supererunt, candefactis, quicquam relinquant, quod ponderari queat.

Oxydum plumbicum semivitreum candefactum ponderis ne plus amittat quam partem centesimam 1,5.

Oxydum zincicum.

Flores Zinci.

ZnO.

Pulvis albus vel e subflavo albus, mollissimus, qui calefactus flavescit, quem colorem refrigescens amittit. In aqua non solvitur; addito acido nitrico diluto, liquorem praebet clarum, coloris expertem.

Aquae centimetrum cubicorum 25 cum Oxydi zincici grammate 1 per horae partem tricesimam concoctorum filtrata colorem chartae exploratoriae ne mutent neve addito nitrate barytico neve nitrate argentico opalescant; filtratorum centimetris cubicis 5 evaporatis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Oxydum zincicum cum aqua concoctum in acido hydrochlorico diluto non vel tantum parum effervescens solvatur neve acidum hydrosulfuricum emittat. Liquor ita paratus, aqua ad centimetra cubica 25 dilutus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet. Ammoniae tanta quantitate mixtus, ut praecipitatum prius ortum solutum sit, addito carbonate ammonico vel phosphate natrico ne turbetur; liquor ammoniacalis, addito acido hydrosulfurico, praecipitatum pure album deponat. E solutorum, per ammoniam reactionis alcalinae factorum, centimetris cubicis 5 zinco per acidum hydrosulfuricum remoto, iis, quae de liquore filtrato atque evaporato relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Oxydi zincici gramma 1 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 solutum chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

+ Oxymel Scillae.

Misce

Aceti Scillae partes quinquaginta 50
Mellis depurati partibus viginti quinque . . 25

In his solve

Sacchari partes viginti quinque 25

frequenter conquassans, nullo calore adhibito; si opus erit cola.

Liquor sirupi instar, clare flavus.

+ Oxymel simplex.

Misce

Acidi acetici partes quinque 5
Mellis depurati partibus nonaginta quinque 95

Liquor sirupi instar, coloris clari.

+ Paraffinum liquidum.

Carbonii hydrogenati varia genera liquida mixta, e petroleo crudo parata.

Liquor coloris et odoris expers, perlucidus, non fluorescens, oleaceus.

Pondus specificum ne sit minus quam 0,860. Ebullit caloris gradu non minus quam 300°.

Ceterum Paraffinum liquidum satisfaciat isdem puritatis legibus, quibus Paraffinum solidum.

+ Paraffinum solidum.

Carbonii hydrogenati varia genera solida mixta, e petroleo crudo parata.

Frusta alba, odoris expertia, microcrystallina. Caloris gradu 56° ad 60um liquescunt. Pondus specificum 0,916 ad 0,920.

Paraffino solido cum spiritus pondere duplici concocto, liquor spirituosus refrigeratus colorem chartae exploratoriae, madefactae ne mutet.

Paraffino solido cum pari quantitate mixtarum aquae partis 1 et acidi sulfurici partium 4 in balneo aquae per horae partem duodecimam, cum Paraffinum liquefactum erit, calefacto, acidum colorem ne trahat.

+ Pasta Cacao.

Massa parata calefaciendis et molendis seminibus tostis et degluptis, quae praebet Theobroma Cacao, LINN. Sp. Pl. 782.

Frusta extra clare fusca, subnitida, fractura coloris clarioris, non nitida, saporis proprii, amari, puri, in lingua liquescentia, non granosa nec aspera nec arenosa.

Pasta Cacao frigida fragilis est, in balneo aquae mollescat et sensim liquescat in massam aequabilem, clare fuscam, odoris proprii, spissiorem.

Pasta Cacao aetheri pinguedinis partes centesimas ne minus quam 45 neve plus quam 60 cedat. Quae pinguedo isdem postulatis satisfaciat, quibus Oleum Cacao.

Pasta Cacao combusta cineris ne plus quam partes centesimas 5 relinquat.

Pulvis Pastae Cacao, per aethera pinguedine liberatus, per microscopium spectanti ne exhibeat amylum alienum et tantum vestigia telae testarum.

+ Pasta Zinci oleosa.

Misce

Oxydi zincici partes sexaginta 60
Olei Sesami partibus quadraginta 40

Mixta alba, unguinosa.

Ex tempore paranda.

+ Pasta Zinci salicylata.

Pasta Zinci.

Misce

Acidi salicylici contriti partes duas 2
Oxydi zincici partibus viginti quinque . . . 25
Amyli Tritici partibus viginti quinque . . . 25
Vaselini flavi partibus duodequinquaginta . 48

Massa aequalis, alba, rigida, unguinosa.

Pastillae Chloreti hydrargyrici.

Misce

Pigmenti Anilini huic proposito idonei,[1]) grammata duo . . . . . 2 G.
Solutionis Chloreti natrici saturatae grammatis nonaginta octo . . . . . 98 G.
Chloreti hydrargyrici grammatis mille . . 1000 G.
Chloreti natrici grammatis quadringentis 400 G.

E mixtis para pastillas mille (1000).

Pastilla Chloreti hydrargyrici una, additis aquae centimetris cubicis mille, liquorem praebeat caeruleum, clarum, e quo, ne seposito quidem, sedimentum caeruleum deponatur.

---

[1]) Idoneum est: Caeruleum e tribu Cyanoli No. 25602 quod praebet „die Badische Anilin- und Sodafabrik."

+ Pastillae Saccharini.

Misce

Pulveris Saccharini gramma unum . . . . 1 G.

Pulveris Bicarbonatis natrici grammate uno cum dimidio . . . . . 1,5 G.

et

Manniti grammatis septem cum dimidio. 7,5 G.

Mixta nonnullis alcoholis absoluti guttis madefac; inde para pastillas centum (100).

+ Pepsinum.

Enzyma paratum e membranis mucosis stomachorum porcorum vel ovium vel vitulorum, plerumque saccharo lactis mixtum.

Pulvis tenuis, subflavidus vel subgriseus, hygroscopicus, odoris fere expers, saporis subdulcis, deinde amari.

Pepsinum, additis aquae partibus 100, liquorem praebet leviter turbidum, reactionis neutrius aut levissime acidae, qui, additis acidi hydrochlorici guttis nonnullis, clarior fit.

Albuminis ovi gallinacei recentis grammata 15, aquae centimetris cubicis 150 diluta, per horae partem quartam, frequenter quassata, in aqua ebullienti calefacta, deinde, cum refrixerint ad caloris gradum 45um, Pepsini milligrammatis 100 et acidi hydrochlorici grammatis 2,5 mixta, si per horam unam caloris gradu 45^{0} calefacta erunt, clara facta sint.

A luce remotum, per calcem vivam servetur.

Permanganas kalicus.

$KMnO_4$.

Crystalla coloris obscure violacei, nitida, rhombea. Permanganas kalicus in aquae partibus 18,8 solvitur.

Spiritus centimetrum cubicorum 2 et aquae centimetrum cubicorum 25 mixtorum cum permanganatis kalici milligrammatis 500 concoctorum filtratorum coloris expertium centimetra cubica 5, additis acidi tartarici milligrammatis 500, praecipitatum album, crystallinum deponunt.

Quorum filtratorum centimetra cubica 5 si diphenylamini milligrammatis 5 in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 nullo colore solutis imposita erunt, stratum confine caeruleum ne fiat (*nitrates* et *chlorates*). Per acidum nitricum acidi facti liquoris alia pars ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico statim turbetur.

Permanganatis kalici milligrammata 100 in aquae centimetris cubicis 50 soluta, additis solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetris cubicis 10 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10, ut decolorentur thiosulfatis natrici decinormalis centimetra cubica non minus quam 30,9 requirant.

+ Petala Rhoeados.

Petala quae fert Papaver Rhoeas, Linn. Sp. Pl. 507.

Non longiora quam centimetra 5 nec latiora quam centimetra 9; unguis nullus; lamina transverse oblonga, saepe basi plus minusve incisa, itaque reniformis; margo integer; cum recentia sunt coccinea, plerumque macula centrali purpureonigricanti formae variae, siccata sordide purpurea, tenuia, admodum corrugata, saepe inter se cohaerentia.

Petalorum recentium odor subnarcoticus, siccatorum fere nullus; sapor submucilaginosus, subamarus.

+ Petala Rosae.

Petala quae fert Rosa gallica, LINN. Sp. Pl. 492, collecta e floribus duplicibus antequam se plane explicaverunt.

Centimetra ad 3,5 longa; unguis parvus; cum petala recentia sunt, maximam partem alba, siccata flava; lamina obovata vel fere orbicularis, plerumque apice quodammodo inciso; margo integer; obscure rubra, holoserici instar, plus minusve corrugata.

Odor gratus; sapor subadstringens, subamarus.

+ Phenacetinum.

$C_6H_4.NH(C_2H_3O).OC_2H_5.1,4.$

Crystalla foliacea coloris et odoris expertia, nitida, caloris gradu 134° ad 135um liquescentia, quae calore aucto tota comburuntur. Phenacetinum in aquae partibus 1800 et in spiritus partibus 25 solvitur. Ita solutum neutrius reactionis est.

Si Phenacetinum cum acido nitrico conquassatur, acidum colorem aurantiacum, Phenacetinum flavum trahit.

Phenacetini milligrammatum 200 cum acidi hydrochlorici centimetris cubicis 2 per horae partem sexagesimam 1 concoctorum, deinde aquae centimetris cubicis 30 dilutorum, tum refrigeratorum filtrata, additis acidi chromici (3=100) guttis 6, paulatim colorem rubrum quasi carbunculi trahunt.

Phenacetini milligrammatis 100 una cum acidi sulfurici centimetro cubico 1 prudenter calefactis dum liquor subfuscus factus sit, et, cum refrixerint, aquae centimetris cubicis 2 mixtis, exsistit acetas aethylicus.

Phenacetini milligrammatum 100, in aquae ebullientis

centimetris cubicis 10 solutorum, deinde refrigeratorum filtrata, per aquam bromatam conspicue flava reddita, clara sint (*acetanilidum*).

Phenacetini milligrammata 10 in acidi sulfurici centimetro cubico 1 soluta, vel addita aquae gutta 1, coloris expertia sint.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2.

Phenolum.

Acidum carbolicum.

C_6H_5OH.

Crystalla coloris expertia, perlucida, non cohaerentia, odoris proprii, quae, in balneo aquae calefacta, liquescunt, deinde tota evanescunt. Caloris gradu 40^0 ad 42um liquescunt, 181^0 ad 182um ebulliunt. Phenolum in aquae partibus 12,5, in spiritus partibus 0,15, in glycerini partibus 0,33, in olei olivarum partibus 2 solvitur nec minus facile in solutione hydratis natrici.

Phenolum in aqua (1 = 100) solutum, addito aquae bromatae pari volumine, praecipitatum deponit album; quorum solutorum centimetra cubica 10, addita chloreti ferrici gutta 1, colorem trahunt e violaceo caeruleum, qui, addita acidi lactici vel minima quantitate, in flavum transit.

Phenoli pars 1, additis aquae partibus 13, liquorem praebeat clarum, qui chartam exploratoriam caeruleam colore aut nullo aut tantum subrubro inficiat.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 300.

Phenolum liquefactum.

Misce

Phenoli ante liquefacti partes centum . . . 100

Aquae partibus viginti 20

Liquor clarus, coloris expers, sensim quodammodo colorem trahens, qui caloris gradu 5^0 liquere non desistit. Pondus specificum 1,063 ad 1,065.

Phenoli liquefacti pars 1, additis aquae partibus 10,3, liquorem praebeat clarum, qui chartam exploratoriam caeruleam colore nullo aut tantum subrubro inficiat.

A luce remotum servetur.

+ Phosphas calcicus.

$CaHPO_4.2H_2O$.

Paulatim adde mixtis

Acidi hydrochlorici partibus quinquaginta . 50

et

Aquae partibus quinquaginta 50

Oxydi calcici partes decem 10

aquae quantitate duplici ante exstincti.

Quem liquorem reactionis alcalinae misce aquae chloratae tanta quantitate ut chlorium manifesto redoleat, quo facto calface dum ebulliat atque filtra. Filtratis ad caloris gradum 25um refrigeratis agitans adde

Phosphatis natrici partes sexaginta unam . . 61

solutas in

Aquae partibus trecentis 300

Praecipitatum in pannum collectum tam diu aqua ablue ut liquoris defluentis centimetra cubica 5, per acidi nitrici guttam 1 acida facta, addito nitrate argentico tantum leviter turbentur. Exprime, sicca caloris gradu non plus quam 35^0, in pulverem redige.

Pulvis albus, tenuis, levis, microcrystallinus, odoris et

saporis expers, qui aquae fere nihil cedit et, addito acido hydrochlorico diluto vel acido nitrico diluto, non effervescens, liquorem praebet clarum, coloris expertem.

Phosphas calcicus una cum acido acetico calefactus, addito oxalate ammonico, praecipitatum album deponit.

Phosphas calcicus, nitrate argentico madefactus, mixta praebet flava, quae chartam exploratoriam caeruleam reddunt rubram.

Phosphas calcicus, sulfohydrate ammonico madefactus, ne obscuretur.

Phosphas calcicus per acidum nitricum dilutum in aqua (1 = 40) solutus, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, clarus sit per horae partem non minus quam sexagesimam 1.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Phosphatis calcici gramma 1 in acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10 solutum chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Phosphas calcicus candefactus ponderis amittat partes centesimas 25,0 ad 26,5; quae supererunt, pure alba sint.

+ Phosphas natricus.

$Na_2HPO_4.12H_2O$.

Prismata coloris expertia, perlucida, monoclinia; aere facile fatiscunt, quo facto perlucida esse desinunt, calore aquam exsudantia liquescunt. Phosphas natricus in aquae partibus 7 solvitur, in spiritu non solvitur.

Phosphas natricus flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit. In aqua (1 = 20) solutus reactionis leviter alcalinae est; addito nitrate argentico, praecipitatum flavum deponit, simul liquor reactionis acidae fit. Praecipitatum flavum, liquore calefacto, fuscum ne fiat, in acido nitrico et in ammonia solvatur.

Phosphatis natrici gramma 1, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 10, liquorem clarum praebeat.

Phosphas natricus in aqua (1 = 20) solutus, addito acido nitrico, ne effervescat. Soluta ita acida facta, addito nitrate argentico vel nitrate barytico, per horae partem non minus quam vicesimam clara sint; per ammoniam alcalina facta, ne sulfohydrate ammonico quidem addito, speciem mutent.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in soluta Phosphatis natrici grammata 2 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

+ Phosphorus.

P.

Bacilla pallide flava, nitida, plus minusve perlucida, quorum superficies plerumque strato albo, non nitido tecta est.

Phosphorus, aeri expositus, in tenebris lucet, nebulas emittens albas, odoris proprii; sub aqua calefactus caloris gradu 44° liquescit, facile exardescit, nebulas spargens albas, reactionis acidae.

Phosphorus in aqua fere non solvitur, parum in spiritu, paulo magis in aethere, facile in sulfido carbonico; in oleis quoque pinguibus et volatilibus, praesertim calefactum, solvitur.

Phosphorus loco frigido, a luce remotus, sub aqua servetur in lagena, tubo aeneo circumdata.

Doses maximae singulae milligrammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 3.

+ Pilulae Blaudi.

Misce

Pulveris Carbonatis kalici grammata sexaginta quinque . . . . . 65 G.
Pulveris Sacchari grammatis decem . . . . 10 G.
Pulveris Tragacanthae grammatis quattuor 4 G.
Oxydi magnesici grammatis decem . . . . 10 G.
Glycerini grammatis quadraginta . . . . 40 G.

His adde

Sulfatis ferrosi exsiccati grammata octoginta 80 G.

E massa ita parata fac pilulas mille (1000); has lycopodio involve vel argento foliato obduc. Singulae pilulae elementa carbonatis ferrosi milligrammatum 50 contineant.

Pilulae Blaudi persectae superficies clare viridis sit.

+ Pilulae Iodeti ferrosi.

Pilulae Blancardi.

Misce

Ferri pulverati grammata viginti . . . . . 20 G.
Aquae grammatis sedecim . . . . . 16 G.

His assidue agitans paulatim adde

Iodii grammata quadraginta unum . . . 41 G.

His tum admisce

Pulveris Sacchari Lactis grammata duodecim. . . . . 12 G.
Pulveris Succi Liquiritiae grammata quadraginta quattuor. . . . . 44 G.
Pulveris Radicis Liquiritiae grammata duodequinquaginta . . . . . 48 G

E massa ita parata fac pilulas mille (1000); has exiguo talco veneto involve; ubi satis duruerint cum Balsamo tolutano in chloroformo soluto (1 = 10) conquassa, ut balsami strato tenui aequaliter obducantur; deinde sicca.

Singulae pilulae iodeti ferrosi milligrammata 50 contineant.

+ Pilulae laxantes.

Misce

Extracti Aloes in pulverem redacti grammata viginti . . . . . 20 G.
Saponis medicati grammatis sexaginta . . 60 G.

et

Pulveris Radicis Rhei grammatis sexaginta 60 G.

E mixtis per glycerinum aqua dilutum (1 = 3) para massam pilularem, quam divides in pilulas mille (1000); has lycopodio involve vel argento foliato obduc.

+ Pilulae Sulfatis Chinini.

Misce

Sulfatis Chinini grammata quinquaginta 50 G.
Pulveris gummosi grammatis viginti quinque 25 G.

E mixtis per sirupum simplicem para massam pilularem, quam divides in pilulas mille (1000); has talco veneto involve vel argento foliato obduc.

+ Pix liquida.

Pix liquida destillatione sicca parata e stirpibus et radicibus quas praebent Abietinearum species quaedam resinosae.

Liquor spissior, lentus, fusconiger, cuius strata tenuia

perlucida et clare fusca sunt, saepe secretis granose crystallinis. Odor proprie empyreumaticus; sapor amarus, acer, urens. Pondus specificum plus quam 1.

Pix liquida colore fuscoflavo, non fluorescens, in alcohole absoluto totus, in oleo terebinthinae magnam partem solvatur.

Picis liquidae pars 1, cum aquae partibus 20 modo in Aqua Picis indicato conquassata, coloris sit flavi ad fuscoflavum, odoris et saporis Picis liquidae, reactionis manifesto acidae. Aquae pari volumine diluta, addito chloreto ferrico, colorem trahat obscure viridifuscum, addito solutionis hydratis calcici pari volumine, liquorem praebeat fuscum.

+ Pix Lithanthracis.

Pix liquida destillatione sicca e lithanthrace parata in conficiendo gaz ad collustrandum destinatum.

Liquor spissior, lentus, niger, non perlucidus ne tenue quidem in stratum extentus. Odor proprius. Pondus specificum 1,150 ad 1,250.

Aquae partium 20 cum Picis Lithanthracis parte 1 conquassatarum filtrata coloris expertia sint et reactionis alcalinae; addita aqua bromata colore albo turbentur.

Pix Lithanthracis tantum partim solvatur in spiritu; liquor spirituosus clare fuscus est et colore viridi admodum fluorescit.

Benzoli centimetra cubica 14 si cum Picis Lithanthracis grammate 1,5 conquassata et post horas 24 filtrata erunt, ea, quae de filtratorum centimetris cubicis 10 evaporatis relicta erunt, caloris gradu 105^0 siccata, solida sint nec minus quam milligrammatum 500; in filtro carbonis non nihil relinquitur.

Pix Lithanthracis flamma permultum fuliginis praebente comburitur, aucto calore fere nihil relinquat.

Ad usum pharmaceuticum Pix Lithanthracis per horas 3 caloris gradu 50° seposita, aqua, si qua secreta erit, remota, residuo retento, coletur.

+ Pix solida.

Materies quae e Pice liquida diu destillata vel evaporata superest.

Massa resinosa, nigra, cum frigida est fragilis, fractura nitida, ramentis perfuscis; digitis depsi potest, quo facto atra fit.

Pix solida picem liquidam quodammodo redolet, saporis est propemodum expers.

Pix solida in acetono facile solvitur; cum benzolo conquassata tantum parum solvatur; liquor ita paratus ne fluorescat.

+ Potio Riveri.

Solve

Acidi citrici partes quinque. 5

in

Aquae partibus quinquaginta. 50

His adde

Spiritus Citri partes quinque. 5

et

Sirupi simplicis partes viginti quinque. . . . 25

Liquorem ita paratum lente affunde solutis

Bicarbonatis natrici partibus sex 6

in

Aquae partibus centum decem 110

Cura ut acidi carbonici quam plurimum solvatur.

+ Pruna.

Fructus maturi quos fert Prunus domestica, LINN. Sp. Pl. 475, a plantis cultis collecti.

Drupa centimetra ad 4 longa, oblongorotunda; superficies rugosa, violaceonigra, pruinosa, interdum saccharo crystallisato obsita; sarcocarpium fuscum. Pyrena centimetra ad 2,5 longa, oblongoovalis, paulum compressa, in utraque extremitate quodammodo acuta; per longitudinem sulci in marginibus; clare fusca. Semen formae amygdalarum, clare fuscum.

Odor proprie subamarus; sapor acide dulcis.

+ Pulpa Tamarindorum cruda.

Pulpa parata e leguminibus, mixtis seminibus non ita multis, quae praebet Tamarindus indica, LINN. Sp. Pl. 34.

Massa lenta, lutea, nigra, in qua elementa fibrosa et membranacea adsunt. Singula semina circumdata sunt membrana lenta, perlucida, clare fusca; ad centimetrum 1,7 longa, lata ad 1,1, crassa ad millimetra 8; paulum compressa, forma diversa, enormiter ovalia vel ovata vel quadrangula ad quinquangula, in margine obtuso plus minusve sulcata. Spermodermis crassitudine millimetri dimidiae partis (0,5), durissima, nitide obscure badia, intra clare fusca; in utraque parte magis compressa, at arcuata area expressa, enormiter ovalis, magnitudine trium partium seminis, praedita striis tenuibus, transversis; extra quam, quoque in seminis margine, crebra loca depressa tenuissima, densa, non alta. Hilus est macula parva, obscura in margine. Chalaza fere in

marginis parte contraria, altera macula parva, obscura, plerumque paululo magis eminens. Raphe non facile conspicua. Nucleus albuminis expers. Embryo, spermodermidi firmiter affixus, totum semen complet. Radicula conica cotyledonibus tota circumdata est; cotyledones crassae, planoglobosae, durae, corneae, albae; plumula parvis foliis caulinis primariis 2, conspicue pinnatilobatis.

Odor empyreumatice acide dulcis; sapor subdulciter acidus.

Pulpae Tamarindorum crudae grammata 20 si aquae centimetris cubicis 90 trita et post horam 1 filtrata erunt, filtratorum centimetra cubica 10, ut neutrius reactionis sint, solutionis hydratis kalici normalis non minus quam centimetra cubica 3 requirant. Quorum filtratorum centimetris cubicis 30 evaporatis, eorum, quae supererunt, caloris gradu 105^0 siccatorum pondus non minus sit quam grammatis 1,8.

Pulpae Tamarindorum crudae grammata 10, caloris gradu 105^0 siccata, ne plus quam grammata 3,2 pondere deminuantur, combusta cineris grammatis ne plus quam quintas duas (0,4) relinquant. Qui cinis in acido hydrochlorico diluto solutus atque filtratus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet, ne acetatis natrici quantitate excedenti quidem insuper addita.

Pulveres.

In pulveribus parandis elementa in partes maiores dividantur, deinde caloris gradu non plus quam 50^0 siccentur, siccata molendo vel contundendo vel conterendo in partes tam tenues distribuantur ut tota vel fere tota per cribrum praescriptum transmitti possint. Elementa partes volatiles continentia caloris gradu non plus quam 40^0, at potius per calcem vivam siccentur.

Pulvis ita paratus misceatur, deinde paulisper calore indicato siccetur et, ubi refrixerit, in vasa bene obturata immittatur.

Subtilitas pulverum temperatur cribris, quae ita distinguuntur:

A. cribra ad pulveres grossiores parandos.

Cribra membranea foraminibus rotundis diametro millimetri 1,5, 3, 5.

Pulveres per haec cribra parati inscribuntur pulvis grossus $A_{1,5}$, A_3, A_5.

B. cribra ad pulveres tenuiores parandos.

Cribra e tela serica foraminibus quadratis, quorum dena (10), vicena (20), tricena (30), quadragena (40), quinquagena (50) in centimetris singulis.

Pulveres per haec cribra parati inscribuntur pulvis B_{10}, B_{20}, B_{30}, B_{40}, B_{50}.

Ubi subtilitas pulverum, qui littera B indicantur, non praescripta erit, intellegenda est ea, quae infra scripta est:

Acidi borici	B_{50}
Acidi tartarici	B_{30}
Ammoniaci	B_{10}
Asae foetidae	B_{10}
Cantharidum	B_{30}
Carbonis Ligni	B_{50}
Catechu	B_{40}
*Corticis Chinae	B_{40}
*Corticis Cinnamomi	B_{40}
*Corticis Fructus Aurantii	B_{30}
*Corticis Radicis Ipecacuanhae	B_{50}
*Corticis Rhamni Purshianae	B_{40}
*Cubebarum	B_{20}
*Florum Cinae	B_{30}
*Foliorum Belladonnae	B_{40}

*Foliorum Sennae	B_{40}
*Fructuum Anisi	B_{20}
*Fructuum Foeniculi	B_{20}
Galbani	B_{10}
Gummi arabici	B_{40}
Lactucarii.	B_{40}
Marmoris albi.	B_{10}
*Opii	B_{40}
*Petalorum Rosae	B_{30}
Radicis Althaeae.	B_{40}
Radicis Gentianae	B_{40}
*Radicis Helenii	B_{40}
Radicis Ialapae	B_{40}
Radicis Liquiritiae	B_{40}
*Radicis Rhei	B_{40}
*Radicis Valerianae	B_{40}
*Rhizomatis Calami.	B_{40}
*Rhizomatis Zingiberi.	B_{40}
Sacchari	B_{40}
Sacchari Lactis	B_{40}
Salum	B_{30}
Saponis medicati	B_{30}
*Seminis Cardamomi	B_{40}
Seminis Strychni.	B_{40}
Suci Liquiritiae	B_{40}
Tragacanthae	B_{40}
Tuberum Saleb	B_{40}

Pulveres parati ex elementis * notatis a luce remoti serventur.

+ Pulvis Acidi salicylici cum Talco.

Commisce

Acidi salicylici in pulverem redacti partes tres 3
Amyli Oryzae partes decem. 10
Talci veneti partes octoginta septem. 87

Pulvis tenuissimus, albus.

Pulvis aerophorus.

Commisce

Pulveris Bicarbonatis natrici partes triginta. . 30
Pulveris Acidi tartarici siccati partes triginta . 30
Pulveris Sacchari siccati partes quadraginta . 40

Pulvis albus, qui vehementer effervescens in aqua celeriter solvatur.

Per calcem vivam servandus.

+ Pulvis antacidus.

Misce

Carbonatis calcici partes sexaginta quinque . 65
Carbonatis magnesici partibus triginta quinque 35

Pulvis albus qui, additis acidis, vehementer effervescit.

+ Pulvis aromaticus.

Commisce

Pulveris Seminis Cardamomi partem unam . . . 1
Pulveris Rhizomatis Zingiberis partem unam . . 1
Pulveris Corticis Cinnamomi partem unam . . . 1

Pulvis fuscus, odoris et saporis valde aromatici.

Pulvis aromaticus combustus cineris ne plus quam partes centesimas 8 relinquat.

A luce remotus servetur.

+ Pulvis gummosus.

Commisce

Pulveris Gummi arabici partem unam 1
Pulveris Tragacanthae partem unam. 1
Pulveris Sacchari partem unam 1

Pulvis albus, odoris expers.

Pulvis gummosus combustus cineris ne plus quam partes centesimas 2,5 relinquat.

Pulvis Liquiritiae compositus.

Commisce

Pulveris Foliorum Sennae partes quindecim . . 15
Pulveris Radicis Liquiritiae partes quindecim. 15
Pulveris Fructuum Foeniculi partes decem . . . 10
Sulfuris depurati partes decem 10
Pulveris Sacchari partes quinquaginta. . . . 50

Pulvis flavoviridis, siccus.

Pulvis Liquiritiae compositus combustus cineris ne plus quam partes centesimas 4 relinquat.

A luce remotus servetur.

Pulvis Opii compositus. F. I.

Pulvis Doveri.

Commisce

Pulveris Opii partes decem 10
Pulveris Corticis Radicis Ipecacuanhae partes decem. 10
Pulveris Sulfatis kalici partes octoginta . . . 80

Pulvis e flavo griseus.

Pulvis contineat morphini partem centesimam 1; quantum insit, ita statuitur: Macera per horas 12, frequenter conquassans, Pulveris Opii compositi grammata 20 per spiritus diluti centimetra cubica 100. Liquoris, cum desederit, filtrati centimetra cubica 80 in balneo aquae evapora ad grammata 10, quibus in cucurbitam siccam noti ponderis immissis adde hydratis calcici milligrammata 250 et aquae tantum, ut eorum, quae cucurbita contineat, pondus sit grammatum 16,25. Frequenter convertens per horas 3 sepone; filtra et filtratorum grammata 10 (= Pulveris Opii compositi grammata 10) cum aetheris centimetris cubicis 5 et chloreti ammonici milligrammatis 100 per horae partem quartam assidue conquassata, per horas 24 sepone. Adde aetheris centimetra cubica 2,5; liquorem aethereum in filtrum siccum immitte; liquorem aquosum iterum cum aetheris centimetris cubicis 2,5 converte, quae in idem filtrum immittes. Cum aether transmissus erit, morphini secreti quantum poteris in filtrum collige et cucurbitam filtrumque aqua ablue dum liquoris defluentis gutta 1 phenolphthaleinum non amplius coloret; quod ut fiat, aquae centimetra cubica 7,5 adhiberi licet. Filtrum et quae continet in cucurbitam immitte et, additis acidi sulfurici decinormalis centimetris cubicis 10, converte dum morphinum solutum sit. Filtra; cucurbitam filtrumque aqua ablue dum liquor defluens non amplius reactionis sit acidae; additis haematoxylini guttis 3, acidi quantitatem excedentem per alcali

decinormale retrotitra. Quod ut fiat, centimetra cubica 6,5 ad 6,6 requirantur. Acidi coniuncti centimetra cubica singula morphini milligrammata 28,5 indicant.

Pulvis Opii compositus per calcem vivam a luce remotus servetur.

+ Pyrogallolum.

$C_6H_3(OH)_3$ 1, 2, 3.

Lamellae vel acus coloris fere expertes, nitidae, saporis amari. Caloris gradu 132^0 ad 133um liquescunt, 311^0 ad 312um ebulliunt. In aqua, in spiritu, in aethere Pyrogallolum facillime solvitur.

Pyrogallolum in aqua (1 = 20) solutum neutrius est reactionis, coloris expers aut subfuscus; aere lente, addito alcali, statim fuscum fit. Soluta, addito chloreto ferrico, colorem trahunt fuscorubrum, qui, addita ammonia, in obscure violaceum transit; addito nitrate argentico, argentum secernentia, statim obscura fiunt.

Pyrogallolum combustum nihil relinquat.

A luce remotum servetur.

+ Pyrophosphas ferricus cum Citrate ammonico.

Solve

Pyrophosphatis natrici partes quinquaginta quattuor 54

in

Aquae partibus octingentis 800

Soluta agitans effunde in commixtas

Solutionis Chloreti ferrici partes sexaginta . . 60

et

Aquae partes sescentas 600

Praecipitatum in pannum collectum aqua elue dum liquor defluens, addito nitrate argentico, vix opalescat. Leni calore solve in liquore parato

Acidi citrici partes viginti 20

in

Aquae partibus quadraginta 40

solutas miscendo

Ammoniae liquidae partibus quinquaginta . . 50

Liquorem, quem si opus erit filtraveris, in balneo aquae evapora dum supersint

partes centum viginti. 120

Soluta, in strata tenuia in laminis vitreis extenta, sicca caloris gradu non plus quam 50°.

Lamellae flavovirides, perlucidae.

Pyrophosphas ferricus cum Citrate ammonico in aqua (1 = 10) solutus chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram; addita ammonia obscuratur nec tamen praecipitatur; addito ferrocyaneto kalico, caeruleus fit; addito insuper acido hydrochlorico, praecipitatum caeruleum deponitur. Pyrophosphatis ferrici cum Citrate ammonico milligrammata 200 si cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 20 concoquuntur, gaz ammoniae emittentia, praecipitatum ex aurantiaco fuscum deponunt; liquoris filtrati centimetris cubicis 5, per acidum sulfuricum acidis factis, cum sulfatis hydrargyrici centimetra cubica 2 addita erunt, mixtis dum ebulliant calefactis, addito permanganate kalico (1 = 1000) praecipitatum album deponetur; filtratorum centimetra cubica 5 si per acidum nitricum neutrius reactionis facta erunt, addito nitrate argentico praecipitatum album deponetur, quod addito acido nitrico solvatur, dum tantum leviter opalescit.

Filtratorum centimetra cubica 5 si per acidum aceticum acida facta erunt, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutent.

Pyrophosphas ferricus cum Citrate ammonico ferri partes centesimas 13,5 ad 14 contineat, id quod ita statuitur: Salis gramma 1, calore adhibito, solve in acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10, solutis refrigeratis adde aquae centimetra cubica 30 et iodeti kalici grammata 2; post horam 1 titra per thiosulfatem natricum decinormalem; cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica 24,1 ad 25,0 requirantur.

A luce remotus servetur.

+ Pyrophosphas natricus.

$Na_4P_2O_7.10H_2O$.

Prismata coloris expertia, perlucida, monoclinia; aere non fatiscunt, calore aquam exsudantia liquescunt. Pyrophosphas natricus in aquae partibus 12,3 solvitur, in spiritu non solvitur.

Pyrophosphas natricus flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit. In aqua (1 = 20) solutus reactionis leviter alcalinae est; addito nitrate argentico, praecipitatum album deponit; simul liquor neutrius reactionis fiat (*phosphas*). Praecipitatum in acido nitrico et in ammonia solvatur.

Ceterum Pyrophosphas natricus isdem puritatis legibus satisfaciat, quibus Phosphas natricus.

Radix Althaeae.

Radices adventiciae annotinae vel bimae vel radix primaria annotina quas praebet Althaea officinalis, Linn. Sp. Pl. ed. I. 686, simul ac arbor effossa est, ramulis, fibrillis, strato exteriore corticis exutae.

Cylindricae vel subconicae, in basi nonnunquam quodammodo crassiores, centimetra 10 ad 20 longae, crassae centimetra ad 2,5, rectae vel leviter flexae, quodammodo angulosae utpote degluptae, sulcis non altis, latis per longitudinem praeditae utpote siccatae. Multae radices per longitudinem dimidiatae, quibus persectis superficies paulum cavata vel media per longitudinem crista conspicua praedita est. Superficies aequa, quodammodo fibrata, sordide alba, multis cicatricibus radicum adventiciarum transverse extentis, fuscis. Si radices franguntur, pulverem spargunt; fractura transversa sordide alba, parte corticali admodum fibrata, intra cambium iniqua, farinulenta. Radices facile transverse persecantur; transverse persectae leves, clarius albae; cortex millimetrum fere 1 crassus, cambium clare fuscum, in cortice et in xylemate striae tenuissimae radiatim positae, in cortice tales orbes concentrici.

Microscopia pulveris. Amylum, magnam partem grana soluta, sed etiam cellulae parenchymaticae leptotichae, coloris expertes, prorsus amylo impletae; grana oblonge ellipsoidea vel quodammodo ovata, multa 10 ad 15 μ longa, lata 6 ad 10 μ; nucleus centralis vel extra centrum positus ($^1/_3$), et saepe extremitatem paulo latiorem versus, saepe quoque, uti strata, nulli cernendus; non raro rima nuclearia aere impleta; nonnulla grana composita, diadelpha ad tetradelpha. Frusta fibrarum pachyticharum, non raro in fasciculos collectarum; fibrae quoque tracheideae, magis leptotichae, breviores. Frusta vasorum scrobiculis duplicibus, rimalibus, saepe quoque in fasciculos collectorum. Stellulae e crystallis nonnunquam adhuc in cellulis parenchymaticis, leptotichis. Cellulae mucilaginosae, oblongae vel fere globosae, stratis membranae secundariis valde crassis, quae facillime cernuntur in alcohole absoluto, in oleo origani, praesertim in oleo caryophyllorum; in eodem oleo saepe quoque sphaeritae crebri cernuntur, verisimiliter

ab asparagino oriundi, in diversis cellulis. Pulvis per solutionem hydratis kalici fortiorem colorem clare flavum trahit.

Odor exiguus; sapor fatuus, mucilaginosus.

Radicis Althaeae pulvis combustus cineris partes centesimas 3 ad 7 relinquat.

+ Radix Armoraciae recens.

Radix recens quam praebet Cochlearia Armoracia, LINN. Sp. Pl. t. 648, extremo autumno vel primo vere a plantis cultis collecta.

Radices fere cylindricae, plerumque centimetra ad 2 crassae, longae plus quam centimetra 30, saepe cicatriculis semiamplexicaulibus in extremitate superiore. Superficies pallide flavofusca, satis levis. Intra albae, coriaceocarnosae; fractura levis.

Integrae sunt odoris expertes, contusae oleum sinapis redolent; sapor acer, sinapinus.

+ Radix Calumba.

Radices secundariae quas praebet Iateorhiza Columba, MIERS, in Hook. Niger Fl. 214, in nota, in discos transversos dissectae.

Plerumque disci diametro ad centimetra 8, crassi ad 2; leves, duri, fragiles, suborbiculares ad ovales, lateribus planis concavis utpote siccatis, in medio saepe crassioribus; in utroque latere plano saepe zonae 3 vel 4, paulum iniquae, diversae praesertim vi coloris, non convenientes cum telae partibus. Superficies exterior rugosa, e viridi flavofusca. In radice transverse persecta stratum suberosum tenue; cortex et phloema secundarium crassa millimetra fere 5, crebris

striis obscuris, radiatim a cambio prope ad stratum suberosum ductis, ceterum inaequaliter citrea; cambium obscurum; xylema secundarium magnum, praesertim in circuitu multis striis radialibus, quibus striae phloematis secundarii continuantur, ceterum inaequaliter citreum; medulla deest. Fractura brevis, aequa, non nitide farinulenta.

Odor nullus; sapor peramarus.

+ Radix et Herba Taraxaci recentes.

Tota planta recens quam praebet Taraxacum officinale, [Weber in] Wigg. Prim. Fl. Holsat. 56, gemmis praedita, primo vere collecta ante anthesin.

Planta perennis, quae vulnerata ex omnibus partibus sucum lacteum praebet album. Fusiformis, decimetra 2 vel plura longa, crassa centimetra ad 2; non ramosa vel ramis raris prope basin; superficies fusca, satis levis, basis tenuiter transverse rugosa; intra carnosa, albida; sucus lacteus in radice transverse persecta anulis concentricis e cortice prodit; medulla nulla. Caudex brevis, erectus, non ramosus, radicum rosa 1, nec raro ramosus rosis pluribus; medulla conspicua. Folia nulla nisi radicalia. Folia sparsa. Folium centimetra ad 40 longum, latum centimetra ad 12, simplex, petiolatum, secundum caulem lamina continuatur; lamina longa, spatulata, pinnatilobata ad pinnatipartitam, apex acutus, costa valida, margo grosse dentatus, superficies levis. Inflorescentia capitula, singula in petiolo longo, cavo, ex axilla folii enascente.

Radix amara nec minus sapore subdulci et mucilaginoso; folia prius dulcia, postea amara.

+ Radix Gentianae.

Radices et caudices quae praebet Gentiana lutea, Linn. Sp. Pl. 227.

Frusta centimetra 40 et plus quam 40 longa, crassa centimetra ad 4; cum sicca sunt fragilia, humida autem tenaciora et flexibilia; fere cylindrica, apicem versus sensim multo tenuiora, enormiter torta, simplicia vel minime ramosa; caudex et radix caudice longior saepe unam lineam rectam efficiunt, interdum radicibus 2 vel 3 plus minusve e latere caudicis enascentibus. Superficies caudicis transverse et per longitudinem rugosa, superficies radicis tantum transverse; color aequabiliter griseofuscus. Fractura transversa coloris clare cinnamomei, quodammodo spongiosa vel aspera, non fibrata. In radice transverse persecta sub peridermate saepe cava enormia, quae in siccescendo orta sunt; cambium flexuosum, coloris obscurioris. Frusta interdum per longitudinem dimidiata vel in discos transversos persecta sunt.

Microscopia pulveris. Vasa retifera et vasa scalaria, saepe in fasciculos collecta. Cellulae parenchymaticae membranis coloris expertibus, nonnunquam quodammodo collenchymatis more tumefactis; cellulae leptotichae saepe in ordinibus positae; in cellulis parenchymaticis nonnunquam crebra crystalla acicularia et lamellae oblongae; guttulae olei (in hydrate chlorali). Amyli fere nihil.

Odor subdulcis qualis est caricarum; sapor prius subdulcis, mox peramarus.

Radices quas praebent Gentiana pannonica, Scop. Fl. Carn. ed. II. 1. 182, G. punctata, Linn. Sp. Pl. 227, G. purpurea, Linn. Sp. Pl. 227, quae tenuiores, longiores, coloris magis grisei sunt, ceterum maximam partem cum supra descriptis conveniunt, non sunt reiciendae.

Radicis Gentianae pulvis combustus cineris partes centesimas 2 ad 6 relinquat.

+ Radix Helenii.

Radix quam praebet Inula Helenium, LINN. Sp. Pl. 881, cum caudice a plantis biennibus ad triennes collecta.

Centimetra ad 15 longa, crassa centimetra ad 3, dura, fragilis, in aere humido mox flexibilis et lenta, fusiformis, supra caudice brevi, crassiore 1 vel pluribus, qui plerumque complures cicatrices anulatas exhibent a caulibus intermortuis oriundas; infra concisa, ramis orbata, plerumque per longitudinem dimidiata. Superficies exterior rugis per longitudinem positis, e subflavo griseofusca, sulcis coloris obscurioris; radicis per longitudinem persectae superficies siccitate cava, in media parte iugo per longitudinem prominenti, aequabiliter e subflavo griseofusca. Radicis transverse persectae cortex et phloema tenuia, phloema radiis obscuris; xylema crassum, vasorum globis radiatim positis; medulla plerumque nulla; color clarius vel obscurius fuscus; puncta per totam radicem persectam sparsa, cum resinae glandulis convenientia. Fractura transversa levis, non fibrata. Radices tenuiores non persectae, cylindricae.

Microscopia pulveris. Cellulae parenchymaticae coloris expertes, rotundae vel magis oblongae, hae saepe in ordinibus positae. Multa ramenta sphaeritarum inulini plerumque forma enormi, nonnunquam radiatorum, quae calefacta in aqua statim solvuntur. Vasa retifera et vasa scrobiculis duplicibus, rimalibus. Cellulae suberosae quadratae, latae, membranis tenuibus, clare fuscis. Fasciculi fibrarum libriformium, pachyticharum membrana subflava. Corpora crebra, longa ad 60 μ, coloris fere expertia, plus minusve obtuse crystallina, lucem valde refringentia, quae, calefacta in aqua, guttarum oleacearum speciem praebent. Nonnullae resinae massae enormes, flavae ad fuscas. Amylum prorsus deest.

Odor proprie aromaticus; sapor aromaticus, amarus.

Radix Ipecacuanhae.

Radices adventiciae tumefactae quas praebet Psychotria Ipecacuanha, STOKES, Bot. Mat. Med. I. 365 (Uragoga Ipecacuanha, BAILL. Hist. Pl. VII. 281)

Decimetra ad 1,5 longa, sed plerumque fracta in frusta centimetra non plus quam 5 ad 7 longa, millimetra ad 5,5 crassa, dura, fragilia, cylindrica vel subconica, semper plus minusve enormiter flexa, raro paulum ramosa, tumoribus densis, orbicularibus, fere millimetrum 1 latis, qui plerumque radicem non plane circumdant, at loca non tumefacta in singulis tumoribus in diversas partes versa sunt, ita ut tota radix satis constanter cylindrica sit; iis tumoribus multis locis rimae interiectae sunt undique usque ad lignum pergentes. Superficies tenuiter transverse rugosa, non nitide, obscure griseofusca, nonnunquam magis rubrofusca. Corticis fractura transversa clare griseofusca, levis, non nitida, cornea, nonnunquam farinulenta; fractura ligni alba. Lignum millimetra ad 2 crassum, transverse persectum quodammodo angulosum; hic illic cortex facile a ligno avellitur.

Ad usum cortex ligno liberetur.

Microscopia pulveris. Amylum, plurimum grana soluta, sed etiam in cellulis parenchymaticis leptotichis, coloris expertibus; granorum multa simplicia, diametro non plus quam 12 μ, fere globosa, nucleo et stratis parum conspicuis; at plura composita, pleraque diadelpha vel triadelpha vel tetradelpha sed interdum ad dodecadelpha, partibus saepe valde disparibus. Cellulae suberosae formam orbis exhibent, sunt quinquangulae vel sexangulae, leptotichae, membranis obscure rubrofuscis. Raphides fere 45 μ longae, tenues, interdum in fasciculos intra cellulas parenchymaticas collectae. Xylematis elementa fibrosa, pachyticha, partim scrobiculis rimalibus, partim scrobiculis duplicibus praedita, in pulvere fere nulla adsint.

Odor corticis, imprimis cum contunditur, mucidus; sapor ingrate amarus. Lignum odoris et saporis expers est.

Pulvis Radicis Ipecacuanhae combustus cineris partes centesimas 1,8 ad 6 relinquat.

Cortex Radicis Ipecacuanhae alcaloideorum contineat partes centesimas 2, id quod ita statuitur et temperatur: Mixtarum (pondere specifico 0,919) chloroformi partium 2 et aetheris partium 3 centimetris cubicis 75 cum ammoniae centimetris cubicis 10 conquassatis adde pulveris (B_{50}) Corticis Radicis Ipecacuanhae grammata 7,5; quae frequenter et fortiter per horas 3 conquassata fac desidant; alcaloideorum solutionis clarae centimetra cubica 50 (= pulveris Corticis Radicis Ipecacuanhae grammata 5) defunde; aethera cum chloroformo destillatione remove, iis, quae supererunt, in spiritus centimetris cubicis nonnullis solutis adde acidi hydrochlorici decinormalis centimetra cubica 10. Alcaloideorum solutionem acidam per gossypium filtra et parvis aquae quantitatibus ablue dum liquor defluens neutrius reactionis et alcaloideis liber sit, quo facto filtrata tota ne sint plus quam centimetrum cubicorum 100. Acidum non coniunctum, indicatore haematoxylini guttis 4, per alcali decinormale retrotitra. Acidi decinormalis coniuncti centimetra cubica singula alcaloideorum milligrammata 25,4 indicant.

Pulvis Corticis Radicis Ipecacuanhae, quem hoc experimento alcaloideorum minus quam partes centesimas 2 continere appareat, in pharmacopolio ne adhibeatur, nisi ut commisceatur pulvere alcaloideorum nimis continente. Pulveri, qui alcaloideorum plus quam partes centesimas 2 contineat, addendum est pulveris alcaloideis egentis vel amyli oryzae tantum ut iustus partium centesimarum numerus efficiatur.

+ Radix Ialapae.

Radices napiformes quas praebet Ipomoea Purga, HAYNE, Arzneigew. XII. tt. 33, 34.

Plerumque crassae centimetra 3 ad 4, durae, in sale in aqua soluto ponderis specifici 1,2 submerguntur; piriformes, oblongae vel paene globosae, integrae, incisae vel dissectae. Superficies plus minusve rugosa, lenticellis oblongis, transversis; color obscurus, e cinereo fuscus, inter rugas praesertim nigrescens. Intus solidae vel fractae; amylo non tumido e griseo albae et fractura farinulenta, vel amylo tumido griseofuscae et fractura cornea; saepe in eadem radice duo genera simul adsunt. Stratum extra cambium primarium crassum millimetri dimidiam partem ad millimetra 2, obscurum per multas cellulas suciferas, quae per microscopium spectanti ut puncta parva conspicuae sunt. In xylemate secundario, quae est massa principalis radicis, multa cambia secundaria, quorum vestigia praecipue cognosci possunt e cellulis suciferis, quae in stratis phloematis effectis adsunt. Haec cambia in radice transverse persecta alia orbes magni videntur, plus minusve regulares, cambio primario concentrici, alia orbiculi dispersi qui in xylematis parte extrema quoque arcuati et extrinsecus aperti sunt, alia lineae enormiter flexae. Inde radix transverse persecta tuberum aliorum alio modo marmorata est.

Microscopia pulveris. Amyli permultum; pleraque grana simplicia, fere globosa, crebra maiora diametro fere 30 μ; nucleus centralis vel extra centrum positus ($^1/_2$), saepe conspicuus rima aere impleta; strata saepe admodum conspicua; grana quoque composita, permulta diadelpha, multa triadelpha, pauca tetradelpha; ceterum amyli grana omnibus gradibus tumefacta esse possunt. Multi globuli suciferi diametro 100 μ et minore; in solutione iodii diluta flavi sunt et emulsis constant. Cellulae parenchymaticae leptotichae,

saepe in ordinibus positae, interdum fuscae, non raro amylo tumido vel non tumido impletae. Partes strati suberosi, constantis cellulis quinquangulis ad sexangulas, quodammodo extentis, membranis rubrofuscis. Frusta vasorum scrobiculatorum, interdum vasa scalaria vel spiralia. Stellulae e crystallis. Cellulae sclerenchymaticae nonnullae, membranis non valde tumefactis, subflavidis, stratis conspicuis, scrobiculis altioribus.

Odor proprius; sapor prius fatuus, postea acer.

Radix Ialapae resinae contineat partes centesimas non minus quam 8. Quantum insit, ita statuitur: Radicis Ialapae pulveris (B_{40}) grammata 2 cum spiritus fortioris centimetris cubicis 20 per horam unam cum dimidia cum restillatione concoque, refrigerata ad pondus prius aucta filtra, cura habita ut quam minimum evaporetur. Filtratorum centimetra cubica 15 in balneo aquae dum sicca sint evapora; quae supererunt, aquae calidae centimetris cubicis 10 ablue et caloris gradu 105^0 sicca. Pondus resinae relictae ne minus sit quam milligrammatum 120.

Radix Liquiritiae.

Suboles hypogaeae et radices quas praebet Glycyrrhiza glabra, Linn. Sp. Pl. 742 vel G. glabra var. glandulifera, Waldst. et Kit, Pl. Rar. Hung. I. 20. t. 21.

Frusta decimetra 5 ad 10 longa, crassa millimetra 5 ad 25, solida, tenacia, gravia, cylindrica, plerumque non ramosa. Superficies per longitudinem rugosa, rubrofusca, multis locis lamellis tenuibus, griseofuscis telae detrusae. Intus obscure flava, fractura grosse fibrosa, transverse persecta radiata. Suboles medulla subobscura, sordide grisea, saepe angulosa praeditae sunt.

Radicis Liquiritiae pulvis e radice strato suberoso liberata paretur.

Microscopia pulveris. Amyli plurimum, grana simplicia, globosa vel oblonga, maxima 20 μ longa, permulta minora; nucleus centralis; strata parum conspicua. Fibrae pachytichae, longissimae, plerumque in fasciculos collectae. Cellulae e crystallis, quae saepe vaginam circum fibrarum fasciculos efficiunt; multa quoque crystalla soluta; crystalla quinquangula vel sexangula, saepe oblonga. Vasa quinquangula vel sexangula, scrobiculis duplicibus, rimalibus. Cellulae parenchymaticae leptotichae, amyli plenae. Cellulae suberosae adesse possunt, at in liquiritia Russica mundata desunt. In acido sulfurico fortiore pulvis colorem aurantiacum ad flavum trahit.

Radix Liquiritiae odoris expers est, saporis pure dulcis.

Radicis Liquiritiae pulvis saporis sit dulcis qualis radicis est, neque ullius alieni.

Radicis Liquiritiae pulvere cum aquae quantitate centuplici concocto, decoctis evaporatis iisque, quae supererunt, caloris gradu 100^0 siccatis, non minus quam partes centesimae 30 relinquantur.

Radicis Liquiritiae pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 6 relinquat.

+ Radix Ratanhiae.

Radix primaria ramosa quam praebet Krameria triandra, Ruiz et Pav. Fl. Per. I. 61.

Crassa centimetra ad 3,5; rami decimetra complura longi, cylindrici, superficie plus minusve undulata. Cortex millimetrum 1 ad 1,5 crassus, fere sexies tanto tenuior quam lignum, facile ligno avellitur, levis vel subsquamosus, cum teritur nitescit, rubrofuscus, multo obscurior ligno,

in charta alba lineam fuscam ducit, fractura fibrosa.

Cortex acerbissimus, lignum fere saporis expers est.

Tantum Radix Ratanhiae, quae integra advecta est, adhibeatur.

Acetatis plumbici in spiritu (1 = 10) soluti centimetrum cubicorum 10 cum Radicis Ratanhiae pulveris grossi milligrammatis 500 concoctorum, refrigeratorum filtrata praebeant liquorem coloris clare vinosi.

Radix Rhei.

Caudex quem praebent variae species generis Rhei, verisimiliter imprimis R. officinale, Baill. Andansonia, X. (1871–72) 246; XI. (1873–76) 229 et R. palmatum, Linn. Syst. ed. X. 1010, prorsus vel partim decorticatus.

Frusta centimetra ad 15 longa, crassa centimetra ad 8, gravia, dura, fragilia, formis diversissimis: tumide rotunda vel cylindrica vel conica vel prismatica vel repressa vel plane globosa vel etiam enormiter cubica; saepe perforata, in foramine non raro pars funis, in extremo foramine plane persecti; extra quodammodo angulosa quia decorticata sunt, vel etiam grossis sulcis transversis. Superficies fuscoflava; ubi cortex non prorsus remotus est, obscurior, fuscogrisea; partibus decorticatis aqua madefactis, per vitrum opticum spectanti apparent creberrimae striae parvae, transversae, obscure rubrofuscae (radii medullares) in area clara; partes clariores non raro maculas transversas, rhombeas efficiunt, intra quas parvae striae obscurae adsunt, interdum formas stellularum exhibentes; superficies obducta est pulvere rhei fuscoflavo. Fractura transversa aspera, granosa, griseoalba, crebris quoque striis tenuissimis, obscure rubrofuscis (radiis medullaribus). Radix transverse persecta

his striis quasi marmorata est; levis et praesertim madida facta in area clare fuscoflava figuras obscure fuscas fere has exhibet: in circuitu strias tenues, radiatas, varie curvatas, quae, nisi caulis altius decorticatus est, prope circuitum linea cambii fusca persecantur; interius striae plerumque figuras efficiunt stellis similes, interdum quodammodo extentas, diametro millimetrum 5 ad 10, quae cum radiis medullaribus conveniunt fasciculorum secundariorum, transverse persectorum; praesertim in intima parte striae saepe quoque ita positae sunt, ut transverse persectae sint, qua re striae fuscae non raro sine lege positae et curvatae sunt multoque longiores et crassiores.

Radix Rhei cum manducatur inter dentes stridet; salivam flavam reddit.

Microscopia pulveris. Grana amyli soluta, multa simplicia, saepe 15 ad 18 μ longa, sed etiam multo minora, fere globosa, rima nucleari centrali, plerumque stratis non conspicuis; grana composita rariora, diadelpha ad tetradelpha. Stellulae e crystallis diametro ad 145 μ, solutae vel in cellulis parenchymaticis. Vasa retifera maculis grossis, in fasciculos quoque collecta. Parenchyma leptotichum. Phalanges telae phloematicae admodum repressae, leptotichae. In oleo caryophyllorum crebrae cellulae parenchymaticae, leptotichae, prorsus impletae massa rubrofusca, aequabili, lamellae quoque solutae et globi a talibus massis oriundi; membranae cellularum et amylum omnino colore carent. In aqua et in hydrate chlorali omnes massae fuscae solvuntur colore flavo; addita solutione hydratis kalici, soluta trahunt colorem obscure latericium.

Odor proprie aromaticus, acidulus; sapor subamarus, paulum adstringens.

Radicis Rhei pulvis combustus cineris partes centesimas 5 ad 12 relinquat.

+ Radix Rhinacanthi.

Radices cum caulis partibus, e quibus proveniunt, quas praebet Rhinacanthus communis, NEES, in WALL. Pl. As. Rar. III. 109.

Caulis frusta ad centimetra 16 longa, crassa ad 1,6; alia brevia et crassa, alia gracilia internodiis adultis non plus quam centimetra 7 longis et nodis tumefactis, ramosa aut non ramosa, ramis plerumque non ita crebris, omnibus fere parallelis. Radices adventiciae in frustis caulis brevioribus multae et densae adsunt; e nodis ramorum gracilium earum fasces densi apparent; nonnullae quoque solutae adsunt; longae sunt ad centimetra 25, multae crassitudine millimetri fere 1, at multae quoque tenuiores; hic illic ramosae, enormiter sinuosae. Superficies omnium partium satis clare terrena, plus minusve transverse rugosa, praecipue prope radices. Caules et radices satis fragilia. Caules cum franguntur, pulverem spargunt; fractura transversa aspera; cortex tenuis; lignum durum, subflavo-album; medulla satis magna, spongiosa, clare alba.

Odor proprius; sapor fatuus.

Tinctura spirituosa (1 = 10) coloris est clare vinosi; addito alcali, colorem trahit purpureum, acido flavum.

In India Orientali Nederlandica Rhinacanthus communis inter alia nomine *treba djapan* vocatur.

+ Radix Sarsaparillae.

Radices secundariae quas praebent variae species generis Smilacis ex America Centrali oriundae, mercatoribus notae nomine Honduras Sarsaparilla.

Ad metrum 1 longae, crassae millimetra ad 7,5; cylin-

dricae, non ramosae, plus minusve undulatae, interdum hic illic nonnullis fibris radicalibus brevibus, vel transverse dissectae in frustula centimetra fere 4 longa; cum franguntur pulverem spargunt; strata exteriora sunt fragilia, interiora lenta. Superficies plerumque per longitudinem rugosa, clarius vel obscurius fusca vel griseofusca. Fractura transversa farinulenta et alba, interdum plus minusve cornea, clare fusca. In radice transverse persecta stratum exterius tenuissimum, fuscum, intra quod cortex fere dimidium radicis radii crassus; nuclei vagina conspicua est linea fusca, expressa; pars stelae exterior, lignosa introrsum plena est vasorum latorum; medulla magna.

Radices transverse persectas per microscopium spectanti nuclei vaginam cellulis fere quadratis constare apparet, quarum membranae ubique fere aequaliter tumefactae sint.

Odor nullus; sapor farinulentus, submucilaginosus, deinde acer.

Radix Senegae.

Radix et caudex quae praebet Polygala Senega, Linn. Sp. Pl. 704.

Radix primaria centimetra ad 23 longa, crassa ad 1, interdum non ramosa, plerumque mox in ramos 2 vel 3, fere aeque crassos, divisa atque admodum et enormiter torta; in curvaturis lateris concavi crista directa, acuta, quae saepe prout curvatura mutatur, in aliam radicis partem abit; in latere convexo, praesertim prope radicis collum, crebrae rugae transversae, plus minusve eminentes, millimetra fere singula inter se distantes. Superficies per longitudinem rugosa, hic illic cicatricibus ramulorum ablatorum, non nitide fuscoflava vel griseoflava. Fractura transversa aspera, fractura corticis millimetrum fere 1 crassi rimis tangen-

tialibus divisa, cornea, semiperlucida, sordide alba; fractura ligni medullae expers, flavoalba. Radicis transverse persectae lignum interdum orbiculare est vel ovale, at in curvaturarum latere convexo saepe quoque sinu cuneato, qui tam latus esse potest, ut radix persecta semicirculata sit. Radicum aqua emollitarum cristae totae vel magnam partem ablatae sunt; cortice nudatum lignum in curvaturarum lateribus convexis saepius sulcos breviores vel longiores, directos, cuneatos exhibet, cum sinibus supra memoratis convenientes. Caudex centimetrum ad 1,7 altus, crassus centimetra ad 2,5; compactus, nodosus, enormiter rotundus, crebris caulium cicatricibus tenuibus, fuscoflavis et squamulis gemmulisque violaceis.

Odor qualis est salicylatis methylici; sapor acerrimus.

Extractum aqua frigida (1 = 200) paratum et filtratum, conquassatum, vehementer et diu spumet.

+ Radix Valerianae.

Radices adventiciae quas praebet Valeriana officinalis, Linn. Sp. Pl. 31, cum caudice, autumno collectae a plantis biennibus ad triennes, non ablutae prudenter siccatae et per cribrum terra adhaerenti mundatae.

Radices adventiciae multae, fibrosae, undique e caudice enascentes, plerumque decimetrum 1 longae, crassae millimetra ad 2, fragiles, per longitudinem rugosae, cortice pro rata parte admodum crasso, stele filiformi. Caudex centimetra ad 5 longus, crassus centimetra ad 2, interdum nonnullis flagellis, obconicus vel cylindricus, utraque extremitate obtruncata, apice gemma praedito, vaginae reliquiis circumdata. Intus pallide fuscus, cortice tenui et intra cambium obscurum anulo tenuiore, cohaerenti vel non

cohaerenti, fasciculorum xylematis coloris clarioris; medulla magna, in internodiis saepe cava, tum per longitudinem saeptis cum nodis convenientibus in loculos divisa. Omnium partium superficies griseofusca, terrena.

Microscopia pulveris radicum, caudicis, flagellorum. Cellulae parenchymaticae oblongae, aliae leptotichae, aliae pachytichae, nonnunquam amylo impletae, nonnullae coloris fusci. Vasa scrobiculata, et spiralia et anularia, fibrae quoque libriformes in fasciculos collecta. Cellulae sclerenchymaticae oblongoquadratae, scrobiculis altioribus, nonnunquam valde pachytichae. Amyli satis multum, grana simplicia et composita ad hexadelpha; grana simplicia longa 10 ad 15 μ, sed etiam multo minora. Paucae cellulae epidermidis pilis radicalibus, cellulae suberosae latae, membranis tenuibus, fuscis, cellulae hypodermatis et vaginae punctis Caspariis insignis, membranis tenuibus, admodum breviundulate flexis.

Radices recentes odoris fere expertes sunt, sed dum siccantur et servantur paulatim odorem gravem, proprium spargunt. Sapor aromaticus, subacer, insuper subamarus.

+ Resina Ialapae.

Percola per spiritum

Radicem Ialapae in pulverem (B_{10}) redactam

dum liquoris defluentis guttae 5, additis aquae centimetris cubicis 2, mixta praebeant clara.

Spiritu destillatione remoto, quae supererunt, evapora ad crassitudinem sirupi. Ea agitans lente in aquam effunde, fac desidant, liquorem defunde quaeque relicta erunt, aqua calida ablue dum haec non amplius coloretur. Resinam mollem assidue agitans calface dum refrigerata fragilis facta sit.

Frusta fusca fractura nitida, quorum ramenta tenuia dilucida sunt et facile in pulverem redigi possunt. Resina Ialapae in aqua non solvitur, in spiritu solvitur.

Resinae Ialapae milligrammata 500 in balneo aquae una cum ammoniae centimetris cubicis 5 calefacta, cum refrixerint, partes solidas ne secernant neve in massam gelatinosam abeant.

Si chloroformi centimetra cubica 10, cum Resinae Ialapae grammate 1 per horas 6 frequenter conquassata, filtrata erunt, eorum, quae de filtratorum centimetris cubicis 5 evaporatis relicta erunt, pondus ne sit plus quam milligrammatum 75.

Resina Ialapae combusta cineris ne plus quam partis centesimae decimas tres (0,3) relinquat.

+ Resina Podophylli.

Podophyllinum.

Percola per spiritum

Rhizomatis Podophylli in pulverem (B_{20}) redacti partes centum 100

dum liquoris defluentis guttae 5, additis aquae centimetris cubicis 2, mixta praebeant clara.

Spiritu destillatione remoto, ea, quae supererunt, evapora ad partes quinquaginta. 50

Hunc liquorem refrigeratum agitans lente effunde in mixtas, refrigeratas ad caloris gradum non minus quam 10um,

Aquae partes ducentas 200

et

Acidi hydrochlorici partes quattuor 4

Aliquamdiu sepone, praecipitatum in pannum collectum aqua ablue dum liquor defluens reactionis acidae tantum

exiguae sit; praecipitatum calore non adhibito sicca, deinde per calcem vivam, denique in pulverem redige.

Pulvis viridiflavus ad flavofuscum, odoris proprii, saporis amari. In balneo aquae calefactus colorem trahit obscuriorem, non liquescit.

Resina Podophylli in aqua frigida non solvitur, in aqua calida partim, in spiritus partibus 10, in ammoniae partibus 50 tota solvitur.

Radix Podophylli podophyllotoxini contineat partes centesimas non minus quam 40. Quantum insit, ita statuitur: Chloroformi centimetra cubica 10 cum Resinae Podophylli grammate 1 frequenter conquassa per horas 6, filtra, filtratorum centimetra cubica 5 effunde in aetheris petrolei centimetra cubica 40; post horas 24 praecipitatum collige, aetheris petrolei centimetris cubicis 50 ablue, sicca, pondera. Pondus sit non minus quam milligrammatum 200.

Aquae ne contineat plus quam partes centesimas 5; combusta cineris ne plus quam partis centesimae decimas tres (0,3) relinquat.

+ Rhizoma Calami.

Rhizoma quod praebet Acorus Calamus, Linn. Sp. Pl. 324, autumno collectum, omnibus appendicibus liberatum, non decorticatum.

Decimetra ad 5 longum, crassum centimetra ad 3, lentum, quodammodo flexum, cylindricum, supra compressum, in singularum innovationum confiniis singulis tenuius; quae innovationes constant internodiis fere 18, non longioribus quam centimetrum 1,5. In nodis foliorum cicatrices extente triangulae, per vices lateraliter positae, fuscae, in quibus saepe vaginarum reliquiae fuscae, fibrosae, internodia tegen-

tes; in cicatricum axillis interdum rami compressi, ceterum parum ramosum. In parte inferiore cicatrices prominentes, anulares radicum adventiciarum resectarum, in ordinibus fractis per vices dextram laevamque petentibus, enormibus, nonnunquam duplicibus positae. Superficies per longitudinem rugosa, fusca. Fractura porose suberea vel subgranosa, albida vel carnosa; cortex duplo ad quadruplum tenuior quam est stele.

Microscopia pulveris. Cellulae parenchymaticae leptotichae, marginibus coniunctionis admodum conspicuis, intra quos scrobiculi oblongorotundi; inter has cellulas canales aerei conspicui, interdum quoque lacunae intercellulares parvae, triangulae; massa cellulae inclusa multitudo granorum amyli, diametro fere 5 μ, quorum pleraque simplicia, fere globosa vel magis oblonga sunt, nonnulla composita e granis non plus quam 4. Multae cellulae tanninosae, forma similes supra memoratis, amyli expertes, massis cellulis inclusis subflavidis, in merce vetustiore magis fuscis, quae massae per acetatem ferricum nigrae, per vanillinum et acidum hydrochloricum clare rubrae fiunt. Cellulas oleosas in pulvere spectare difficile est; resinae massae non adsunt. Fasciculi fibrarum gracilium, pachyticharum, scrobiculatarum. Vasa anularia et spiralia et retifera et scalaria. Cellulae suberosae latae, leptotichae, clare fuscae et cellulae epidermidis angustae, oblongae, membranis exterioribus paulum tumefactis non multae.

Odor proprie aromaticus; sapor aromaticus, amarus, subacer.

+ Rhizoma Curcumae Iavanicae.

Rhizoma quod praebet Curcuma longa, LINN. Sp. Pl. 2, in discos concisum.

Disci diametro centimetrum ad 6, leves, duri, fragiles,

orbiculares vel oblongi, qui cum franguntur pulverem spargunt. Cortex crassus millimetra 3 ad 4, linea acuta a stele separatus. Superficies aequa, non nitide flavofusca, in margine interdum reliquiae gemmarum Fractura clare ex aurantiaco flava ad fuscam ex aurantiaco.

Odor aromaticus; sapor acriter aromaticus et subamarus.

Charta imbuta extracto spirituoso Rhizomatis Curcumae Iavanicae (1 = 10), inde colorata, deinde siccata, additis alcalinis, colorem trahit purpureum; acidum boricum in aqua (1 = 50) solutum, acidi hydrochlorici diluti voluminis parte decima mixtum, eam, dum siccatur, colore inficit rubrofusco, qui color, cum charta ammonia madefit, in viridinigrum abit.

In India Orientali Nederlandica Rhizoma Curcumae Iavanicae nomine *temoe lawak* vocatur.

+ Rhizoma Filicis.

Rhizoma quod praebet Aspidium Filix mas, SWARTZ, sub finem autumni collectum a plantis in patria nostra cultis; tum in antica extremitate multa folia novella, spiraliter convoluta adsunt et in parte posteriore bases petiolorum foliorum demortuorum adhuc vivae, carnosae.

Merx venalis magnam partem constare solet basibus petiolorum solutis, nonnullis rhizomatis frustulis enormiter oblongis, paucissimis foliis novellis convolutis, omnibus his iam magnam partem liberatis radicibus, partibus mortuis, paleis, uti ad usum necesse est. Petiolorum bases centimetra ad 5 longae sunt, crassae ad 1,25, durae, fragiles, arcuatae, basin versus citius, apicem versus lentius attenuatae; pars interior concava, transversa plana est, exterior convexa transverse arcuata, inter se separatae marginibus 2 directis, saepe clarioribus, acutis, eminentibus. Interdum

gemmula lateralis vel eius cicatrix in parte exteriore adest. Superficies per longitudinem grosse rugosa, quodammodo nitide fusca vel coloris clarioris, partim plus minusve obsita paleis ferrugineis, lanceolatis ad lineares, apicibus longis, in margine denticulis tenuissimis, sparsis, acutis, glandularum expertibus vel non plus quam 2 in basi praeditis. Fractura transversa flavoviridis, porosa, farinulenta. In rhizomate transverse persecto phalanges vasorum, positae in arcu partem interiorem, concavam versus aperto, numero 7 in 31 e petiolis 100, 8 in 30, 9 in 22, 5 ad 6 vel 10 in 17. Rhizomatis frustorum apices saepe toti paleis obducti sunt; fractura qualis est petiolorum.

Odor fatuus; sapor subdulcis, subacerbus, acer.

Rhizoma Filicis ne diutius quam unum annum servetur.

+ Rhizoma Hydrastis.

Rhizoma quod praebet Hydrastis canadensis, LINN. Syst. ed. X. 1088, cum radicibus secundariis.

Rhizoma centimetra ad 5 longum, crassum ad 1, fragile, interdum subramosum, plus minusve enormiter flexuosum, internodiis brevibus manifestis; in parte superiore saepius praeditum cicatricibus caulium demortuorum, ibique gibbose tumefactum; undique obsitum radicibus secundariis vel earum cicatricibus flavis; in apice interdum caulis reliquiis et nonnullis paleis. Superficies nonnunquam per longitudinem rugosa, non nitide flavogrisea vel magis fusca. Fractura clare flava, cornea vel cerea. In rhizomate transverse persecto vasorum fasciculi ad 20 angusti, radiati; medullae coniunctiones conspicuae; medulla diametri partem fere quartam magna. Radices secundariae centimetra 4 ad 5 longae, crassae ad

millimetrum 1, fragiles, per longitudinem rugosae, fuscae, intra flavae, stele tenuissima, angulosa.

Microscopia pulveris. Pleraque fragmenta plus minusve flava. Parenchyma leptotichum, pleraeque cellulae oblongae, amylo totae impletae; multa quoque amyli grana separata, plerumque diametro 4 ad 8 μ, magnam partem subglobosa et simplicia; composita quoque adsunt diadelpha ad tetradelpha. Vasa scrobiculis duplicibus, rimalibus, non raro in fasciculos coniuncta; membra quoque vasorum brevia, cellulis sclerenchymaticis similia; vasa spiralia paucissima. Cellulae suberosae, quadrangulae, quodammodo oblongae, membranis tenuibus, clarissime fuscis. Pili radicales nonnulli. Fibrae libriformes pachytichae adesse possunt. Hydras chlorali pigmentum flavum extrahit. In hydrate chlorali iodato post paucas horae partes sexagesimas multa crystalla lamellaria fusca exsistunt, quadrata vel oblonga vel sexangula vel alterius figurae, complura quoque inter se coniuncta. In acido nitrico fortiore pulvis colorem trahit obscure rubrofuscum. In acido nitrico diluto innumerabilia crystalla acicularia exsistunt tenuia, flava, saepe quodammodo inter se cohaerentia (berberinum).

Odor subnarcoticus; sapor amarus.

Rhizomatis Hydrastis pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 6 relinquat.

+ Rhizoma Iridis.

Rhizoma accurate decorticatum quod praebent Iris florentina, Linn. Syst. Ed. X. 863, I. germanica, Linn. Sp. Pl. 38, I. pallida, Lam. Encyc. III. 294.

Frusta ad centimetra 15 longa, lata ad 5, crassa ad 2,5, gravia, dura, solida, quae cum franguntur pulverem spargunt

et innovationibus dilatatis constant 3 ad 8. Quaeque innovatio quodammodo planopiriformis, tenuis, cylindrica in basi et in apice, supra medium latissima; partes latae supra arcuatae sunt, unde totum rhizoma directe persectum undulosum est; partes latissimae interdum ab altero vel ab utroque latere ramo praeditae sunt. Superficies propter decorticationem quodammodo angulata est, alba vel subflavida. Pars superior partis dilatatae cuiusque innovationis sulcos transversos 12 exhibet, cum foliorum cicatricibus convenientes, nonnunquam alternos dextrorsum et sinistrorsum dilatatos, praeterea his cicatricibus convenientes ordines locorum paulum depressorum, fractorum vasorum fasciculorum foliorum; eiusmodi foliorum cicatrices minus altae nec sine vasorum fasciculis adsunt in partibus tenuioribus, plerumque quoque in parte inferiore. Innovationum partium latarum pars inferior plerumque cicatricum est expers, sed quaeque innovatio exhibet 5 ordines transversos, quodammodo obliquos cicatricum radicum, quae paulo minus quam centimetra singula inter se distare solent, diametro millimetrum fere 2, orbiculares, paulum editae, paulo obscuriores, margine clare fusco. Fractura transversa satis aequa, non nitida, quodammodo farinulenta, alba vel flavidoalba, crebris punctis parvis, tenuissimis, nitidis; cortex crassus ad millimetra 4, paucis punctis paulo obscurioribus et striis vasorum fasciculorum persectorum; stele, praesertim in parte inferiore, bene definita, praedita multis vasorum fasciculis, magnam partem in margine coacervatis.

Microscopia pulveris. Amyli grana separata vel interdum amylum adest in cellulis parenchymaticis; grana magnam partem simplicia sunt, pauca composita diadelpha, rara triadelpha. Grana simplicia forma et magnitudine sunt diversissima, minora saepe globosa. Grana maiora et maxime propria 20 ad 30 μ sunt longa, lata 10 ad 16 μ, oblonga, subconica, basi sive tenuiore sive latiore; basis truncata,

apex obtusus; hilus extra centrum positus ($^1/_2$ ad $^1/_5$) apicem versus, plerumque conspicuus rima aere impleta, nonnunquam radiata, e qua rima saepe rimae 2 longae, arcuatae exeunt, ad basin productae; strata plerumque non sunt conspicua. Frusta crystallorum columnarium, crassa 20 ad 30 μ, longitudinis diversae, non nunquam altera extremitate acuta. Parenchyma membranis satis tumefactis, coloris expertibus, scrobiculis altioribus, lacunis intercellularibus conspicuis. Vasa anularia et spiralia et scalaria et scrobiculata; omnia haec separata, nonnunquam in fasciculos collecta.

Odor proprius; sapor fatuus, subaromaticus, subamarus.

Rhizomatis Iridis pulvis combustus cineris ne minus quam partes centesimas 2 neve plus quam 5 relinquat.

+ Rhizoma Podophylli.

Rhizoma quod praebet Podophyllum peltatum, Linn. Sp. Pl. 505, cum radicibus secundariis.

Frusta centimetra ad 20 longa, partibus tumefactis centimetra 5 ad 10 inter se distantibus, e quibus interdum rami 2 ad 3 exeunt. Partes longiores, tenues, millimetra ad 6,5 crassae, cylindricae, ab imis ad summas plus minusve compressae, nodorum expertes vel tantum in extremitatibus nonnullis vaginarum cicatricibus enormiter anulatis, saepe obliquis. Partes breviores tumefactae centimetrum 1 ad 2 longae, crassae ad 1,6, internodiis brevibus, crebris vaginarum cicatricibus anulatis, paulum editis, minime inter se distantibus; supra caulis cicatrice fere orbiculari, satis excavata; infra radicibus secundariis 10 sparsis, filiformibus vel plerumque earum cicatricibus sordide albis. In extremitatibus quoque partium tenuiorum interdum radices nonnullae adsunt.

Radices secundariae separatae, millimetrum fere 1,5 crassae, satis crebrae sunt. Rhizomatis superficies aequa est vel quodammodo per longitudinem rugosa, obscurius vel clarius rubescens vel coloris terreni; radices coloris clarioris sunt. Fractura transversa cornea et clare fusca vel farinulenta et alba, non raro utrumque in eadem fractura conspicitur; stratum extremum obscurius fuscum, in medio radio circulus fasciculorum vasorum non plus quam 40.

Odor, praesertim rhizomatis aqua calida madefacti, narcoticus; sapor subamarus et acer.

+ Rhizoma Zingiberis.

Rhizoma quod praebet Zingiber officinale, Rosc. in Trans. Linn. Soc. VIII. (1807) 348, non decorticatum.

Frusta hic illic constricta et inde quasi articulosa, centimetra 2 ad 10 longa, centimetra 2 alta, lata centimetrum 1, a lateribus compressa, lateribus compressis subconvexis. Superficies grosse rugosa, cicatricibus squamarum foliorum anulata, cinerea vel e griseo subfusca. Fractura transversa brevifibrosa, punctis parvis flavorubris; cortex millimetrum fere 1 crassus.

Microscopia pulveris. Amyli multum, grana simplicia, plana, enormiter vel oblonge rotunda, saepe quodammodo angulosa vel eminentia papillata praedita, in qua nucleus positus est; nucleus extra centrum positus, proxime a margine; strata plerumque non facile cerni possunt; grana diametro sunt plus minus 25 μ, crassa 7 μ. Amylum est in cellulis parenchymaticis. Cellulae oleosae, fere globosae, prorsus impletae massa resinosa, rubrofusca. Cellulae cylindricae, continentes massam fuscam, in xylemate fasciculorum vasorum. Cellulae suberosae latae, leptotichae, partim radi-

atim positae. Fibrae longae, paulum pachytichae vaginae fasciculorum vasorum. Vasa retifera.

Odor aromaticus; sapor urens.

Rhizomatis Zingiberis pulvis quodammodo cohaereat, in aqua submergatur.

Rhizomatis Zingiberis pulveris grammatis 4 cum spiritus centimetris cubicis 100 per horam 1 concoctis et, cum refrixerint, spiritu evaporato ad prius volumen suppleto, eorum, quae de filtratorum centimetris cubicis 75 evaporatis supererunt, caloris gradu 100° siccatorum pondus sit non minus quam milligrammatum 180.

Rhizomatis Zingiberis pulvis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 8 relinquat; cuius cineris dimidia pars in aqua solubilis sit.

Rob Iuniperi.

Infunde per horae partem dimidiam

Fructuum Iuniperi contusorum partes triginta 30

Aquae partibus nonaginta 90

Infusas per horas 12 sepone, cola, exprime.

Fac liquor per nonnullas horas desidat, quo facto defunde et in eo solve

Sacchari partes decem 10

In balneo aquae evapora ad spissitudinem mellis.

Rob Iuniperi est coloris fusci, saporis aromatici; addita aqua (1 = 10), liquorem praebet turbidum.

Cineris Rob Iuniperi grammatis 1 cum acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 3 per horae partem sexagesimam 1 concocti filtrata per acidum hydrosulfuricum, ne acetatis natrici grammatis 2 quidem deinde additis, speciem mutent.

+ Rob Sambuci.

Concoque

Fructuum Sambuci recentium partes decem . . 10

cum

Aquae parte una. 1

assidue agitans per horae partem duodecimam, quo facto massam exprime.

Solve in huius

Suci partibus quattuor. 4

Sacchari partem unam 1

Solutas calface dum ebulliant, despuma, cola. Liquoris quantitates parvas coque, sub finem coquendi fortiter agitans, dum refrigeratus rob fiat.

+ Saccharas ferricus.

Misce

Solutionis Chloreti ferrici partes viginti 20

Sirupi Sacchari partibus viginti 20

et

Aquae partibus decem. 10

His agitans paulatim admisce, cavens ne mixta caloris gradum 15um excedant,

Carbonatis natrici partes viginti quattuor. . 24

solutas in

Aquae partibus sexaginta 60

Cum iam gaz non amplius emittetur, adde

Solutionis hydratis natrici partes fere viginti sex 26

vel tantum, quantum ipsum sufficiet ad praecipitatum rursus solvendum.

Liquorem clarum misce

Bicarbonatis natrici partibus novem 9

et continuo

Aquae partibus sescentis 600

Praecipitatum in pannum collectum tam diu aqua ebullienti elue ut liquor defluens addito nitrate argentico vix turbetur, leniter exprime, misce

Pulveris Sacchari partibus octoginta 80

evapora in balneo aquae.

Pulvis fuscoruber, quodammodo hygroscopicus, saporis dulcis et exigue ferrici, qui, additis aquae partibus 20, liquorem clarum praebet.

Saccharas ferricus in aqua (1 = 20) solutus, addito ferrocyaneto kalico, speciem ne mutet, addito insuper acido hydrochlorico, praecipitatum sordide viride deponitur, quod deinde caeruleum fit. Una cum acido sulfurico diluto calefacta soluta addito nitrate argentico ne statim turbentur.

Saccharas ferricus contineat ferri non minus quam partes centesimas 3, id quod ita statuitur: Saccharatis ferrici gramma 1 in balneo aquae calefaciens solve in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10. Cum solutorum color fuscus in flavum transierit, permanganatem kalicum (1 = 200) stillatim adde, dum color ruber non amplius statim evanescat, et, ut permanganatis kalici quantitas excedens dissolvatur, una cum spiritus parva quantitate calface. In liquore refrigerato iodeti kalici grammata 2 solve et post horam 1 titra per thiosulfatem natricum decinormalem; cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica non minus quam 5,4 requirantur.

Saccharinum.

$$C_6H_4\left\langle\begin{matrix}CO\\SO_2\end{matrix}\right\rangle NH.\ 1,2.$$

Pulvis albus, crystallinus, odoris expers, saporis dulcissimi, qui caloris gradu 294° liquescit. Saccharinum in aquae partibus 360, in spiritus partibus 37,5, in aetheris partibus 54 solvitur. In alcalinis et in carbonatibus alcalinorum quoque facile solvitur. In aqua vel in spiritu solutum Saccharinum reactionis est acidae.

Saccharini milligrammatis 100 et oxydi calcici milligrammatis 500 una calefactis, vapores ammoniacales emittuntur benzaldehydo mixti; eorum, quae supersunt, aqua extractorum filtrata, per acidum nitricum leviter acida facta, addito acetate plumbico, praecipitatum fusconigrum deponunt.

Saccharinum, in aqua frigida dum saturetur solutum, addito chloreto ferrico, colorem tantum subflavum trahat.

Saccharini milligrammata 250 in solutionis hydratis natrici centimetro cubico 1 et aquae centimetris cubicis 4 soluta, admixtis acidi acetici centimetris cubicis 3, fortiter quassata ne turbentur intra horae partem sextam (*acidum parasulfaminobenzoicum*).

Saccharini milligrammata 100 in solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 5 nec minus in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 soluta coloris expertia sint. In balneo aquae per horae partem quartam calefacta illa coloris expertia maneant (*glucosum*), haec colorem tantum subflavidum trahant.

Saccharinum combustum cineris ne plus quam partis centesimae partem quartam (0,25) relinquat.

Saccharum.

$C_{12}H_{22}O_{11}$.

Saccharum purgatum (saccharosum), paratum e suco radicis quam praebet varietas Betae vulgaris, LINN. Sp. Pl. 222, vel e suco caulis quem praebet Saccharum officinarum, LINN. Sp. Pl. 54.

Frusta alba, crystallina vel crystalla separata, monoclinia vel eorum pulvis. Pulvis Sacchari sit albus, siccus, odoris expers.

Saccharum, in aqua (1 = 2) solutum, sit sirupus clarus, coloris expers, saporis pure dulcis, neutrius reactionis, tenuis, e quo seposito nihil secernitur quique, addito spiritus pari volumine, mixta praebet clara.

Saccharum in aqua (1 = 10) solutum, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet, liquorem Fehlingi omnino ne reducat aut minime.

Saccharum gradu caloris 105^0 siccatum ponderis ne plus amittat quam partem centesimam 1, combustum cineris ne plus quam partis centesimae partem decimam (0,1) relinquat.

Saccharum Lactis.

$C_{12}H_{22}O_{11}$. H_2O.

Saccharum (lactosum) e sero lactis vaccinae paratum.

Pulvis albus, odoris expers, digitis sensum arenae excitans, saporis subdulcis vel cylindri apice conico vel crusta crassa vel laminae, quae omnia constant crystallis albidis, perlucidis, rhombeis, solidis, duris, inter dentes stridentibus.

Saccharum Lactis in aquae partibus 6 et, si mixta calefiunt dum ebulliant, in parte 1 solvitur.

Ita solutum clarum sit neutriusque reactionis.

Spiritus diluti centimetrum cubicorum 20 cum Sacchari Lactis pulveris grammatis 5 frequenter conquassatorum, post horam 1 filtratorum centimetra cubica 10, in balneo aquae evaporata, massae solidae ne plus relinquant quam milligrammata 50.

Saccharum Lactis combustum cineris ne plus quam partis centesimae partem decimam (0,1) relinquat.

+ Sal Carolinum facticium.

Misce

Pulveris Sulfatis kalici partes viginti 20
Pulveris Chloreti natrici partes centum octoginta 180
Pulveris Bicarbonatis natrici partes trecentas sexaginta. 360
Sulfatis natrici exsiccati partes quadringentas quadraginta 440

Pulvis albus, siccus.

Per calcem vivam servandum.

+ Sal Emsanum facticium.

Misce

Sulfatis natrici exsiccati partes septem 7
Pulveris Sulfatis kalici partes tredecim. . . . 13
Pulveris Chloreti natrici partes trecentas viginti quinque 325

Pulveris Bicarbonatis natrici partes sescentas quinquaginta quinque. 655

Pulvis albus, siccus.

Per calcem vivam servandum.

+ Sal Hunyadi Ianos facticium.

Calface

Sulfatis magnesici partes nongentas quinquaginta. 950

dum supersint

partes quingentae. 500

Has in pulverem redactas misce

Pulveris Chloreti natrici partibus quinquaginta 50

et

Sulfatis natrici exsiccati partibus quadringentis quinquaginta 450

Pulvis albus, siccus.

Per calcem vivam servandum.

+ Sal Vichy facticium.

Calface

Phosphatis natrici partes quadraginta 40

dum supersint

partes sedecim. 16

Has in pulverem redactas misce

Pulveris Sulfatis kalici partibus quinquaginta 50

Pulveris Chloreti natrici partibus octoginta. . 80

Pulveris Bicarbonatis natrici partibus octingentis quinquaginta quattuor 854

Pulvis albus, siccus.

Per calcem vivam servandum.

+ Sal Wildungense facticium.

Misce

Sulfatis natrici exsiccati partes quinque. . . . 5
Pulveris Sulfatis kalici partes decem 10
Carbonatis calcici partes ducentas quadraginta 240
Carbonatis magnesici partes ducentas quadraginta 240
Pulveris Bicarbonatis natrici partes ducentas viginti quinque 225
Pulveris Chloreti natrici partes ducentas octoginta 280

Pulvis albus, siccus.

Per calcem vivam servandum.

+ Salicylas ammonicus.

$C_6H_4.OH.COONH_4.{}^1/_2H_2O.$

Crystalla coloris et odoris expertia, quae, cum calefiunt, vapores phenolum continentes emittentia neque quicquam relinquentia comburuntur. Salicylas ammonicus in aquae partibus 1,15 et in spiritus partibus 2,2 solvitur.

Solutione hydratis natrici e Salicylate ammonico gaz ammoniae emittitur. Salicylas ammonicus in aqua (1 = 20) solutus, addito acido hydrochlorico diluto, crystalla secernit, quae in aethere facile solvuntur. Vel in aqua (1 = 1000) solutus, addito chloreto ferrico, violaceus fit.

In aqua (1 = 5) recens solutus clarus, coloris expers, neutrius reactionis sit aut tantummodo leviter acidae. Addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet. In aqua (1 = 20) soluti centimetra cubica 5, acidi nitrici centimetro cubico 1 et spiritus centimetris cubicis 10 mixta, addito

nitrate barytico vel nitrate argentico, clara sint per horae partem non minus quam duodecimam.

Salicylatis ammonici milligrammata 100 in acidi sulfurici centimetro cubico 1 soluta intra horae partem duodecimam ne colorentur.

Salicylas Antipyrini.

Salipyrinum.

$C_{11}H_{12}N_2O.\ C_6H_4.\ OH.\ COOH.$

Leni calore una liquefac

Antipyrini partes quinquaginta septem cum decimis septem 57,7

et

Acidi salicylici partes quadraginta duas cum decimis tribus 42,3

Fac refrigescant; ita coniuncta contere aut e solutione spirituosa crystallisentur.

Lamellae crystallinae, coloris expertes vel pulvis crystallinus, albus, odoris fere expers, saporis subdulciter amari, qui caloris gradu 91° ad 92um liquescit et aucto calore, vapores emittens phenolum continentes neque quicquam relinquens comburitur. Salicylas Antipyrini in aquae partibus 270 et in spiritus partibus 3,4 solvitur. In aqua (1 = 200) solutus chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram.

In aqua (1 = 200) soluti centimetra cubica 5, additis nitritis kalici milligrammatis 100 et acidi sulfurici diluti guttis 5, virescunt.

Salicylatis Antipyrini milligrammatis 500 cum acidi hydrochlorici centimetro cubico 1 et aquae centimetris

cubicis 15 concoctis, liquor exsistit clarus, e quo refrigescente crystalla acicularia secernuntur, quae collecta et siccata satisfaciant isdem postulatis, quibus Acidum salicylicum.

Salicylas Antipyrini in aqua (1 = 20) solutus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet.

Salicylas bismuthicus basicus.

Pulvis albus, microcrystallinus, odoris et saporis expers, qui calefactus flavescit, vapores phenolum continentes emittens carbonescit, tandem oxydum bismuthicum flavum, globulis metallicis mixtum, relinquens comburitur. Salicylas bismuthicus basicus in aqua vel in spiritu fere non solvitur.

Salicylas bismuthicus basicus chloreto ferrico superfusus liquorem praebet violaceum.

Spiritus centimetrum cubicorum 20 cum Salicylatis bismuthici basici grammate 1 conquassatorum, filtratorum centimetra cubica 10, aquae centimetris cubicis 10 et phenolphthaleini guttis 3 mixta, addita solutionis hydratis kalici decinormalis centimetri cubici parte decima, rubescant (*acidum salicylicum liberum*).

Aquae centimetrum cubicorum 20 cum Salicylatis bismuthici basici grammatis 2 conquassatorum filtrata ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico turbentur. Quorum filtratorum centimetra cubica 5 cum diphenylamini milligrammatis 5 in acidi sulfurici centimetris cubicis 5 nullo colore solutis superimponuntur, stratum confine caeruleum ne fiat.

Eorum, quae de Salicylatis bismuthici basici grammate 1 combusto supererunt, in acidi nitrici diluti centimetris cubicis 10 solutorum, deinde aquae centimetris cubicis 10 et ammoniae centimetris cubicis 6 mixtorum filtrata

coloris expertia sint; iis, quae de filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Iis, quae de Salicylatis bismuthici basici grammate 1 combusto supererunt, in acidi nitrici diluti centimetris cubicis 10 solutis, additis aquae centimetris cubicis 50 et carbonatis natrici tanta quantitate ut liquor tantummodo reactionis leviter acidae sit et exiguum praecipitatum constans exstiterit, tum additis acetatis natrici centimetris cubicis 25, cum deinde per horae partem quartam coctum erit, liquoris ita parati filtrata addito bichromate kalico ne turbentur (*plumbum*).

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Salicylatis bismuthici basici milligrammata 500, addito aetheris centimetro cubico 1, soluta in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Salicylatis bismuthici basici gramma 1 cum leniter candefactum, tum quae relicta erunt, in acido nitrico soluta, deinde haec soluta dum sicca sint evaporata, denique, quae supererunt, iterum candefacta erunt, oxydi bismuthici ita parati pondus non minus sit quam milligrammatum 600 neque plus quam 650.

+ Salicylas methylicus.

$C_6H_4.OH.COOCH_3$ ratione synthetica paratus.

Liquor coloris expers, clarus, fragrans, saporis subdulciter aromatici, plane volatilis, neutrius reactionis, qui pro quavis portione spiritu misceri potest, aqua non potest. Pondus specificum 1,176. Caloris gradu 223^0 ad 224um ebullit.

Salicylatis methylici gutta 1 cum aquae centimetris cubicis 50 conquassata, addita chloreti ferrici gutta, colorem obscure violaceum trahit.

Salicylatis methylici centimetrum cubicum 1 si quassatum in solutionis hydratis natrici centimetra cubica 4 instillatur, deponitur praecipitatum crystallinum, album, spatiosum, quod, liquore in balneo aquae calefacto, totum solvitur. Soluta ita parata sint clara, coloris expertia vel subflava; olei guttae conspicuae ne sint.

Salicylas natricus.

$C_6H_4.OH.COONa.$

Squamae crystallinae, coloris expertes vel fere expertes, odore carentes, quae, cum calefiunt, vapores phenolum continentes emittentes comburuntur et cinerem relinquunt carbone mixtum, qui chartam exploratoriam rubram, madefactam reddit caeruleam, flammam non lucentem statim colore valde flavo inficit, quique, addito acido hydrochlorico diluto, effervescit. Salicylas natricus in aquae partibus 0,83 et in spiritus partibus 4,3 solvitur.

Salicylas natricus, in aqua (1 = 10) solutus, addito acido hydrochlorico diluto, crystalla secernit, quae in aethere facile solvuntur. Vel in aqua (1 = 1000) solutus, addito chloreto ferrico, violaceus fit.

Salicylas natricus, in aqua (1 = 5) recens solutus, clarus, coloris expers, neutrius reactionis sit vel tantum leviter acidae. Addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet. In aqua (1 = 20) soluti centimetra cubica 5, acidi nitrici centimetro cubico 1 et spiritus centimetris cubicis 10 mixta, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, clara sint per horae partem non minus quam duodecimam.

Salicylatis natrici milligrammata 100 in acidi sulfurici centimetro cubico 1 solvantur non effervescentia. Soluta intra horae partem duodecimam ne colorentur.

Salicylas natricus cum Coffeino.

Coffeini et Salicylatis natrici totidem partes mixtae.

Solve leni calore

Salicylatis natrici 1

et

Coffeini partes singulas. 1

in

Aquae partibus tribus 3

Si opus erit filtra et filtrata in balneo aquae evapora dum supersint

partes duae 2

quas contere.

Pulvis albus, saporis subdulciter salsi, deinde amari, odoris expers, qui prudenter calefactus sublimatum album, crystallinum praebet. Additis aquae partibus 2 vel spiritus partibus 23, pulvis liquorem praebet coloris expertem, clarum, neutrius reactionis.

Sal paratus e pulvere per chloroformum plane eluto satisfaciat isdem postulatis et puritatis legibus, quibus Salicylas natricus.

Pulveris milligrammata 200 si una cum chloroformi centimetris cubicis 20 per horae partem duodecimam caloris gradu 50^0 retenta, ubi refrixerint chloroformo ad volumen prius suppleta, liquoris ita parati centimetra cubica 10 evaporata erunt, pondus eorum, quae supererunt, caloris gradu 100^0 siccatorum, non minus sit quam milligrammatum 45; eadem satisfaciant isdem postulatis et puritatis legibus, quibus Coffeinum.

+ Salicylas natricus cum Theobromino-Natrio.

Diuretinum.

Solve

Theobromini partes centum 100

in

Solutionis Hydratis natrici (pondere specifico 1,111) NaOH partes centesimas 10 continentis, carbonatis natrici expertis partibus ducentis viginti duabus 222

Hunc liquorem misce

Salicylatis natrici partibus duodenonaginta cum decimis septem 88,7

solutis in

Aquae partibus centum octoginta 180

Filtra per gossypium depuratum et filtratorum parvas partes in balneo aquae evapora. Quae supererunt, in pulverem (B_{40}) redige, quem pulverem sicces dum supersint

partes ducentae quindecim 215

Pulvis albus, saporis subdulciter salsi, deinde amari, odoris expers, qui calefactus, aquam amittens et vapores albos spargens, liquefit et, calore aucto, massam obscuram, porosam, reactionis alcalinae relinquit. In aquae pari pondere solutus pulvis liquorem praebet coloris expertem, clarum vel fere clarum, chartam exploratoriam rubram caeruleam reddentem.

In aqua ($1 = 100$) solutus pulvis, per acidum aceticum leviter acidus factus, addito chloreto ferrico, colorem violaceum trahit; pulvis solutus, per acidum hydrochloricum acidus factus, praecipitatum album deponit, quod in solutione hydratis natrici solvitur.

Pulveris milligrammata 500, in aquae centimetris cubicis 20 soluta, additis phenolphthaleini guttis 2, ut decolorentur, acidi decinormalis centimetra cubica ne plus quam 13,2 requirant.

In pulvere insint Theobromini partes centesimae fere 46,5,

id quod ita statuitur: Pulveris grammati 1 in aquae centimetris cubicis 5 soluto adde solutionis laccae musci guttam 1 et stillatim acidi hydrochlorici aqua (1 = 10) diluti tantum ut soluta rubescant; deinde colorem caeruleum revoca per ammoniae (1 = 10) dilutae guttam 1. Per horas 3, frequenter quassans, sepone; filtra per filtrum caloris gradu 100° siccatum, deinde ponderatum, diametro centimetrum 6; praecipitata bis ablue aquae centimetris cubicis quinis (5), sicca caloris gradu 100°, quo facto pondera. Theobromini ita secreti pondus sit non minus quam milligrammatum 400; satisfaciat isdem postulatis et puritatis legibus, quibus Theobrominum.

Doses maximae singulae grammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 5.

+ Salicylas phenylicus.

Salolum.

$C_6H_4.OH.COOC_6H_5$.

Pulvis albus, crystallinus, odoris et saporis subaromatici, qui caloris gradu 42° ad 43um liquescit et, aucto calore, vapores phenolum continentes emittens, comburitur nihil relinquens. Salicylas phenylicus in aqua fere non solvitur, at in spiritus partibus 15 et facile in aethere, in chloroformo, in solutione hydratis natrici solvitur.

Salicylas phenylicus in solutione hydratis natrici solutus, per acidum hydrochloricum acidus factus, phenolum emittit et praecipitatum deponit album, crystallinum, quod, cum recrystallisatur, isdem postulatis satisfaciat, quibus Acidum salicylicum.

In acidi sulfurici centimetris cubicis 2 Salicylatis phenylici milligrammata 100 colore flavo solvuntur; addita acidi nitrici gutta 1, soluta e purpureo violacea, deinde constanter perviridia fiunt.

Aquae centimetrum cubicorum 50 cum Salicylatis phenylici grammate 1 concoctorum, deinde refrigeratorum filtrata acidae reactionis ne sint. Filtratorum centimetra cubica 10 neve addito chloreto ferrico colore violaceo inficiantur neve addita aqua bromata turbentur neve addito acido hydrosulfurico neve nitrate barytico neve nitrate argentico statim speciem mutent.

Santoninum.

$C_{15}H_{18}O_3$.

Crystalla coloris et odoris expertia, nitida, saporis subamari, rhombea, caloris gradu 170° liquescentia; aucto calore sublimantur, dum partim dissolvuntur; cum comburuntur, nihil relinquunt. Santoninum in aqua fere non solvitur, at solvitur in spiritus partibus 52, in aetheris partibus 200, in chloroformi partibus 2,9 nec minus in oleis pinguibus. Ita solutum reactionis neutrius est.

Luci expositum Santoninum colorem flavum trahit.

Santonini milligrammata 100 in acidi sulfurici centimetro cubico 1 soluta, additis aquae centimetro cubico 1 et chloreti ferrici gutta 1, colorem trahunt obscure violaceum.

Santonini milligrammatis 100 in tubulo prudenter calefactis, sublimatum exsistit quod, additis solutionis hydratis kalici spirituosae centimetris cubicis 2, liquorem praebet rubrum.

Santonini milligrammata 100 in acidi nitrici centimetro cubico 1 soluta coloris expertia sint, in acidi sulfurici

centimetro cubico 1 soluta per horae partem non minus quam duodecimam.

Mixtorum aquae centimetrum cubicorum 4 et acidi sulfurici diluti centimetri cubici 1, cum Santonini milligrammatis 100 conquassatorum, filtrata addito iodeto kalicohydrargyrico ne turbentur.

A luce remotum servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 100.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 300.

Sapo aromaticus.

Balsamum Opodeldoch.

Solve

Saponis kalini partes viginti. 20

et

Camphorae partes duas. 2

in

Spiritus diluti partibus septuaginta quattuor 74

His adde

Olei Rosmarini partem unam 1

et

Ammoniae liquidae partes tres 3

Si opus erit, filtra.

Liquor clarus, subflavus, odoris aromatici et ammoniacalis, reactionis alcalinae. Pondus specificum 0,920 ad 0,930.

Si Saponis aromatici centimetris cubicis 5 phenolphthaleini gutta 1, deinde alcoholis absoluti centimetra cubica 5 addita erunt, liquor colorem rubrum ne trahat.

+ Sapo Cocos.

Adde

Solutionis Hydratis natrici (pondere specifico 1,244) NaOH partes centesimas 22 continentis partibus centum 100

Olei Cocos partes centum. 100

Mixta assidue agitans in balneo aquae calface dum tota saponata sint. Saponem, calore adhibito, solve in

Aquae partibus quadringentis 400

et, si opus erit, cola.

Adde

Chloreti natrici partes centum quinquaginta 150

et assidue agitans calface dum sapo totus secretus sit.

E massa saponis dura, refrigerata, liquorem inclusum et adhaerentem premendo remove; massam expressam contere

Aquae partibus quinquaginta 50

quo facto iterum exprime.

Saponem in frusta parva divisum et leni calore siccatum in pulverem (B_{30}) redige.

Pulvis albus, qui, additis aquae vel spiritus partibus 10, liquorem praebet quodammodo lacteum, calore clarescentem. Pulvis in aqua solutus vehementer spumat; addito chloreto hydrargyrico, praecipitatum pure album deponat.

Sapo Cocos chloreti natrici partes centesimas ne plus quam 2 contineat, id quod ita statuitur: Saponis Cocos grammatis 2 in aquae centimetris cubicis 50 solutis, calore adhibito, acidum nitricum dilutum adde dum acida adiposa secreta sint. Mixta refrigerata filtra et filtrum elue dum parata sint centimetra cubica 100. Quorum filtratorum centimetris cubicis 50 adde nitratis argentici decinormalis centimetra cubica 10 et solutionis sulfatis ammonicoferrici saturatae guttas 3; argenti quantitatem excedentem per sulfocyanetum ammonicum decinormale retrotitra dum color ruber oriens,

cum liquor quassatur, non statim evanescat. Solutionis nitratis argentici decinormalis adhibitae centimetra cubica singula conveniunt cum chloreti natrici milligrammatis 5,85.

+ Sapo kalinus.

Adde

Solutionis Hydratis kalici (pondere specifico 1,344) KOH partes centesimas 35 continentis partibus triginta quinque 35

Olei Sesami partes sexaginta quinque 65

Assidue agitans mixta in balneo aquae calface dum tota saponata sint. Aquam adde dum paratae sint

partes centum 100

Sapo flavoalbus, odoris fere expers, mollis, qui, in aqua vel in spiritu solutus, liquorem clarum praebet.

Sapo kalinus in spiritu (1 = 10) solutus caloris gradu 15° ne post horas 24 quidem quicquam secernat (*oleum Arachidis*), addito phenolphthaleino ne coloretur.

Acida adiposa e Saponis kalini grammatis 10 secreta ne reagant in oleum Gossypii.

Sapo medicatus.

Adde

Solutionis Hydratis natrici (pondere specifico 1,384) NaOH partes centesimas 35 continentis partibus quinquaginta sex 56

Olei Olivarum partes centum 100

Assidue agitans mixta in balneo aquae calface dum tota saponata sint. Saponem, calore adhibito, solve in

Aquae partibus trecentis 300

Adde solutas

Chloreti natrici partes triginta 30

in

Aquae partibus nonaginta 90

mixta concoque dum sapo totus secretus sit.

E massa saponis dura, refrigerata, liquorem inclusum et adhaerentem premendo remove, massam expressam contere

Aquae partibus quinquaginta 50

quo facto iterum exprime.

Saponem in frusta parva divisum et leni calore siccatum in pulverem (B_{30}) redige.

Pulvis albus, odoris fere expers, qui in aqua vel in spiritu solutus liquorem clarum praebet.

Pulvis in spiritu (1 = 25) solutus caloris gradu 15^0 ne post horas 24 quidem quicquam secernat (*oleum Arachidis*) neve gelatinosus fiat neve addito phenolphthaleino coloretur.

Acida adiposa e Saponis medicati grammatis 5 secreta ne reagant in oleum Sesami neve in oleum Gossypii.

Sapo medicatus chloreti natrici partes centesimas ne plus quam 2 contineat, id quod ita statuitur: Saponis medicati grammatis 2 in aquae centimetris cubicis 50 solutis, calore adhibito, acidum nitricum dilutum adde dum acida adiposa secreta sint. Mixta refrigerata filtra et filtrum elue dum parata sint centimetra cubica 100. Quorum filtratorum centimetris cubicis 50 adde nitratis argentici decinormalis centimetra cubica 10 et solutionis sulfatis ammonicoferrici saturatae guttas 3; argenti quantitatem excedentem per sulfocyanetum ammonicum decinormale titra dum color ruber oriens, cum liquor quassatur, non statim evanescat. Solutionis nitratis argentici decinormalis adhibitae centimetra cubica singula conveniunt cum chloreti natrici milligrammatis 5,85.

Sapo medicatus caloris gradu 100^0 siccatus ponderis ne plus quam partes centesimas 5 amittat.

+ Sapo superadipatus.

Misce

Adipis Lanae partes quattuor 4
Saponis kalini partibus viginti 20

et

Saponis medicati partibus septuaginta sex . 76

Mixta preme in formam requisitam.

Frusta e subflavido alba, dura, quae persecta quoque colorem aequalem exhibeant.

Sapo superadipatus, addita aqua, liquorem turbidum praebet.

Sapo superadipatus in spiritu (1 = 25) solutus clarus sit, addito phenolphthaleino ne coloretur.

+ Sapo superadipatus cum Pice liquida.

Misce

Adipis Lanae partes quattuor 4
Picis liquidae partibus quinque 5
Saponis kalini partibus quindecim. 15
Saponis medicati partibus septuaginta sex . 76

Mixta preme in formam requisitam.

Frusta clare fusca, dura, picem liquidam redolentia, quae persecta quoque colorem aequalem exhibeant.

+ Sapo superadipatus cum Sulfure praecipitato.

Misce

Adipis Lanae partes quattuor 4
Sulfuris praecipitati partibus decem. 10
Saponis kalini partibus viginti 20
Saponis medicati partibus sexaginta sex . . 66

Mixta preme in formam requisitam.

Frusta subflavida, dura, quae persecta quoque colorem aequalem exhibeant.

Secale cornutum.

Sclerotium fungi cui nomen est Claviceps purpurea, Tul., in Ann. Sc. nat. Sér. III. T. XX (1853), in agris collectum a spicis quas praebet Secale cereale, brevi ante perfectam caryopsidum maturitatem et leni calore siccatum.

Longitudo: $\bar{x}$ = millimetra 14,6, crassum millimetra ad 6,5; cum siccum est, fragile; cylindricum, simul quodammodo trigonum vel tetragonum, arcuatum, apicem et basin versus sensim attenuatum. In apice nonnunquam pileolus sordide albus (spermogonium). Superficies sulcis directis, e quibus 2 vel 3 plerumque ceteris multo altiores sunt; saepe quoque rimis et directis et transversis; non nitide e griseo, nonnunquam e violaceo nigra, subpruinosa. Fractura transversa plana, non nitida, e violaceo alba.

Odor quantitatis maioris ingratus; sapor exiguus, subdulcis, deinde subacer.

Secale cornutum combustum cineris ne plus quam partes centesimas 5 relinquat.

Secale cornutum ne diutius quam unum annum servetur. Pulvis ex tempore paretur.

Per calcem vivam servandum.

Doses maximae singulae grammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 5.
Infusorum
Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 10.

+ Semen Colchici.

Semina matura quae fert Colchicum autumnale, LINN. Sp. Pl. 341.

Millimetra ad 3 longa, cornea; non facile in pulverem rediguntur; fere globosa, nonnunquam plus minusve angulosa vel oblonga, in altera parte strophiolo acuto vel enormiter placentiformi, plus minusve corrugato, fusco vel albido. Spermodermis tenuis, dura, parum rugosa, punctis tenuissimis, non nitida, admodum obscure rubrofusca. Endospermium magnum, corneum, sordide album. Embryo millimetri dimidiam partem (0,5) longus, in endospermio fere adversus hilum positus.

Odor nullus; sapor peramarus.

Semen Colchici ne diutius quam unum annum servetur.

+ Semen Crotonis.

Semina quae praebet Croton Tiglium, LINN. Sp. Pl. 1004.

Longitudo: M = millimetra 10,5, Q = millimetri 0,64; latitudo: M = millimetra 7,2, Q = millimetri 0,4; oblonga extremitatibus obtusis, margine subacuto, directo in partes 2 non prorsus aequas divisa, quarum altera magis arcuata, non raro lateribus 2 magis directis et costa obtusa, altera lateribus 2 directis et costa subobtusa; unde totum semen transverse persectum saepe enormiter, obtuse rhombeum est. Spermodermis dura, fragilis, non nitida, coloris diversissimi, prout desquamata est; stratum extremum tenue, coloris cinnamomei, sub quo stratum tenue, coloris fuscoflavi, tandem stratum crassius, fusconigrum, ita ut semina coloris cinnamomei et fuscoflavi et nigri et multa his coloribus 3

enormiter maculata adsint. Stratum intimum, proximum nigro interdum partim cum nucleo coniunctum est (tegmen), membranaceum, nitide argenteum, perlucidum venis tenuibus, ramosis. Hilus in altera extremitate lateris minus arcuati, parvus, oblongus; iuxta, apicem versus, interdum nonnullae reliquiae siccatae carunculae. Raphe tamquam linea acuta praeter costam lateris minus arcuati perducitur ad alteram seminis extremitatem, ibique in chalaza, parvo puncto obscuro, finitur. Nucleus semen totum complet; endospermium magnum, album, oleo pingui abundans, quod ungue exprimitur; intra endospermium caverna plana, marginibus acutis, latitudinis fere partis dimidiae seminis; in ea est embryo. Radicula et internodium hypocotylum tumide cylindrica, per endospermii foramen ad huius superficiem perducuntur. Cotyledones millimetra fere 7 longae, tenues, albae, ovales ad oblongas, penninerves, apice acuto, basi quodammodo emarginata, margine integro.

Odor nullus; sapor seminis admodum venenosi prius oleaceus, deinde acer.

Semen Crotonis ne diutius quam unum annum servetur.

Semen Lini.

Semina quae fert Linum usitatissimum, Linn. Sp. Pl. 277.

Millimetra 4 ad 6 longa, lata millimetra 2 ad 3, crassa millimetra 0,75 ad 1,5; pondus: milligrammatum 5 ad 10; oblongoovata, acuta, compressa, utrimque quodammodo convexa, marginibus satis acutis. Spermodermis seminum emollitorum facile finditur in strata 2, quorum interius (tegmen) quoque endospermium continet. Testa flavida ad fuscam, tenuis, fragilis, nitida, crebris sulcis minimis,

rotundis. Hilus in margine, paulum recurvus prope apicem, linearis, coloris clarioris. Micropyle, punctum parvum, obscurum, paulum supra hilum. Raphe, lineola tenuis, coloris clarioris, secundum marginem hili ad seminis extremitatem obtusam ducta. Chalaza, macula parva coloris clarioris, anguste oblonga in extremitate obtusa. Nucleus endospermio tenui, albo, embryonem undique cingente, spermodermidi affixo. Embryo, semen fere prorsus implens, flavido-albus; radicula acute conica, millimetrum 1 longa; cotyledones ovales, basi paulum incisa, compressoglobosae; plumula minime exculta.

In aqua emollita, epidermide tumescenti, admodum lubrica.

Odor nullus; sapor mucilaginosus, dulce oleaceus, non rancidus.

+ Semen Myristicae.

Nux moschata.

Nuclei seminum quae fert Myristica fragrans, Houtt. Handleid. III. 333, adhuc tegmine circumdati.

Centimetra ad 3,5 longi, crassi centimetra 2,8, ovales vel quodammodo ovati. Hilus indicatur eminentia in extremitate crassiore, paulum extra centrum posita, parva, orbiculari, diametro millimetrum 5; in cuius fere medio foramen parvum, micropyle. Chalaza indicatur loco impresso minore, rotundo, in extremitate contraria, item paulum extra centrum, at in altera parte posito, in quo punctum prominens. Raphe indicatur sulco lato, non alto, hilum et chalazam coniungente. Superficies porro undique praedita rete sulcorum per longitudinem ductorum, ramosorum ut sunt nervi, angustorum, non altorum; clare fusca, hilus coloris multo clarioris, chalaza obscurioris; omnia calce conspersa, alba. Tegmen,

prorsus cum nucleo coalitum, tenue, persectum admodum fuscum, emittit laminas crassiores, tortas, enormiter ramosas, usque ad medium ductas, extremitatibus obtusis, in endospermium, quod inde marmoratum est; quae laminae admodum fuscae, quodammodo granosae sunt; in semine recens persecto oleo humidae. Endospermium clare fuscum, nitore pingui; loculorum per laminas effectorum spatia media singula singulis lineis fere albis definita sunt. Embryonis reliquiae vietae in cavo sub hilo positae sunt.

Odor aromaticus; sapor aromaticus, calidus, subamarus.

Semen Myristicae ab insectis adesum reiciatur.

Quo loco Semen Myristicae acu punctum erit, olei guttula egrediatur atque in omnes partes dispergatur.

+ Semen Sinapis.

Semina quae praebet Brassica nigra, Koch, in Roehl. Deutschl. Fl. ed. 3. IV. 713.

Millimetrum 1 ad 1,5 longa, ovalia vel subglobosa, dura. Hilus in altera extremitate sita est parva macula, rotunda, alba; ubi radicula sita sit, saepe cognosci potest e rugis spermodermidis. Superficies reticulatione tenui macularum prominentium, quinquangularum ad sexangulas, unde scrobiculata est, obscure vel clare rubrofusca, hic illic parvis ramentis albis. Albumen deest. Embryo e subviridi flavus, curvus; ambae cotyledones obcordatae in unam partem ad radiculam reflexae sunt et secundum costam eodem replicatae, cum radicula in sulco ita effecto sita sit.

Microscopia pulveris. Crebrae olei guttae (in hydrate chlorali); ceterum pulvis totus elementis duobus constat: embryonis partibus coloris expertibus et spermodermidis frustulis maioribus et minoribus, plerumque rubrofuscis. Embryonis

partes totae cellulis parenchymaticis constant angulosis, leptotichis; saepe telae diversae cognosci possunt, imprimis tela columnaris et epidermis; cellulae omnes impletae sunt crebris granis aleuri, ad 25 μ longis, enormiter oblongis, granulis tenuibus propter crebra globoidea parva (in oleo caryophyllorum). Solutio hydratis kalici telam colore clare flavido inficit. Frustula spermodermidis plerumque fere omnia strata exhibent sive supra sive infra sive transverse persecta visa. A parte exteriore ad interiorem distingui possunt: 1^0 epidermis; cellulae compressae, angulosae, admodum pachytichae, facile in mucilaginem transeuntes, coloris expertes; 2^0 stratum unum cellularum maximarum, quarum circuitus cum reticulatione seminis exterioris conveniunt, leptoticharum, coloris expertium; 3^0 stratum unum cellularum columnarium valde radialiter extentarum, quae longitudine alternanti partem exteriorem versus cava modo pelvium vel sulcos parvos efficiunt, in quibus singulis singulae cellulae strati secundi insunt; membranae interiores et ima pars membranarum lateralium, praesertim sursum, valde tumefactae, rubrofuscae, membranarum lateralium summa pars et membranae exteriores tenues; in hoc strato fines cavorum modo pelvium maculis fuscis designantur; 4^0 strata nonnulla cellularum compressarum, perfuscarum, in pulvere plerumque non conspicua; 5^0 stratum unum cellularum multum olei continentium, multangularum, satis altarum, membranis vix tumefactis, quod stratum in pulvere saepe separatum adest; 6^0 strata cellularum endospermii compressarum, multangularum, leptoticharum, coloris expertium, quae quoque inter embryonis partes inveniuntur et saepe cum iis coniunctae sunt. Satis amyli granorum diametro 1 ad 2 μ; saepe non ita crebrae in embryonis cellulis parenchymaticis simul adsunt.

Semen Sinapis cum siccum est, odorem nullum spargit; in pulverem redactum et aqua mixtum, liquorem reactionis

acidae praebet oleum sinapis redolentem; cum manducatur, sapor prius est leniter oleaceus, mox acerrimus, urens.

Semen Sinapis myronatis kalici tantum contineat, ut, cum dividitur, per myrosinum, quod in semine inest, sulfocyaneti allylici non minus quam centesimae partis decimas septem (0,7) praebeat, id quod ita statuitur: In pulveris Seminis Sinapis grammata 5 in cucurbita infunde aquae centimetra cubica 100; cucurbitam claude et frequenter convertens sepone per horas 2 caloris gradu 25°. Deinde adde spiritus centimetra cubica 20 et mixtorum tantum (centimetra cubica fere 50) destilla ut oleum totum transierit; destillata in ammoniae centimetra cubica 10 excipe. Destillatis adde nitratis argentici milligrammata 250 soluta in aquae centimetris cubicis 10, conquassa, sepone per horas 12, ad caloris gradum 80um calface, refrigera, quibus factis sulfidum argenticum, quod exstitit, pondera; ne sit minus quam milligrammatum 90.

Pulvis Seminis Sinapis combustus cineris ne plus quam partes centesimas 8 relinquat.

+ Semen Staphisagriae.

Semina matura quae praebet Delphinium Staphisagria, Linn. Sp. Pl. 531.

Longa millimetra ad 8,5, ad 6,5 lata, crassa ad 3. Pyramides quadrangulae admodum enormes, a lateribus quodammodo compressae, costis angulosis; latus unum multo latius ceteris et conspicue arcuatum. Testa non valde crassa, subflexilis, non fragilis, interdum hic illic membranula tenui, grisea obducta. Superficies reticulatorugosa, maculae sunt loca altius depressa; coloris non nitide nigrofusci, terreni. Hilus in apice, non conspicuus. Raphe

plerumque non conspicua, interdum quoque videtur margo paulum editus, ab apice ductus ad basin lateris seminis non arcuati. Tegmen tenue, nitide griseofuscum, satis firmiter nucleo affixum. Nucleus semen totum complet, loca impressa exhibet cum rugis seminis exterioris convenientia. Endospermium magnum, sordide album, abundans oleo pingui, quod ungue exprimitur. Embryo, millimetrum fere 1 longus, in endospermii apice positus est; radicula tumide conica; cotyledones fere orbiculares.

Odor proprius, subacer; sapor amarus et acer.

+ Semen Strophanthi.

Semina quae praebet species generis Strophanthi, probabiliter Strophanthus Kombe, OLIVER, in HOOK, Ic. Pl. t. 1098.

Semina, in apice saeta longa, cuius summa pars a latere pilis longis obsita est; in merce venali haec saeta abrupta esse solet. Semen ipsum ad centimetrum 1,7 longum, latum ad millimetra 5, crassum millimetrum fere 1,5, leve, fragile, planum, oblongum ad lanceolatum, interdum plus minusve ovatum; basis plerumque obtusa, apex acutus vel quodammodo acuminatus in saetae basin abruptam exit. Spermodermis tenuis. Hilus in basi saetae est quasi cicatrix minima, sed cum saeta remotus esse solet. Raphe est margo parum editus, qui in altero latere plano plerumque perducitur ab apice ad partes fere tres longitudinis seminis, ubi finitur, nonnunquam divisus in ramos nonnullos itaque dilatatus in partem figuram penicilli exhibentem. Superficies subnitida et tomentosa, pilis appressis, erectis, saetosis; color e subfusco albus ad clare fuscum, qui in multis seminibus, si luce quadam illustrantur, praeterea subviridis videtur. Nucleus albus, abundans oleo pingui,

quod ungue exprimitur. Endospermium tenue, embryonem undique cingens. Embryo rectus maiorem spatii partem occupat; radicula ad seminis apicem versa. Radicula et internodium hypocotylum extente cylindrica, apice acuto. Cotyledones centimetrum 1 longae, planae, lanceolatae, penninerves; in utraque parte costae nervi laterales septeni (7), apice obtuso, basi obtusa, margine integro. Plumula minima.

Multorum seminum nuclei acido sulfurico colore herbaceo inficiuntur, imprimis endospermium, non ita cotyledones.

Odor proprius, quodammodo penetrans; sapor prius oleaceus, mox peramarus.

+ Semen Strychni.

Nux vomica.

Semina quae praebet Strychnos Nux-vomica, Linn. Sp. Pl. 189.

Diametro centimetrum ad 2,8, crassa millimetra ad 6,5, discoidea, suborbicularia, saepe modo cupae non altae vel alio curvata; margo carinatus, parum eminens in ambitu obtuso. Spermodermis tenuis. Hilus in altero latere plano medio, plerumque eminentia parva, rotunda; in altero latere plano medio locus depressus parvus, rotundus, vel eminentia quoque parva. Micropyle in eminentia parva, papillata in margine; in multis seminibus margo parum eminens, angustus, hilum et micropylen coniungens. Superficies fusco-grisea, interdum subviridis, tota obducta pilis tenuibus, densis, planis, quorum apices ad circuitum versi sunt, unde quodammodo sericee nitidi et tactu pingues sunt. Endospermium eadem forma est, qua semen; intra cavo orbiculari, plano, perducto usque ad millimetrum 1 ad 2 a margine;

durum, corneum, album, quodammodo perlucidum. Embryo millimetra ad 7,5 longus. Radicula per endospermium ad micropylen perducta est, cylindrica. Cotyledones in endospermii cavo, cordatae, penninerves, nervis 5 ad 7.

Ad pulverem parandum spermodermis removeatur.

Microscopia pulveris. Cellulae parenchymaticae endospermii, angulosae, interdum oblongae, membranis admodum tumefactis, coloris expertibus, in quibus nonnunquam strata conspicua et fila quoque coniungentia protoplasmatis; lumen impletum massa granosa. Margines tumefactionis membranarum pilorum unicellularium, pulverando fissarum; extenti forma bacilli, saepe genus modo flexi, pallide flavi; pulveris seminum non decorticatorum hi margines elementum primarium sunt; spermodermide prius remota, pro rata parte paucissimi adesse possunt. Pilorum partes imae pachytichae, non fissae paucae. Olei guttae parvae (in hydrate chlorali). Amylum deest. Pulvis addito acido nitrico colore aurantiaco inficitur.

Odor nullus; sapor peramarus.

Pulvis Seminis Strychni, ante per aethera petrolei pinguedine liberatus, alcaloideorum partes centesimas 2,5 contineat, id quod ita statuitur et temperatur: Pulveris Seminis Strychni pinguedine liberati grammata 10 in chloroformi centimetra cubica 100 ante cum ammoniae centimetris cubicis 10 conquassata immitte. Frequenter et fortiter conquassa et post horas 3 chloroformum per filtrum siccum filtra, cura habita ut quam minimum evaporetur. E filtratorum centimetris cubicis 70 (= pulveris Seminis Strychni pinguedine liberati grammatis 7) chloroformum destilla; quae supererunt, in spiritus centimetris cubicis 3 solve; adde acidi hydrochlorici decinormalis centimetra cubica 10. Soluta alcaloidea acida per filtrum, aqua madefactum, filtra et parvis aquae quantitatibus elue, dum liquor defluens neutrius reactionis et alcaloideis liber sit. Acidum non coniunctum, additis haema-

toxylini guttis 2, retrotitra per solutionem hydratis kalici decinormalem. Acidi coniuncti centimetra cubica singula alcaloideorum milligrammata 36,4 indicant.

Pulvis Seminis Strychni, quem hoc experimento alcaloideorum minus quam partes centesimas 2,5 continere appareat, in pharmacopolio ne adhibeatur nisi ut misceatur pulvere alcaloideorum nimis continente. Pulveri, qui alcaloideorum plus quam partes centesimas 2,5 contineat, addendum est pulveris alcaloideis egentis vel amyli oryzae tantum ut iustus partium centesimarum numerus efficiatur.

Pulvis Seminis Strychni combustus cineris ne minus quam partem centesimam 1 neve plus quam 3 relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum 150.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 500.

+ Semen Syzygii.

Semina quae praebet Eugenia Iambolana, Lam. Encyc. III. 198 (Syzygium Iambolanum, DC. Prod. III. 259), quorum cum spermodermide stratum tenue elementorum pachytichorum, a sarcocarpio oriundorum, coaluit.

Centimetra ad 2,3 longa sunt, crassa ad centimetrum 1, cylindrica extremitatibus obtusis, paulum curvata. Nonnunquam semina 2 coaluerunt, unde forma iis est magis enormis. Spermodermis satis tenuis, chartacea, non ita fragilis; superficies exterior quodammodo aspera, obscurius fuscorubra, maculis enormibus, maioribus vel minoribus, clare fuscogriseis; superficies interior quodammodo levis, clarissime griseofusca. Hilus in altera extremitate, plerumque facile conspicuus quasi lineola obscura, interdum

quoque locus micropyles in media parte concava seminis quodammodo indicatur. Nucleus albuminis expers. Embryo totum semen complet. Radicula et internodium hypocotylum parva, cylindrica. Cotyledones permagnae, solidae, coriaceae, brevicylindricae, extremitatibus planis inter se coniunctae, ad partem exteriorem globosae exeuntes; cotyledonum superficies punctis parvis innumerabilibus, tenuissimis, paulo obscurioribus, cum glandulis interioribus convenientibus, ceterum satis plana, clarius vel obscurius silacea, sicut pars interior. Plumula parvis foliis 2.

Odor nullus; sapor valde adstringens, subaromaticus.

Semina spermodermide circumdentur, cotyledones ne sint ita siccatae ut durissimae sint neve coloris obscuri. Semen Syzygii ne diutius quam unum annum servetur.

Spermodermis ante usum removeatur.

In India Orientali Nederlandica Eugenia Iambolana inter alia nominibus *djamblang* et *djoewet* vocatur.

Sirupi.

Sirupi, nisi aliter praescriptum erit, parentur saccharum, calore adhibito, solvendo in liquore claro, parato modo sirupis singulis indicato, soluta coquendo dum leniter ebulliant, deinde despumando, denique colando.

Sirupi clari sint.

Sirupi refrigerati in lagenas siccas infundantur et loco frigido serventur.

Sirupus Althaeae.

Macera per horas 6

Radicis Althaeae in discos tenues concisae et bene ablutae partes tres 3

per

Aquae partes quadraginta quinque 45

Cola et radicem aqua superfunde ad colaturam

partium quadraginta 40

E qua colatura statim para per

Sacchari partes sexaginta 60

Sirupi partes centum. 100

Sirupus subflavus, spissior.

Sirupus Aurantiorum.

Misce

Corticis Fructus Aurantii in pulverem (A $_{1,5}$)

redacti partes decem 10

Aquae partibus viginti quinque 25

et per horas 12 in vase clauso sepone.

Massam in percolatorem inmissam per aquam percola dum paratae sint

partes duodequadraginta. 38

E quo liquore para per

Sacchari partes sexaginta duas 62

Sirupi partes centum. 100

Sirupus fuscus, aromaticoamarus.

+ Sirupus Cinnamomi.

Misce

Corticis Cinnamomi in pulverem (B_{20}) redacti

partes decem. 10

Aquae Cinnamomi partibus viginti. 20

et per horas 12 in vase clauso sepone.

Massam in percolatorem inmissam percola prius per

Aquae Cinnamomi partes viginti 20

deinde per aquam dum paratae sint

partes duodequadraginta. 38

In hoc liquore, calefaciens in balneo aquae, solve

Sacchari partes sexaginta duas. 62

Sirupus rubrofuscus, qui Corticem Cinnamomi valde redolet atque sapit.

+ Sirupus Codeini.

Sirupus continens Hydrochloratis Codeini partis centesimae partem quartam (0,25).

Solve

Hydrochloratis Codeini partem unam. 1

in

Aquae calidae partibus octo. 8

Quae soluta misce

Sirupi simplicis partibus trecentis nonaginta una. 391

Sirupus coloris expers.

+ Sirupus Diacodii.

Misce

Sirupi Althaeae

et

Sirupi Papaveris partes totidem.

Sirupus clare fuscus.

Sirupus Iodeti ferrosi. F. I.

Misce

Ferri pulverati partes duas 2

Aquae partibus sex. 6

et assidue agitans, paulatim adde

Iodii partes quattuor cum decima. 4,1

Liquorem, cum color fuscus evanuerit, filtra in

Acidi citrici partem vicesimam 0,05

et

Sacchari partes sexaginta 60

clare solutas in

Aquae partibus viginti. 20

Ferrum pulveratum in filtro ablue dum paratae sint

Sirupi partes centum. 100

Sirupus clare viridis.

Sirupus Iodeti ferrosi contineat iodeti ferrosi partes centesimas 5, id quod ita statuitur: Sirupi Iodeti ferrosi grammata 5 et aquae centimetra cubica 10 commixta per chloretum hydrargyricum decinormale titra dum praecipitatum rubrum depositum, quassatum non amplius evanescat; quod ut fiat, centimetra cubica 7,8 ad 8,1 requirantur.

In lagenis parvis, completis, bene obturatis, luci expositis servetur.

+ Sirupus iodotannicus.

Adde

Solutionis Iodii spirituosae partibus decem . . 10

Extracti Ratanhiae partes quattuor. 4

solutas, refrigeratas in

Aquae calidae partibus octoginta 80

Mixta in lagena obturata per horas 24 sepone, deinde

caloris gradu fere 50° calface per horam 1 vel tam diu ut charta, iodeto kalico cum amylo madefacta, per liquorem non amplius caerulea fiat.

Liquori admisce

Aquae partes centum 100

et in mixtis solve

Pulveris Sacchari partes trecentas decem . . 310

Si opus erit, filtra.

Sirupus clarus, pulchre ruber, qui chartam, iodeto kalico cum amylo madefactam, caeruleam ne reddat.

+ Sirupus Ipecacuanhae. F. I.

Misce

Tincturae Ipecacuanhae partes decem. 10

Sirupi simplicis partibus nonaginta 90

Sirupus subflavus.

+ Sirupus Liquiritiae.

Macera per horas 24

Radicis Liquiritiae in discos tenues concisae partes viginti quinque 25

per

Aquae partes centum viginti. 120

Cola, exprime. Liquor fac ebulliat et in balneo aquae evapora dum supersint

partes quinquaginta 50

Filtra et in filtratis, calore adhibito, solve

Sacchari partes octoginta 80

Admisce

Mellis depurati partes octoginta 80

Sirupus clare fuscus.

+ Sirupus opiatus.

Misce

Tincturae Opii partes quinque 5
Sirupi simplicis partibus nonaginta quinque 95

Sirupus flavus.

+ Sirupus Papaveris.

Misce

Fructuum Papaveris in pulverem (A $_{1,5}$) redactorum partes decem 10
Aquae partibus quadraginta 40

et sepone per horas 12.

Massam in percolatorem inmissam per aquam percola dum liquor defluens coloris fere expers sit.

Liquorem in balneo aquae calface dum albuminata coagulata sint; cola, evapora dum supersint

partes duodequadraginta. 38

E quo liquore para per

Sacchari partes sexaginta duas 62
Sirupi partes centum 100

Sirupus clare fuscus.

+ Sirupus Rhamni Frangulae.

Infunde per horam 1

Corticis Rhamni Frangulae in pulverem (A $_{1,5}$) redacti partes decem. 10

aquae tanta quantitate ut colaturae, cum desederit, adsint
partes duodequadraginta 38

E qua colatura para per
Sacchari partes sexaginta duas 62
Sirupi partes centum 100

Sirupus obscure fuscus.

+ Sirupus Rhei.

Macera, assidue agitans, per horas 24
Radicis Rhei in discos tenues concisae partes
triginta 30

per
Carbonatis natrici partes tres. 3

solutas in
Aquae partibus centum octoginta 180

Exprime et liquor fac desidat.

E liquore claro defuso, cuius adsint
partes centum quinquaginta duae 152

para per
Sacchari partes ducentas duodequinquaginta 248
Sirupi partes quadringentas 400

Sirupus obscure ruber.

Sirupus Rhoedaos.

Misce
Petalorum Rhoeados recentium partes viginti . 20
Aquae ebullientis partibus triginta quinque 35

et, interdum agitans, per horas 12 sepone.

Exprime et liquor fac desidat.

E liquore claro defuso, cuius adsint
partes duodequadraginta. 38
para per
Sacchari partes sexaginta duas 62
Sirupi partes centum 100
Sirupus obscure ruber.

Alcohol amylicus cum Sirupo Rhoeados conquassatus ne coloretur.

Sirupus Rubi Idaei.

Fructus Rubi Idaei in pultem redactos, interdum agitans, caloris gradu 20° ad 25um tam diu sepone ut paululum suci filtrati, spiritus voluminis dimidio mixtum, non amplius turbetur.

Massam exprime, sucus fac parumper ebulliat, cola, in lagenis obturatis loco frigido tam diu sepone, ut plane desederit. Liquoris clari quam plurimum defunde; quae supererunt, filtra.

Para e
Suci partibus duodequadraginta 38
per
Sacchari partes sexaginta duas 62
Sirupi partes centum. 100
Sirupus clare ruber.

Alcohol amylicus cum Sirupo Rubi Idaei conquassatus ne coloretur.

Sirupi Rubi Idaei centimetra cubica 5, cum aquae centimetris cubicis 5 et oxydi magnesici milligrammatis 100 per horae partes sexagesimas nonnullas fortiter conquassata, rubra ne sint neve filtrata rubra praebeant.

+ Sirupus Senegae.

Misce

Radicis Senegae in pulverem (A $_{1,5}$) redactae partes quinque. 5

mixtorum **Spiritus** et **Aquae** (1 = 10) partibus decem. 10

et per horas 12 sepone.

Massam in percolatorem inmissam percola per mixta spiritum et aquam dum paratae sint

partes quadraginta 40

E quo liquore para per

Sacchari partes sexaginta 60

Sirupi partes centum. 100

Sirupus fuscoflavus.

Sirupus Sennae.

Infunde per horas 2

Foliorum Sennae concisorum partes decem. . 10

aquae tanta quantitate ut colatura, cum desederit, sit

partium duodequadraginta. 38

E qua colatura para per

Sacchari partes sexaginta duas 62

Sirupi partes centum. 100

Sirupus obscure fuscus.

Sirupus simplex.

Solve, calore adhibito,

Sacchari partes sexaginta duas 62

in

Aquae partibus duodequadraginta. 38

Liquor fac ebulliat, cola, aqua dilue, dum paratae sint

partes centum 100

Sirupus coloris expers.

+ Solutio Acetatis aluminici.

Acetatis aluminici basici partes 7,5 ad 8,0 in aquae partibus 92,5 ad 92,0 solutae.

Solve

Sulfatis aluminici partes triginta 30

in

Aquae partibus octoginta 80

His adde

Acidi acetici partes triginta sex 36

deinde paulatim, assidue agitans,

Carbonatis calcici partes tredecim. 13

mixtas

Aquae partibus viginti. 20

Mixta saepe quassans sepone per horas 24; cola, exprime, filtra.

Liquor coloris expers, clarus, acidum aceticum leviter redolens, reactionis acidae. Pondus specificum 1,044 ad 1,046.

Solutionis Acetatis aluminici centimetris cubicis 10, additis sulfatis kalici milligrammatis 200, in balneo aquae calefactis, mixta concrescunt in gelatinam, quae refrigerata denuo in liquorem clarum transit.

Solutio Acetatis aluminici spiritus volumine duplici mixta tantum opalescat, ne tamen praecipitatum deponat.

Solutionis Acetatis aluminici centimetra cubica 5 acidi hydrochlorici guttis 3 mixta, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutent.

Solutionis Acetatis aluminici centimetra cubica 10, addita ammoniae quantitate excedenti, praecipitatum deponunt, cuius siccati et candefacti pondus sit milligrammatum 240 ad 270.

+ Solutio Acetatis aluminici Burowii.

Liquor Burowii.

Solve

Sulfatis kalico-aluminici partes viginti duas. . 22

in

Aquae partibus quingentis 500

Soluta misce

Solutionis Acetatis plumbici basici partibus centum 100

ante dilutis

Aquae partibus trecentis duodeoctoginta . 378

Liquor turbidus, qui sepositus sedimentum grave, album deponit et acetatis aluminici basici partem centesimam fere 1 continet.

Liquor Burowii ex tempore paretur.

+ Solutio Acetatis ammonici.

Spiritus Mindereri.

$CH_3.COONH_4$ partes fere 15 in aquae partibus fere 85 solutae.

Misce

Ammoniae liquidae partes decem 10

Acidi acetici partibus duodecim 12

Liquorem calface dum ebulliat; refrigerato tantum adde ammoniae, ut reactionis modo leviter acidae fiat. Aquam, si opus erit, adde dum pondus specificum sit 1,032 ad 1,034.

Liquor coloris expers, clarus, reactionis leviter acidae, qui, addita solutione hydratis natrici, gaz ammoniae, addito acido sulfurico, acidum aceticum emittit.

Solutio Acetatis ammonici ne addito acido hydrosulfurico neve nitrate barytico speciem mutet, neve, acidi nitrici parva quantitate addita, nitrate argentico. Ne odoris neve saporis empyreumatici sit; in balneo aquae calefactus, totus evanescat.

Solutio Acetatis plumbici basici.

Acetum Lithargyri.

Misce

Oxydi plumbici semivitrei in pulverem (B_{40}) redacti partes decem 10

Acetatis plumbici partibus triginta 30

et

Aquae partibus quinque. 5

Mixta frequenter conquassans calface dum color albus vel subrubescens albus factus sit.

Tum adde

Aquae partes nonaginta quinque 95

Frequenter conquassans per horae dimidiam partem calefacere perge, deinde in vase operto mixta fac refrigescant. Filtra et, si opus erit, adde aquam dum pondus specificum sit 1,235 ad 1,240.

Liquor clarus, coloris expers, vel leviter turbidus, plumbi partes centesimas fere 18 continens. Solutio Acetatis plumbici basici chartam exploratoriam rubram caeruleam reddit et, addito acido sulfurico diluto, acidum aceticum emittit, praecipitato albo exsistente, quod in acetate ammonico facile solvitur.

Solutionis Acetatis plumbici basici centimetris cubicis 2 aquae centimetris cubicis 20 mixtis addito acido hydrochlorico dum nihil amplius praecipitetur, cum e liquore filtrando parato plumbum relictum per acidum hydrosulfuricum remotum erit, filtrata, addita ammonia, speciem ne mutent et iis, quae de filtratis relicta erunt, evaporatis et candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Solutio Ammoniae spirituosa anisata.

Spiritus Ammoniae anisatus.

Solve

Olei Anisi partes quattuor. 4

in

Spiritus partibus septuaginta sex 76

His adde

Ammoniae liquidae partes viginti. 20

Liquor primum coloris expers, paulatim flavescens, oleum anisi et gaz ammoniae admodum redolens. Pondus specificum 0,868 ad 0,872.

Solutionis Ammoniae spirituosae anisatae centimetra cubica 10 ut neutrius reactionis fiant, acidi normalis centimetra cubica 9,6 ad 10,1 requirant.

+ Solutio Camphorae oleosa.

Oleum camphoratum.

Solve

Camphorae partes decem 10

in

Olei Olivarum partibus nonaginta 90

Soluta, si opus erit, fac subsidant, deinde oleum clarum defunde.

Liquor clarus, flavus, Camphoram admodum redolens.

A luce remota servetur.

Solutio Camphorae spirituosa.

Solve

Camphorae partes decem 10

in

Spiritus diluti partibus nonaginta 90

Si opus erit, filtra.

Liquor clarus, coloris expers, Camphoram admodum redolens et sapiens. Pondus specificum 0,887 ad 0,892.

Solutio Camphorae spirituosa cum in aquam effunditur, Camphorae flocci nivei secernuntur.

Solutionis Camphorae spirituosae centimetris cubicis 10, quassatis, aqua dilutis, ut turbatio constans exsistat, aquae centimetra cubica non minus quam 4 neque plus quam 4,5 requirantur.

Solutio Camphorae spirituosa in tubo decimetra 2 longo inclusa radium lucis polarisatae detorqueat gradus + 6,5 ad + 7.

Solutio Chloreti ferrici.

Liquor stypticus.

Chloreti ferrici partes 75 in aquae partibus 25 solutae.

Solve

Chloreti ferrici partes tres. 3

in

Aquae parte una 1

Liquor obscure croceus, clarus, acidus. Pondus specificum 1,470 ad 1,482.

Solutio Chloreti ferrici aquae quantitate quinquagies tanta diluta, addito ferrocyaneto kalico praecipitatum caeruleum, addito nitrate argentico album deponit.

Solutionis Chloreti ferrici centimetri cubici 1, mixti aquae centimetris cubicis 75 et ammoniae centimetris cubicis 7,5, filtrata reactionis alcalinae, coloris expertia sint; addito acido hydrosulfurico, ne liquore per acidum hydrochloricum acido facto quidem speciem mutent; filtratorum centimetris cubicis 3, acidi sulfurici pari volumine mixtis, cum sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetra cubica 3 prudenter superimposita

erunt, stratum confine ne coloretur; iis, quae de filtratorum centimetris cubicis 20 evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Solutio Chloreti ferrici aqua (1 = 10) mixta, addito ferricyaneto kalico, caerulea ne fiat neve virescat; addito nitrate barytico ne turbetur.

Mixtorum Solutionis Chloreti ferrici centimetri cubici 1 et aquae centimetrum cubicorum 5 vix ebullientium vapor chartam, iodeto kalico cum amylo madefactam, caeruleam ne reddat (*chlorium*); mixtis horae parte sexagesima diutius ebullientibus, liquor, refrigeratus, sit turbidus (*acidum liberum*).

Gaz oriens e frusto zinci reagente in mixta Solutionis Chloreti ferrici centimetrum cubicum 1 et acidi sulfurici diluti centimetra cubica 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Solutio Chloreti ferrici contineat ferri partes centesimas 14,8 ad 15, id quod ita statuitur: Solutionis Chloreti ferrici gramma 1 misce aquae centimetris cubicis 25; adde acidi hydrochlorici centimetra cubica 2 et iodeti kalici grammata 2; post horam 1 titra per thiosulfatem natricum decinormalem, cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica 26,4 ad 26,8 requirantur.

A luce remota servetur.

+ Solutio Chlorii.

Aqua chlorata.

Gaz Cl partes 0,4 ad 0,425 in aquae partibus 100 solutae.

Liquor flavidoviridis, clarus, chlorium admodum redolens, qui chartam exploratoriam statim decolorat neque, si evaporatus est, quicquam relinquit.

Solutionis Chlorii centimetra cubica 25, additis iodeti kalici grammatis 2, ut decolorentur, thiosulfatis natrici decinormalis centimetra cubica ne minus quam 28 neve plus quam 30 requirant.

A luce remota servetur in lagenis completis, epistomiis vitreis clausis.

+ Solutio Chloroformi aquosa.

Aqua chloroformata.

Solve

Chloroformi partes quattuor 4

in

Aquae partibus mille. 1000

Liquor clarus, coloris expers, Chloroformum redolens.

Solutio Chloroformi aquosa ex tempore paretur.

+ Solutio Citratis magnesici.

Solve

Acidi citrici partes quindecim 15

in

Aquae calidae partibus quinquaginta 50

His adde

Carbonatis magnesici partes decem. 10

Liquorem, cum acidum carbonicum emittere destiterit, filtra et filtratis refrigeratis aquam adde dum paratae sint

partes centum 100

Liquor coloris expers, clarus, reactionis acidae, Citratis magnesici partes centesimas 20 continens.

Solutio Citratis magnesici ex tempore paretur.

Solutio Ferri albuminata.

Solutio Albuminatis ferrici dialysata.

Solve

Albuminis Ovorum sicci partes centum viginti 120

in

Aquae partibus mille 1000

et cola.

Solutorum partes mille 1000

adde agitans commixtis

Solutionis Chloreti ferrici partibus viginti. . . 20

et

Aquae partibus septuaginta quinque. . . . 75

Per horae partem dimidiam sepone, deinde filtra.

Filtrata in dialysatore aperto dialysa, dum liquor, paratus mixtis dialysatorum centimetris cubicis 2 et chloreti natrici (3 = 10) centimetris cubicis 4 filtrandis, additis acidi hydrochlorici diluti guttis nonnullis, vix coloretur addito sulfocyaneto kalico.

Modo infra indicato, quantum ferri dialysata contineant, statue atque dialysata adeo auge, ut, additis Spiritus Cinnamomi partibus centesimis 10, ferri contineant partes centesimas 0,175, id quod convenit cum oxydi ferrici partis centesimae parte quarta (0,25).

Liquor clarus, rubrofuscus, qui chartam exploratoriam reddit rubram, chartam congo non mutat.

Mixtorum Solutionis Ferri albuminatae centimetrum cubicorum 2, aquae centimetrum cubicorum 4, acidi nitrici centimetri cubici 1 calefactorum filtrata addito nitrate argentico vix turbentur.

Solutio Ferri albuminata evaporata non minus quam partes centesimas 6,2 relinquat.

Quantum insit ferri, ita statuitur: Solutionis Ferri albuminatae grammata 20 cum acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 30 per horae partes sexagesimas nonnullas

in balneo aquae calface et, refrigerata, aqua dilue ad centimetra cubica 100, quae filtra. Filtratorum centimetris cubicis 50 permanganatis kalici (1 = 200) tantum (centimetra cubica fere 4) adde, ut color ruber non amplius statim evanescat, quo facto leniter calface dum color ruber evanuerit. In liquore refrigerato solve iodeti kalici gramma 1 et post horam 1 titra per thiosulfatem natricum decinormalem, cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica 3,1 requirantur.

+ Solutio Ferri pomata.

Tinctura Ferri pomata.

E pomis acidis, recentibus, vix maturis para

Suci partes mille 1000

His adde

Ferri pulverati partes viginti 20

Per dies 2, calore non adhibito, sepone, tum per dies 8 digere, quo facto cola et liquorem colatum evapora dum, additis

Spiritus Cinnamomi partibus sex 6

Liquoris aquosi partibus nonaginta quattuor 94

in liquore ita parato ferri partis centesimae decimae sex (0,6) insint.

Liquor nigrofuscus, clarus, quodammodo saporis ferri.

Quantum insit ferri, ita statuitur: Commixtis Solutionis Ferri pomatae grammatis 10 et acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10, calefactis in balneo aquae, stillatim adde tantum permanganatis kalici (1 = 200), ut color ruber non amplius statim evanescat; cum spiritus guttis nonnullis liquorem calface ut permanganatis kalici quantitas excedens dissolvatur. In liquore ita parato, refrigerato, iodeti kalici grammata 2 solve et post horam 1 titra per thiosulfatem natri-

cum decinormalem, cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica ne minus quam 10,7 requirantur. Thiosulfatis natrici centimetra cubica singula ferri indicant milligrammata 5,6.

Solutio Formaldehydi.

Formalinum.

HCOH partes 33 ad 34 in aquae partibus 67 ad 66 solutae.

Liquor coloris expers, clarus, odoris admodum pungentis, reactionis neutrius vel leviter acidae; aqua vel spiritu pro qualibet portione mixtus, clarus est; in balneo aquae evaporatus massam albam, solidam relinquit, quae, prudenter calefacta, tota volatilis fit.

Solutio Formaldehydi e nitrate argentico, cui ammoniae tantum additum est, ut praecipitatum prius depositum rursus solutum sit, calore non adhibito, stratum argenti secernit. Solutio Formaldehydi, per ammoniam alcalina facta, liquorem coloris expertem praebet, qui, in balneo aquae evaporatus, massam albam, crystallinam relinquit, quae in aqua facile solvitur.

Solutio Formaldehydi, aqua (1 = 5) mixta, ne addito acido hydrosulfurico neve ferrocyaneto kalico neve nitrate barytico neve nitrate argentico speciem mutet.

Solutionis Formaldehydi centimetra cubica 10, alcali decinormalis centimetris cubicis 2,5 mixta, ne sint reactionis acidae.

Solutionis Formaldehydi centimetrum cubicum 1, mixtum solutionis iodii centimetris cubicis 5 et ammoniae tanta quantitate, ut liquor clarus, coloris expers exsistat, intra horae 1 spatium ne turbetur neve iodoformum redoleat (*acetonum*).

Solutionis Formaldehydi centimetris cubicis 3 mixtis

alcali normalis centimetris cubicis 50 si paulatim solutionis peroxydi hydrogenii, ante neutrius reactionis factae, centimetra cubica 100 addita erunt, et horae parte dimidia postquam gaz emitti destiterit mixta per acidum normale, lacca musci indicatore, retrotitrabuntur, ut neutrius reactionis sint acidi normalis centimetra cubica ne plus quam 14,5 neve minus quam 13,4 requirantur.

A luce remota servetur.

+ Solutio Gummi arabici.

Solve

Gummi arabici partes decem. 10

in

Aquae partibus nonaginta 90

+ Solutio Gummi plastici in Chloroformo.

Traumaticinum.

Solve

Gummi plastici depurati in frustula concisi partes decem 10

in

Chloroformi partibus nonaginta. 90

Liquor clarus, clare fuscus, chloroformum valde redolens, qui evaporatus membranam firmam relinquat.

+ Solutio gummosa.

Misce

Pulveris gummosi partes duas 2

Aquae partibus nonaginta octo. 98

+ Solutio gummosa tenuis.

Misce

Pulveris gummosi partem unam 1
Aquae partibus undecentum 99

Solutio Hydratis calcici.

Aqua Calcis.

Exstingue

Oxydi calcici partem unam. 1
Aquae partibus quattuor. 4

Sepone per horae partem quartam, deinde misce

Aquae partibus viginti 20

Mixta in lagena clausa, frequenter quassans, sepone per horas nonnullas; liquorem, supra positum, postquam desedit, defunde.

Sedimento admisce

Aquae partes trecentas. 300

Frequenter quassa et mixta in lagena bene clausa serva.

Antequam dispensentur mixta quassentur et liquor filtretur.

Liquor coloris et odoris expers, reactionis valde alcalinae, qui ebulliens turbatur.

Si per Solutionem Hydratis calcici ebullientem dioxydum carbonii ducetur dum praecipitatum exsistens non amplius augeatur et liquor deinde filtrabitur, filtrata ne sint reactionis alcalinae neve addito nitrate barytico neve nitrate argentico statim turbentur.

Solutionis Hydratis calcici centimetra cubica 100 ut neutrius reactionis sint, acidi normalis centimetra cubica non minus quam 4 requirant.

+ Solutio Hydratis kalici.

Hydras kalicus solutus, cuius centimetrum cubicum 1 convenit cum alcali normalis centimetris cubicis 4.

Liquor coloris expers vel subflavus, clarus, odoris expers, reactionis valde alcalinae. Pondus specificum 1,180.

Solutionis Hydratis kalici centimetrum cubicum 1 aquae centimetris cubicis 20 mixtum, addito acidi tartarici grammate 1 in aquae centimetris cubicis 5 soluto, praecipitatum album, crystallinum deponit.

Solutio Hydratis kalici flammam non lucentem colore flavo ne inficiat; addito sulfohydrate ammonico, tantummodo subviridis fiat; per acidum hydrochloricum acida facta, cocta clara sit (*silicates*); liquor acidus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet; per ammoniam rursus alcalinus factus, per non minus quam horam 1 clarus sit (*aluminium*).

Solutio Hydratis kalici, cum solutionis hydratis calcici quantitate sexies tanta concocta, filtrata praebeat solutionem hydratis calcici non amplius turbantia.

Solutionis Hydratis kalici centimetra cubica 2 acidi nitrici diluti centimetris cubicis 3 et aquae centimetris cubicis 40 mixta, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, per horae partem non minus quam centesimam vicesimam clara sint.

Solutionis Hydratis kalici centimetro cubico 1 et acidi sulfurici centimetris cubicis 3 commixtis refrigeratis si sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetra cubica 3 prudenter superimposita erunt, stratum confine ne coloretur.

+ Solutio Hydratis natrici.

Hydras natricus solutus, cuius centimetrum cubicum 1 convenit cum alcali normalis centimetris cubicis 4.

Liquor coloris expers vel subflavus, clarus, odoris expers, reactionis valde alcalinae. Pondus specificum 1,155.

Solutio Hydratis natrici flammam non lucentem colore valde flavo inficit.

Solutionis Hydratis natrici centimetrum cubicum 1, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 15, liquorem clarum praebeat. Solutio Hydratis natrici, addito sulfohydrate ammonico, tantummodo subviridis fiat, per acidum hydrochloricum acida facta, cocta clara sit (*silicates*); liquor acidus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet; per ammoniam rursus alcalinus factus, per non minus quam horam 1 clarus sit (*aluminium*).

Solutio Hydratis natrici, cum solutionis hydratis calcici quantitate quadrupla concocta, filtrata praebeat solutionem hydratis calcici non amplius turbantia.

Solutionis Hydratis natrici centimetra cubica 2 acidi nitrici diluti centimetris cubicis 3 et aquae centimetris cubicis 25 mixta, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, per horae partem non minus quam centesimam vicesimam clara sint.

Solutionis Hydratis natrici centimetro cubico 1 et acidi sulfurici centimetris cubicis 3 commixtis refrigeratis si sulfatis ferrosi (1 = 3) centimetra cubica 3 prudenter superimposita erunt, stratum confine ne coloretur.

Solutio Iodii spirituosa. F. I.

Tinctura Iodii.

Iodi Tinctura.

Solve

Iodii triti partes decem 10

in

Spiritus fortioris partibus nonaginta 90

Liquor obscure fuscus, qui calefactus totus evanescit et in aquam instillatus Iodium minutissimum secernit.

Solutionis Iodii spirituosae guttae 4, aquae centimetris cubicis 15 et ammoniae centimetris cubicis 5 mixtae, intra horam 1 iodoformum ne secernant.

Solutionis Iodii spirituosae grammata 2 et iodeti kalici milligrammata 500 et aquae centimetra cubica 25 commixta ut decolorentur, thiosulfatis natrici decinormalis centimetra cubica ne minus quam 15 neve plus quam 15,7 requirant.

A luce remota servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 150
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 600.

+ Solutio Lugoli.

Solutio Iodeti kalici cum Iodio.

Solve

Iodii partem unam 1

et

Iodeti kalici partes duas. 2

in

Aquae partibus quinque 5

Soluta dilue aqua dum paratae sint partes quingentae 500

Liquor clarus, fuscoruber, Iodium redolens.

Solutionis Lugoli centimetra cubica 50 ut decolorentur, thiosulfatis natrici decinormalis centimetra cubica ne minus quam 7,8 neve plus quam 7,9 requirant.

+ Solutio Nitroglycerini.

Lente, refrigerans adde

Acidi nitrici fortioris (pondere specifico 1,460 ad 1,480), HNO_3 partes centesimas 80 ad 86 continentis, centimetris cubicis duobus cum dimidio. . . . . cM³ 2,5

Acidi sulfurici centimetra cubica duo cum dimidio. . . . . cM³ 2,5

In ea, assidue quassans, lente stillatim infunde

Glycerini gramma unum. . . . . G. 1

cura habita ne mixtorum calor gradum 30um superet.

Mixta effunde in

Aquae centimetra cubica triginta . . . cM3 30

Mixta fac desidant; liquorem supra positum defunde et aqua ablue dum acidum totum remotum sit.

Nitroglycerinum ita paratum deinde vitreo horologii operculo noti ponderis impone, per chartam bibulam sicca, pondere statuto, in spiritus quantitate nonagies novies tanta solve.

Liquor clarus, coloris expers, neutrius reactionis, qui aquae quantitate decemplici dilutus mixta turbida praebeat e quibus, postquam liquor quievit, nitroglycerinum secernitur tamquam liquor oleaceus.

Huius Nitroglycerini gutta 1, quam charta bibula imbibit, verbere mallei discutiatur.

Doses maximae singulae milligrammatum 25.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 100.

+ Solutio Peroxydi Hydrogenii.

H_2O_2 partes 3 in aquae partibus 97 solutae.

Liquor clarus, coloris et odoris expers, saporis subacerbi, reactionis neutrius vel leviter acidae.

Solutionis Peroxydi Hydrogenii centrimetro cubico 1, mixto aquae centimetris cubicis 10 et acidi sulfurici diluti guttis 5, bichromatis kalici guttis 2 additis, liquor exsistit cyaneus, qui, cum aetheris centimetris cubicis 5 conquassatus, lente decoloratur dum aether caeruleus fit.

Solutionis Peroxydi Hydrogenii centimetra cubica 10, mixta alcali decinormalis centimetris cubicis 2 et phenolphthaleini gutta 1, colorem rubrum trahant.

Solutionis Peroxydi Hydrogenii centimetra cubica 10, mixta acidi sulfurici diluti guttis 5, ne turbentur intra horae partem duodecimam.

Solutionis Peroxydi Hydrogenii centimetra cubica 50 evaporata materiae solidae milligrammata ne plus quam 250 relinquant.

Solutionis Peroxydi Hydrogenii centimetrum cubicorum 5, aqua ad centimetra cubica 100 dilutorum, centimetra cubica 25, additis acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10, ut rubescant, permanganatis kalici decinormalis centimetra cubica 21,3 ad 22,8 requirant.

A luce remota loco frigido servetur.

+ Solutio Phenoli. F. I.

Aqua phenolata.

Solve

Phenoli partes duas 2

in

Aquae partibus nonaginta octo 98

Liquor clarus, coloris expers, Phenolum redolens.

+ Solutio Picis concentrata.

Aqua Picis concentrata.

Adde

Picis liquidae mixtae **Pulvere Pumicis,** in voce **Aqua Picis** memoratae, partibus octingentis 800

Carbonatis natrici partes viginti 20

solutas in

Aquae partibus nongentis octoginta 980

Calface, assidue conquassans, per horae partem sextam in balneo aquae; refrigerata filtra.

Liquor clarus, fuscus.

Solutio Picis concentrata ex tempore paretur.

+ Solutio Pyrophosphatis natrico-ferrici.

Solutio Leras.

Misce

Solutionis chloreti ferrici partes octo 8

Aquae partibus quingentis. 500

Hunc liquorem adde solutis

Pyrophosphatis natrici partibus duodeviginti . 18

in

Aquae partibus quingentis. 500

Mixta sepone dum clara facta sint.

Liquor subflavus, clarus, reactionis alcalinae, qui, una cum acidi acetici pari volumine calefactus, praecipitatum album, gelatinosum deponit, quod addito sulfohydrate ammonico nigrescit.

Solutio Pyrophosphatis natrico-ferrici contineat ferri partes centesimas fere 0,118, id quod ita statuitur: Commixtis Solutionis Pyrophosphatis natrico-ferrici centimetris cubicis 25 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10 adde iodeti kalici gramma 1 et post horam 1 titra per thiosulfatem natricum decinormalem; cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica 5,25 ad 5,3 requirantur.

A luce remota servetur.

+ Solutio Saccharatis Ferrici aromatica.

Tinctura Ferri aromatica.

Solve

Saccharatis ferrici partes septem 7

in

Aquae partibus sexaginta quinque cum dimidia 65,5

His adde

Sirupi simplicis partes sedecim 16

Spiritus diluti partes decem. 10

Tincturae Corticis Aurantii partem unam. . . . 1

Tincturae Cinnamomi partem dimidiam 0,5

Liquor clarus, e rubro fuscus, qui, in balneo aquae evaporatus, materiae solidae partes centesimas non minus quam 16,5 relinquat.

+ Species amarae.

Misce

Corticis Fructus Aurantii concisi (A_3) partes decem 10
Rhizomatis Calami concisi (A_3) partes decem . 10
Summitatum Absinthii concisarum (A_3) partes viginti 20
Foliorum Trifolii fibrini concisorum (A_5) partes viginti 20
Herbae Cardui benedicti concisae (A_5) partes quadraginta 40

+ Species antiaphthosae.

Misce

Foliorum Symploci concisorum (A_5) partes duas 2
Foliorum Abri concisorum (A_5) partes duas 2
Foliorum Blumeae concisorum (A_5) partes duas 2
Foliorum Hydrocotyles concisorum (A_5) partes duas. 2
Foliorum Bidentis concisorum (A_5) partes duas 2
Radicis Liquiritiae concisae (A_3) partem unam 1
Corticis Alyxiae contusi (A_5) partem unam. . . 1
Fructuum Foeniculi contusorum (A_3) partem unam 1

Species antiaphthosae in vase clauso loco sicco serventur.

+ Species laxantes.

Misce cum spiritus quantitate parva conterens

Fructuum Anisi in pulverem ($A_{1,5}$) redactorum 10

Fructuum Foeniculi in pulverem ($A_{1,5}$) redactorum 10

Pulveris Tartratis kalici acidi partes denas . . . 10

Lenissimo calore sicca, siccata misce

Foliorum Sennae concisorum (A_5) partibus quadraginta 40

et

Florum Sambuci partibus triginta 30

+ Species pectorales.

Misce

Petalorum Rhoeados concisorum (A_5) partes decem. 10

Radicis Liquiritiae concisae (A_3) partes viginti 20

Radicis Althaeae concisae (A_3) partes triginta 30

Foliorum Althaeae concisorum (A_3) partes quadraginta 40

Spiritus.

Alcohol aethylicus et aqua ita mixta, ut in mixtorum voluminibus 100 $C_2H_5.OH$ volumina 90 insint.

Liquor coloris expers, clarus, neutrius reactionis, plane volatilis, flamma paulum lucenti ardens. Spiritus, aqua pro quavis portione addita, liquorem clarum praebet. Pondus specificum 0,8338.

Quae de Spiritus centimetris cubicis 10, solutionis hydratis natrici guttis 3 mixtis, ad centimetrum cubicum 1 evaporatis supererunt, per acidum sulfuricum dilutum acida reddita, deinde calefacta, odorem nullum spargant.

Spiritus centimetra cubica 10, additis nitratis argentici et ammoniae guttis ternis (3), ad caloris gradum 60um calefacta, speciem ne mutent intra horae partem sextam (*aldehydum*).

Spiritus centimetra cubica 10, additis anilini gutta 1 et acidi acetici guttis 5, ne rubescant post horae partem duodecimam (*furolum*).

Spiritus centimetra cubica 2 si chloreti hydrargyrici guttis 6 et aquae barytae centimetris cubicis 6 mixta erunt, praecipitatum exsistat flavum, quod, liquore quassato, non evanescat; quorum mixtorum filtrata, addito sulfohydrate ammonico, ne calefacta quidem speciem mutent (*acetonum*).

Spiritus speciem ne mutet, addito acido hydrosulfurico neve ammonia neve nitrate argentico.

Spiritu acidi sulfurici pari volumini prudenter superimposito, stratum confine ne coloretur.

Quae, Spiritu sponte sua evaporato, postrema supersunt, odorem alienum ne spargant.

Spiritus aromaticus.

Spiritus carminativus.

Macera per horas 24

Herbae Maioranae concisae partes triginta .	30
Corticis Cinnamomi partes triginta	30
Seminis Myristicae partes triginta	30
Caryophyllorum partes triginta	30
Fructuum Coriandri partes sexaginta	60

omnium in pulverem (A_3) redactorum, per mixtas

Spiritus partes septingentas	700

et

Aquae partes mille trecentas 1300
Ex his destilla
partes mille 1000
Liquor clarus, coloris expers, odoris et saporis aromatici.
Pondus specificum 0,896 ad 0,902.

+ Spiritus Cinnamomi.

Macera per horas 24
Corticis Cinnamomi in pulverem (A_3) redacti
partes ducentas quinquaginta 250
per mixtas
Spiritus partes sescentas 600
et
Aquae partes mille quingentas 1500
Ex his destilla
partes mille 1000
Liquor clarus, coloris expers, odoris et saporis cinnamomei.
Pondus specificum 0,914 ad 0,920.

+ Spiritus Citri.

Macera per horas 24
Corticis Fructus Citri recentis concisi partes
quadringentas. 400
per mixtas
Spiritus partes sescentas quinquaginta. . . 650
et
Aquae partes mille centum 1100
Ex his destilla
partes mille 1000
Liquor clarus, coloris expers, citros admodum redolens.
Pondus specificum 0,902 ad 0,908.

+ Spiritus Cochleariae.

Macera per horas 24

Herbae Cochleariae recentis concisae partes octingentas 800

et

Radicis Armoraciae recentis in discos tenues dissectae partes ducentas 200

per

Aquae partes mille. 1000

His adde

Spiritus partes octingentas 800

Inde destilla

partes mille 1000

Liquor clarus, coloris expers, odoris proprii.

Pondus specificum 0,892 ad 0,898.

Commixtis Spiritus Cochleariae centimetris cubicis 2 et aquae centimetris cubicis 10 cum nitratis argentici guttae 2 et ammoniae guttae 5 additae erunt, liquor praecipitatum album deponat paulatim nigrescens.

Spiritus dilutus.

Alcohol aethylicus et aqua ita mixta, ut in mixtorum voluminibus 100 $C_2H_5.OH$ volumina 70 insint.

Liquor ponderis specifici 0,8897, qui ceterum isdem postulatis satisfaciat, quibus Spiritus.

Spiritus fortior.

Alcohol aethylicus et aqua ita mixta, ut in mixtorum voluminibus 100 $C_2H_5.OH$ volumina 95 insint.

Liquor ponderis specifici 0,8159, qui ceterum isdem postulatis satisfaciat, quibus Spiritus.

+ Spiritus Lavandulae.

Macera per horas 24

Florum Lavandulae partes ducentas quinquaginta. 250

per mixtas

Spiritus partes septingentas quinquaginta 750

et

Aquae partes mille quingentas 1500

Inde destilla

partes mille 1000

Liquor coloris expers, clarus, flores lavandulae redolens. Pondus specificum 0,891 ad 0,897.

+ Spiritus saponatus.

Adde

Solutionis Hydratis kalici (pondere specifico 1,456) KOH partes centesimas 45 continentis partibus septuaginta quinque 75

Olei Sesami partes centum nonaginta quinque 195

et

Spiritus partes ducentas 200

Mixta in lagena clausa, frequenter quassans, loco calido sepone, dum tota saponata sint, deinde adde

Spiritus partes centum quinquaginta 150

Aquae partes trecentas duodeoctoginta . . 378

Olei Lavandulae partes duas 2

Liquor pallide flavus, continens saponis kalini partes centesimas fere 30, qui, addita aqua pro quavis portione, mixta clara praebet.

Si Spiritus saponati centimetris cubicis 5 phenolphthaleini guttae 2 et acidi decinormalis centimetri cubici decima pars (0,1) additae erunt, liquor ruber ne sit.

+ Stigmata Croci.

Crocus.

Stigmata quae fert Crocus sativus, LINN. Sp. Pl. 36, parvam partem terna styli apice coniuncta.

Singula stigmata centimetra 2 ad 4 longa, supra crassa millimetra ad 4, admodum extente obtriangula, canaliculate convoluta, unde apice vel infundibuliformi, filiformia, compressa, subcurvata, margine superiore enormiter fisso et stigmatum papillis obsito, obscure ex aurantiaco fusca, quodammodo nitida, tactu quodammodo pinguia. Frustula stigmatum in aqua vix emollitorum, deinde inter chartam bibulam siccatorum, in acidi sulfurici guttam immersa, statim colorem cyaneum trahunt, qui liquorem quoque inficit et post horae partem fere centesimam vicesimam in rubrofuscum abit.

Odor admodum aromaticus; sapor amarus, aromaticus.

Stigmatis Croci cum aqua conquassatis, liquor clarus sit.

Stigmatum Croci minutorum milligrammatis 10 una cum aquae centimetris cubicis 1000 dum ebulliant calefactis, liquor refrigeratus saporis et odoris sit evidenter aromatici, coloris clare flavi, qui non minus validus sit quam color bichromatis kalici milligrammatum 50 in aquae centimetris cubicis 1000 solutorum.

Stigmata Croci, caloris gradu 100° siccata, ponderis partes centesimas ne plus quam 12 amittant. Combusta cineris partes centesimas ne plus quam 6 relinquant.

A luce remota serventur.

+ Styrax.

Balsamum coquendo paratum e ligno vulnerato quod praebet arbor cui nomen est Liquidambar orientalis, MILL. Gard. Dict. ed. VIII. N. 2.

Liquor spissior, glutinosus, fuscogriseus, non perlucidus. Odor valde aromaticus; sapor aromaticus, subacer. Styrax aqua gravior est.

In balneo aquae calefactus Styrax terebinthinam ne redoleat.

Styracis gramma 1 si cum spiritus centimetris cubicis 20 concoctum erit, pars, quae solvi non poterit, siccata caloris gradu 100°, milligrammatum ne plus quam 250 sit. Solutio spirituosa refrigerata liquor est griseus, turbidus, reactionis acidae. In aethere Styrax, quisquiliis remanentibus, facile solvitur; in aethere petrolei pars tantum solvitur, quae, aethere evaporato, massa lente fluens residet.

Ad usum Styrax purgetur in balneo aquae, calore gradum 75um non superante, prudenter calefaciendo, deinde colando.

+ Succinum.

Resina fossilis quam praebet Pinites succinifera GOEPP., partim in litus maris Suebici eiecta, partim e terrae stratis aerae lignitis et aerae diluvialis effossa.

Frustula formae variae, coloris flavi, interdum flammulis conspersa aut lactea, perlucida aut opaca, fragilia, dura, ungue non radenda, nec aqua ebullienti mollescentia, fractura conchata fulgenti. Succinum interdum bullulas aeris, nec minus insecta inclusa habet. Succinum nec facile nec aequabiliter liquescit caloris gradu 250° ad 300um.

Succinum si in tubo vitreo calefit, vapores emittuntur chartam, acetate plumbico madefactam, colore obscuro inficientes. Succinum calefactum odorem proprium spargit; valde fervefactum flamma fuliginosa conflagrat. Pondus specificum 1,0 ad 1,1.

Spiritus centimetra cubica 20 si cum pulveris Succini grammate 1 concocta et filtrata erunt, spiritus evaporati residuum odoris aromatici remaneat, quod, caloris gradu 100° siccatum, milligrammatum non minus quam 100 neque plus quam 250 sit.

Succinum combustum cineris ne plus quam partes centesimas 0,3 relinquat.

+ Succus Citri artificialis.

Solve

Acidi citrici partes decem 10

in

Aquae partibus octoginta 80

His adde

Spiritus Citri partes decem 10

Succus Citri artificialis ex tempore paretur.

Succus Liquiritiae.

Extractum cum aqua coquendo, exprimendo, evaporando paratum e Radice Liquiritiae recenti.

Bacilla signata, cylindrica, levia, nigra, subnitida, cum sicca sunt, dura et fragilia, quae calefacta flexilia fiunt. Fractura magniconchata, margine acuto, nigra, nitidissima, aeris bullulis dispersis. Odor proprius, exiguus; sapor dulcissimus.

Succi Liquiritiae grammatis 5 in aquae centimetris cubicis 50 et ammoniae 2 solutis, spiritu addito dum mixtorum volumen sit centimetrum cubicorum 100, si mixta ubi desederint filtrata erunt, ea, quae de filtratorum centimetris cubicis 10 evaporatis supererunt, ubi refrixerint in exsiccatore ponderata, ne sint minus quam milligrammatum 250.

Succus Liquiritiae glycyrrhizini contineat non minus quam partes centesimas 8, id quod ita statuitur: Filtratorum supra memoratorum centimetris cubicis 60, ad centimetra cubica 15 evaporatis, ubi refrixerunt, acidi hydrochlorici diluti centimetra cubica 5 adde; praecipitata in filtrum collecta aquae centimetris cubicis 5 elue; in ammonia solve; soluta evapora et in exsiccatore refrigera. Eorum, quae de evaporatis relicta erunt, pondus sit non minus quam milligrammatum 240. Addita aqua, liquorem praebeant, qui, vel aquae partibus bis millies quingenties (1 = 2500) tantis dilutus, manifesto dulcis sit, nullo sapore alieno.

Quae, cum Succus Liquiritiae in aqua et in ammonia solvitur, solvi non possunt, per microscopium spectanti amylum alienum ne exhibeant.

Succus Liquiritiae in pulverem crassum redactus, caloris gradu 100° siccatus, ponderis ne plus quam partes centesimas 15 amittat, combustus cineris ne minus quam partes centesimas 5 neve plus quam 8 relinquat; cuius cineris milligrammata 100, soluta in acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 5, filtrata, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutent, ne acetate natrico quidem insuper addito.

Sulfas aethylicus acidus cum Spiritu.

Elixir acidum Halleri.

Lente adde conquassans

Spiritus partibus quinquaginta 50
Acidi sulfurici partes quinquaginta. 50

et, si opus erit, refrigeratis adde Spiritum dum totum pondus sit

partium centum 100

Liquor coloris expers vel pallide flavus, odoris aetherei. Pondus specificum 1,190 ad 1,205.

Sulfatis aethylici acidi cum Spiritu grammatis 2 alcali normalis centimetris cubicis 25 mixtis paulisper concoctis, si per acidum normale retrotitratur, huius acidi, ut mixta neutrius reactionis sint, centimetra cubica 5,4 ad 5,8 requirantur.

+ Sulfas aluminicus.

$Al_2(SO_4)_3.18H_2O$.

Lamellae albae, nitidae vel frusta crystallina, saporis adstringentis. Sulfas aluminicus in aquae partibus 0,52 solvitur, in spiritu non solvitur.

Sulfas aluminicus in aqua (1 = 10) solutus chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram; addita solutione hydratis natrici, praecipitatum deponit, quod, iterum addito reagente, solvitur, e quibus solutis, una cum chloreti ammonici quantitate excedenti calefactis, praecipitatum gelatinosum secernitur; addito nitrate barytico, praecipitatum album deponit, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

Sulfas aluminicus in aqua (1 = 10) solutus coloris expers sit, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet neve addito ferrocyaneto kalico, caeruleus fiat intra horae partem sexagesimam neve addito dimethylamidoazobenzolo rubescat.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Sulfatis aluminici gramma 1 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 solutum chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Sulfatis aluminici grammati 1 in aquae centimetris cubicis 10 soluto si ammoniae quantitas excedens addita et liquor calefactus, deinde filtratus erit, iis, quae filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Sulfas Atropini.

$(C_{17}H_{23}NO_3)_2 . H_2SO_4$.

Pulvis albus, microcrystallinus, odoris expers, qui, dummodo ne lentius calefiat, caloris gradu 182° ad 183um liquescit, dum fuscus fit. Sulfas Atropini in aquae parte 1 et in spiritus partibus 3 solvitur, in chloroformo, in aethere, in benzolo fere non solvitur.

Sulfatis Atropini parva quantitas (1 ad 10 milligrammata), una cum acidi nitrosonitrici guttis 4 ad 5 in balneo aquae dum sicca sit evaporata, residuum relinquit, quod, addita solutione hydratis kalici spirituosa, colorem violaceum trahit, qui postea in rubrum transit. Sulfatis Atropini milligramma fere 1 calefactum dum nebulae exstiterint, deinde una cum acidi sulfurici centimetro cubico 1,5 calefactum dum hoc coloretur, denique, cum liquor refrixerit, aquae centimetris cubicis 2 mixtum, odorem spargit proprium qualis est florum.

Sulfas Atropini in aqua (1 = 20) solutus, addito nitrate barytico, praecipitatum album deponit, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

Sulfatis Atropini milligrammata 20 in aquae centimetro cubico 1 soluta neutrius sint reactionis; additis ammoniae guttis 2 turbantur, quae turbatio, addita aquae centimetri cubici parte dimidia (0,5), evanescat.

Sulfatis Atropini milligrammata 10, addito acidi sulfurici centimetro cubico 1, liquorem praebent coloris expertem, qui ne acidi nitrici gutta 1 quidem addita coloretur.

Sulfas Atropini in aqua (1 = 50) solutus, addito chloreto aurico, praecipitatum citreum deponit, quod initio guttis oleaceis constat, postea crystallinum fit; in aqua calefactum infra caloris gradum 100um, siccum gradu 135° ad 137um liquescit.

Sulfas Atropini combustus nihil relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 3.

Iniectionum subcutanearum

Doses maximae singulae milligrammatis partis dimidiae (0,5).

Sulfas Chinini.

$(C_{20}H_{24}N_2O_2)_2H_2SO_4.7H_2O.$

Crystalla coloris expertia, nitida, acubus similia, aere facile fatiscentia, saporis amari, quae calefacta tota comburuntur. Sulfas Chinini in aquae partibus fere 900 et in spiritus partibus fere 112 solvitur.

Sulfas Chinini in aqua (1 = 1000) solutus neutrius reactionis est; solutorum centimetra cubica 5, additis prius aquae chloratae centimetro cubico 1, deinde ammoniae guttis 5, liquorem clarum, viridem praebent; addito nitrate barytico, soluta praecipitatum album deponunt, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

Sulfas Chinini, additis acidi sulfurici diluti pari quantitate et aquae quantitate vicies tanta, liquorem praebeat clarum, caeruleo colore fluorescentem.

Sulfatis Chinini milligrammata 100, in acidi sulfurici centimetris cubicis 2 soluta, modo subflava, in acidi nitrici centimetris cubicis 2 soluta, fere coloris expertia sint.

Sulfatis Chinini grammatis 2, in stratum tenue extentis, per horam 1 caloris gradu 40^0 ad 50um calefactis itaque fatiscentibus, deinde una cum aquae centimetris cubicis 20, frequenter quassatis, caloris gradu 60^0 ad 65um per horae partem dimidiam calefactis, tum refrigeratis et per horas 2, frequenter quassatis, caloris gradu 15^0 retentis, denique per lanam vitream filtratis, liquoris ita parati centimetra cubica 5, ammoniae caloris gradus 15^i centimetris cubicis 4,5 mixta, clara sint.

Sulfas Chinini, caloris gradu 100^0 siccatus, ponderis ne amittat plus quam partes centesimas 15.

Sulfas Chinini chinini partes centesimas 73 ad 74 continet.

A luce remotus servetur.

Sulfas cupricus.

$CuSO_4 . 5H_2O$.

Crystalla caerulea, perlucida, aere sicco quodammodo fatiscentia, triclinia. Sulfas cupricus in aquae partibus 2,8 solvitur, in spiritu non solvitur.

Sulfas cupricus in aqua (1 = 100) solutus reactionis est acidae; addita ammonia, liquorem praebet obscure caeruleum; addito nitrate barytico, praecipitatum album deponit, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

E Sulfatis cuprici milligrammatis 500 in aqua solutis cupro per acidum hydrosulfuricum praecipitato, filtrata, addita ammonia, speciem ne mutent neve iis, quae relicta erunt, evaporatis et candefactis, quicquam relinquant, quod ponderari possit.

+ Sulfas ferrosus.

$FeSO_4 . 7H_2O$.

Pulvis e subcaeruleo viridis, crystallinus, aere fatiscens. Sulfas ferrosus in aquae parte 1,5 solvitur, in spiritu non solvitur.

Sulfas ferrosus in aqua (1 = 100) solutus, addito ferricyaneto kalico praecipitatum caeruleum, addito nitrate barytico album deponit, quod in acido nitrico diluto non solvitur. Per acidum aceticum acidus factus addito acido hydrosulfurico ne coloretur neve turbetur nisi levissime.

Sulfatis ferrosi grammatum 2 cum acidi nitrici diluti centimetris cubicis 3 concoctorum et ammoniae quantitate excedenti mixtorum filtrata coloris expertia sint; iis, quae de filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Sulfas ferrosus in aqua (1 = 20) solutus, addito dimethylamidoazobenzolo, ne rubescat.

Sulfatis ferrosi milligrammata 100 in aquae centimetris cubicis 75 et acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 soluta, ut rubescant, permanganatis kalici centinormalis centimetra cubica 35,4 ad 36,0 requirant.

Sulfas ferrosus exsiccatus.

Pulvis albus vel e subgriseo albus, paratus Sulfate ferroso lente exsiccando dum ponderis partes centesimas 35 amiserit.

Sulfas ferrosus exsiccatus in aqua lente solvitur in liquorem leviter opalescentem.

Sulfatis ferrosi exsiccati milligrammata 80 in aquae centimetris cubicis 75 et acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 soluta, ut rubescant, permanganatis kalici centinormalis centimetra cubica non minus quam 41,0 requirant.

Ceterum Sulfas ferrosus exsiccatus isdem puritatis postulatis satisfaciat, quibus Sulfas ferrosus.

Per calcem vivam servandus.

Sulfas kalico-aluminicus.

Alumen.

$K_2Al_2(SO_4)_4.24H_2O.$

Crystalla coloris expertia, perlucida, regularia, saporis adstringentis. Sulfas kalico-aluminicus in aquae partibus 10 solvitur, in spiritu non solvitur.

Sulfas kalico-aluminicus in aqua (1 = 20) solutus chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram; addita solutione hydratis natrici, praecipitatum deponit, quod iterum addito reagente, gaz ammoniae non emittens, solvitur, e quibus solutis, una cum chloreto ammonico calefactis, praecipitatum gelatinosum secernitur; addito nitrate barytico, praecipitatum album deponit, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

Sulfas kalico-aluminicus in aqua (1 = 20) solutus, addito acido hydrosulfurico, speciem ne mutet neve, addito ferrocyaneto kalico, caeruleus fiat intra horae partem sexagesimam.

Sulfati kalico-aluminico in aqua soluto si ammoniae quantitas excedens addita et liquor calefactus, deinde filtratus erit, ea, quae filtratis evaporatis et candefactis supererunt, satisfaciant isdem postulatis, quibus Sulfas kalicus.

+ Sulfas kalico-aluminicus exsiccatus.

Alumen ustum.

Calface

Sulfatis kalico-aluminici partes centum. 100

caloris gradu non plus quam 180°, dum supersint

partes sexaginta. 60

Pulvis albus, levis, saporis adstringentis, qui in aquae calidae partibus 20 lente solvitur in liquorem clarum, qui chartam exploratoriam caeruleam rubram reddit.

Sulfas kalico-aluminicus exsiccatus in aqua (1 = 40) solutus isdem postulatis satisfaciat, quibus Sulfas kalico-aluminicus in aqua (1 = 20) solutus.

Sulfas kalico-aluminicus exsiccatus leniter candefactus aquae partes centesimas ne plus quam 10 amittat.

Per calcem vivam servandus.

Sulfas kalicus.

K_2SO_4.

Crystalla vel crustae crystallinae, coloris expertes, durae, rhombeae vel pulvis ex iis paratus. Sulfas kalicus in aquae partibus 9,8 solvitur, in spiritu non solvitur.

Sulfatis kalici gramma 1 in aquae centimetris cubicis 20 solutum, addito acidi tartarici grammate 1 in aquae centimetris cubicis 5 soluto, praecipitatum album, crystallinum deponit; liquor clarus, inde defusus, addito nitrate barytico, praecipitatum album deponit, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

Sulfas kalicus in aqua (1 = 20) solutus clarus, coloris expers, neutrius reactionis sit; ne addito acido hydrosul-

furico neve sulfohydrate ammonico neve nitrate argentico speciem mutet; una cum carbonate natrico calefactus, clarus sit neve gaz ammoniae emittat.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in commixta pulveris Sulfatis kalici grammata 2 et acidi sulfurici diluti centimetra cubica 10 chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Sulfas magnesicus.

$MgSO_4.7H_2O$.

Crystalla tenuia, nitida, coloris expertia, rhombea, saporis amari et subsalsi, quae calore liquescentia aquam exsudant. Sulfas magnesicus in aquae parte 1,5 solvitur, in spiritu non solvitur.

Sulfas magnesicus in aqua (1 = 20) solutus, additis chloreti ammonici et ammoniae quantitate idonea et phosphate natrico, praecipitatum album, crystallinum deponit; addito nitrate barytico, praecipitatum album, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

Sulfas magnesicus in aqua (1 = 20) solutus clarus, coloris expers, neutrius reactionis sit; addito acido hydrosulfurico, ne ammoniae guttis 2 quidem insuper additis, speciem mutet; soluta, aquae pari volumine diluta, addito nitrate argentico, clara sint per horae partem non minus quam duodecimam.

Mixta Sulfatis magnesici gramma 1, oxydi calcici gramma 1, aquae centimetra cubica 2 contrita si cum aquae centimetris cubicis 4 et spiritus centimetris cubicis 6 per horas 2 frequenter conquassata, deinde spiritus centimetris cubicis 20 mixta erunt, liquoris ita parati filtrata chartam curcumae colore rubro ne inficiant (*alcalina*).

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Sulfatis magnesici gramma 1 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 solutum chartam exploratoriam, chloreto hydrargyrico madefactam, colore flavo ne inficiat intra horae partem quartam.

Sulfas natricus.

$Na_2SO_4.10H_2O$.

Crystalla coloris expertia, perlucida, monoclinia, facile aere fatiscentia, quae calore liquescentia aquam exsudant. Sulfas natricus in aquae partibus 2,7 solvitur, in spiritu non solvitur.

Sulfas natricus flammam non lucentem colore valde flavo statim inficit. In aqua (1 = 10) solutus, addito nitrate barytico, praecipitatum album deponit, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

Sulfatis natrici gramma 1, additis acidi tartarici grammate 1 et aquae centimetris cubicis 5, liquorem clarum praebeat.

In aqua (1 = 10) solutus clarus, coloris expers, neutrius reactionis sit; ne addito acido hydrosulfurico neve sulfohydrate ammonico speciem mutet; una cum carbonate natrico calefactus, clarus sit, gaz ammoniae ne emittat.

In aqua (1 = 50) solutus, addito nitrate argentico, non minus quam per horae partem duodecimam clarus sit.

Gaz oriens e zinci frusto reagente in Sulfatis natrici grammata 2 in acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 soluta chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, flavam ne reddat intra horae partem quartam.

Pro Sulfate natrico, ubi in pulvere composito praescriptus erit, par quantitas Sulfatis natrici exsiccati substituatur.

+ Sulfas natricus exsiccatus.

$Na_2SO_4.H_2O.$

Pulvis tenuis, albus, paratus Sulfatem natricum lente siccando dum dimidium ponderis amiserit.

Isdem puritatis postulatis satisfaciat, quibus Sulfas natricus, ita tamen ut ad varias reactiones Sulfatis natrici exsiccati dimidia tantum pars sumatur quantitatis in Sulfate natrico praescriptae.

Sulfas natricus exsiccatus cum caloris gradu 100^0 siccatur, ponderis ne plus quam partes centesimas 5 amittat.

Per calcem vivam servandus.

Sulfas Physostigmini.

$(C_{15}H_{21}N_3O_2)_2.H_2SO_4.$

Pulvis albus vel flavidoalbus, crystallinus, hygroscopicus, amarus, qui caloris gradu 110^0 mollescit, fere 118^0 liquescit, aucto calore nihil relinquens comburitur. Sulfas Physostigmini, addita aqua vel spiritu, liquorem praebet coloris expertem, neutrius reactionis.

In aqua (1 = 100) solutus, addito nitrate barytico, praecipitatum deponit album, quod in acido nitrico diluto non solvitur.

Sulfatis Physostigmini milligrammate fere 1 in ammoniae calefactae guttis nonnullis soluto, liquor exsistit flavoruber, qui, in balneo aquae evaporatus, reliquias caeruleas relinquit. Quae reliquiae in spiritu diluto solvuntur colore caeruleo, qui, addito acido acetico, colore rubro fluorescens, in violaceorubrum transit.

Sulfas Physostigmini, addito acido sulfurico, liquorem praebeat coloris expertem, postea flavescentem.

A luce remotus per calcem vivam servetur.

Doses maximae singulae milligrammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 3.

Sulfas zincicus.

$ZnSO_4 . 7H_2O$.

Crystalla coloris expertia, rhombea, saporis metallici acris, aere leviter fatiscentia, quae calore liquescentia aquam exsudant. Sulfas zincicus in aquae partibus 0,65 solvitur, in spiritu non solvitur.

Sulfas zincicus in aqua (1 = 20) solutus chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram; addito sulfohydrate ammonico, praecipitatum album, quod in acido hydrochlorico solvitur, addito nitrate barytico, praecipitatum album, quod in acido nitrico diluto non solvitur, deponit.

Sulfas zincicus in aqua (1 = 20) solutus, addito nitrate argentico ne turbetur neve, addito dimethylamidoazobenzolo, rubescat; additis acidi hydrochlorici guttis nonnullis et acido hydrosulfurico, speciem ne mutet; mixtus solutionis hydratis natrici tanta quantitate ut praecipitatum prius ortum solutum sit, calefactus gaz ammoniae ne emittat.

Sulfatis zincici gramma 1, additis aquae centimetris cubicis 20 et ammoniae centimetris cubicis 5, liquorem clarum, coloris expertem praebeat, qui addito carbonate ammonico vel phosphate natrico ne turbetur; si e liquoris centimetris cubicis 10 zincum per acidum hydrosulfuricum praecipitatum erit, iis, quae filtratis evaporatis relicta erunt, candefactis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Sulfidum stibicum.

Sulfur auratum Antimonii.

Sb_2S_5.

Pulvis tenuissimus, aurantiacus, odoris et saporis expers, qui in tubo calefactus, sulfidum stibiosum nigrum relinquens, sulfuris sublimatum praebet flavum. Sulfidum stibicum neque in aqua neque in spiritu solvitur.

Sulfidi stibici milligrammata 250 calefacta in acidi hydrochlorici centimetris cubicis 5 solvuntur, acidum hydrosulfuricum emittentia et sulfur relinquentia. Quibus solutis acidis aquae volumine triplici dilutis, turbatio alba exsistit, quae, additis acidi tartarici milligrammatis 500, evanescit.

Sulfidum stibicum calefactum in ammoniae quantitate ducenties tanta fere totum solvitur.

Sulfidi stibici milligrammatis 100 una cum acidi nitrici centimetro cubico 1 dum sicca sint evaporatis, iisque, quae supererunt, acidi hydrochlorici concentrati centimetris cubicis 4 mixtis, deinde filtratis, liquor ita paratus, addito chloreti stannosi pari volumine, speciem ne mutet intra horam 1.

Sulfidi stibici grammatis 1 cum aquae centimetris cubicis 20 conquassati filtrata neutrius reactionis sint neve addito nitrate barytico statim turbentur, neve addito nitrate argentico statim turbentur neve fusca fiant (*hyposulfites, sulfida solubilia*).

Acidi tartarici soluti (1 = 20) centimetrum cubicorum 10 cum Sulfidi stibici grammate 1 conquassatorum filtrata, addito acido hydrochlorico, per acidum hydrosulfuricum omnino non aut tantum exigue turbentur colore flavorubro (*oxydum stibicum*).

Per calcem vivam servandus.

+ Sulfonalum.

$C(CH_3)_2(SO_2C_2H_5)_2$.

Crystalla coloris expertia, semiperlucida, odoris et fere saporis expertia, prismatica, quae caloris gradu 125° ad 126um liquescunt, aucto calore sublimantur dum partim dissolvuntur, denique nihil relinquentia comburuntur. Sulfonalum in aquae partibus 450 et in spiritus partibus 80 solvitur. Ita solutum neutrius est reactionis.

Sulfonali milligrammatis 50 una cum carbonatis natrici anhydrici milligrammatis 100 lente calefactis dum fervefiant, mercaptanum emittitur, massa fusconigra relicta; cuius aquae centimetris cubicis 15 superfusae filtrata, admixtis aquae bromatae guttis nonnullis dum liquor subflavus sit, per acidum hydrochloricum acida facta, addito nitrate barytico, praecipitatum album deponant.

Aquae centimetrum cubicorum 50 cum Sulfonali milligrammatis 100 per horae partem sexagesimam 1 concoctorum, refrigeratorum filtrata ne addito nitrate barytico neve nitrate argentico statim turbentur; filtratorum centimetra cubica 10 addita chloreti ferrici gutta 1 tantum colore subflavido inficiantur neve addita permanganatis kalici (1 = 1000) gutta 1 decolorentur intra horae partem sexagesimam.

Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2.

+ Sulfophenylas zincicus.

$(C_6H_4.OH.SO_3.1,4.)_2.Zn.8H_2O$.

Crystalla coloris et odoris expertia, perlucida, rhombea, aere fatiscentia. Sulfophenylas zincicus in aquae partibus 2,7 et in spiritus partibus 2,7 solvitur.

Sulfophenylas zincicus in aqua (1 = 20) solutus chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram; addito sulfohydrate ammonico, praecipitatum album deponit, quod in acido hydrochlorico solvitur; addito chloreto ferrico, colorem violaceum trahit. Sulfophenylatis zincici milligrammatis 100 una cum nitratis kalici milligrammatis 500 et carbonatis natrici anhydrici milligrammatis 500 candefactis iisque, quae supersunt per acidum hydrochloricum dilutum extractis, liquor filtratus, addito nitrate barytico, praecipitatum album deponit.

Sulfophenylas zincicus in aqua (1 = 10) solutus addito acido sulfurico diluto ne turbetur neve addito dimethylamidoazobenzolo rubescat; addito nitrate barytico, clarus sit per horae partem non minus quam sexagesimam 1; mixtus ammoniae tanta quantitate ut praecipitatum prius ortum solutum sit, addito oxalate ammonico ne turbetur.

Quae de Sulfophenylatis zincici grammate 1 candefacto supererunt, milligrammatum 146 sint legibusque isdem puritatis satisfaciant, quibus Oxydum zincicum.

Sulfur depuratum.

Flores Sulfuris loti.

S.

Commisce

Sulfuris sublimati partes centum	100
Ammoniae liquidae partes quindecim	15
Aquae partes octoginta quinque	85

Mixtas subinde agita. Post horas 24 sulfur in pannum collectum tamdiu aqua elue ut liquor defluens non amplius reactionis sit alcalinae. Tum sicca caloris gradu minus quam 50°, contere, cribra.

Pulvis tenuis, odoris et saporis expers, citreus, cuius

gramma 1 coctum in solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 25 totum solvitur.

Aquae centimetrum cubicorum 10 una cum Sulfuris depurati grammate 1 conquassatorum filtrata neutrius sint reactionis.

Ammoniae centimetrum cubicorum 10 una cum Sulfuris depurati grammate 1 in cucurbita clausa per horae partem quartam frequenter quassatorum, digestorum, filtratorum centimetra cubica 5 additis acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10, ne aquae hydrosulfuratae centimetris cubicis 2 quidem deinde additis turbentur.

Sulfuris depurati gramma 1 combustum massae solidae milligrammata ne plus quam 10 relinquat.

+ Sulfur praecipitatum.

S.

Pulvis tenuissimus, flavoalbus, qui dioxydum sulfuris emittens comburitur et in sulfidi carbonici quantitate decemplici totus solvitur.

Aquae centimetrum cubicorum 10 cum Sulfuris praecipitati grammate 1 conquassatorum filtrata neutrius sint reactionis.

Ammoniae centimetrum cubicorum 10 una cum Sulfuris praecipitati grammate 1 in cucurbita clausa per horae partem quartam frequenter quassatorum, digestorum, filtratorum centimetra cubica 5 additis acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10, ne aquae hydrosulfuratae centimetris cubicis 2 quidem deinde additis turbentur.

Sulfuris praecipitati grammata 2 combusta massae solidae milligrammata ne plus quam 5 relinquant.

+ Sulfur sublimatum.

Flores Sulfuris.

S.

Pulvis tenuis, citreus, qui dioxydum sulfuris emittens comburitur.

Sulfuris sublimati gramma 1 combustum materiae solidae ne plus quam milligrammata 10 relinquat.

+ Summitates Absinthii.

Rami florentes quos fert Artemisia Absinthium, LINN. Sp. Pl. 848, collecti brevi antequam capitula aperta sunt.

Inflorescentia mixta: capitula nutantia, singula vel bina, haec in racemos, racemi in paniculas coniuncti. Bracteae ubicunque rami exeunt, etiam singulae vel binae sub singulis capitulis; superiores lanceolatae ad lineares, inferiores ad bipinnatipartitas. Rami et bracteae griseotomentosa per pilos figuram litterae T exhibentes, directos; inter eos crebri pili capitati oblongoglobosi. Capitulum diametro millimetrum ad 5, fere globosum. Involucrum foliolorum imbricatorum, quorum extrema lanceolata, intima ovalia, quaeque omnia margine plus minusve membranaceo et pilosa sunt, ita ut reliqua planta. Receptaculum minimum, solidum, pilis albis. Flores epigyni, pappi expertes. Flosculi radii non crebri, tenues, feminei; corolla tubulosa, margine integro vel denticulis non plus quam 3. Flosculi disci multi, hermaphroditi, heterodistyli, corolla tubulosa, margine denticulis 5, infra virides, supra sordide flavidi.

Odor aromaticus; sapor aromaticus, peramarus.

Suppositoria.

Suppositoria, nisi aliter praescriptum erit, ita parantur ut medicamentum Oleo Cacao misceatur, addita, si opus erit, Cerae flavae vel Olei Sesami quantitate parva, quae massa in formam requisitam redigatur.

Si pro Oleo Cacao massa gelatinosa praescripta erit, quae in Bacillis gelatinosis praescripta sunt sequi licebit.

Singula Suppositoria, nisi aliter praescriptum erit, pondus habeant grammatum 3 quae adultis, grammatum 2 quae infantibus parantur.

Talcum.

Talcum venetum.

Pulvis albus, tenuissimus, odoris expers, tactu pinguis, maximam partem silicate magnesico aquam continente constans.

Talcum in aqua non solvitur, neve acidis dilutis neve alcalinis mutetur.

Talcum candefactum speciem ne mutet.

Tannalbuminum.

Tannalbinum.

Solve

Albuminis Ovorum siccati partes decem 10

in

Aquae partibus nonaginta 90

Liquori filtrato adde in liquorem clarum solutarum

Tannini partium sex 6

in

Aquae partibus nonaginta quattuor 94

tantum (partes fere centum) quanto opus esse apparebit ad albumen praecipitandum.

Mixta calface, calore gradum 50um non superante, dum praecipitatum cohaereat, quo facto praecipitatum in pannum collectum elue

Aquae partibus centum 100

et postquam liquoris quam plurimum defluxerit, fortiter exprime. Expressa in frustula divide, quae, calore gradum 40um non superante, siccata in pulverem (B_{40}) redigantur. Pulverem in strata tenuia extentum per horas 6 caloris gradu 110^0 ad 115um calface.

Pulvis subfuscus, odoris et saporis expers, qui in aqua et in spiritu fere non solvitur.

Tannalbuminum calefactum comburitur spargens odorem albuminis ardentis proprium.

Aquae centimetrum cubicorum 10 cum Tannalbumini grammate 1 per horae partem duodecimam conquassatorum filtrata, addito chloreto ferrico, e caeruleo nigra fiunt.

Tannalbumini grammate 1 aquae centimetris cubicis 50 detrito et, additis pepsini milligrammatis 200 et acidi hydrochlorici diluti centimetri cubici partibus tribus (0,75), per horas 3, assidue quassato, caloris gradu 40^0 digesto, pondus partis non solutae, in filtrum noti ponderis collectae, ter aquae centimetris cubicis denis (10) elutae, caloris gradu 100^0 siccatae, non minus sit quam milligrammatum 600.

Tannalbumini grammate 1 modo descripto digesto et eluto, addito carbonatis natrici grammate 1,5 in aquae centimetris cubicis 100 soluto, per horas 3 caloris gradu 40^0 iterum digesto, pondus partis non solutae, in filtrum noti ponderis collectae, ter aquae centimetris cubicis denis (10) elutae, caloris gradu 100^0 siccatae, ne plus sit quam milligrammatum 350.

Tannalbuminum combustum cineris ne plus quam partem centesimam 1 relinquat.

Tannas Chinini.

Solve

Chinini partes sex 6

in

Spiritus fortioris partibus duodecim. 12

Solutas in balneo aquae calface et assidue agitans paulatim adde Tannini tantum, quantum convenit cum

Tannini siccati partibus tredecim 13

Calface in patina operta dum mixta aequabilia facta sint; quo facto effunde in

Aquae partes centum 100

Interdum malaxans sepone dum praecipitatum pulvis factus sit. Pulverem collige, fortiter exprime, fac massa, in stratum tenue extenta, aere arescat. Quo facto contere et pulverem ita paratum in balneo aquae calface.

Pulvis flavoalbus vel subflavus, saporis fere expers, qui in aqua aegre solvitur, at facilius in spiritu calido.

Tannatis Chinini milligrammata 100, aquae centimetris cubicis 5 mixta, addita chloreti ferrici gutta 1, colorem sordide violaceum trahunt.

Tannatis Chinini pars 1, additis acidi hydrochlorici parte 1 et aquae partibus 19 commixtis, liquorem fere clarum, flavum praebet.

Aquae partium 20 cum Tannatis Chinini parte 1 per horae partem duodecimam conquassatarum filtrata, per acidum nitricum dilutum acida facta, ne turbentur addito nitrate barytico neve nitrate argentico

Tannatis Chinini grammate 1 per horae partem sexagesimam cum aetheris centimetris cubicis 50 et mixtis solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 3 et aquae centimetris cubicis 7 conquassato, liquor sepositus mox in duo strata clara dividatur, in strato confini crystalla ne spectentur. Quo liquore, additis pulveris tragacanthae grammatis 2, iterum per horae partem sexagesimam conquassato,

ubi strati aetheris secreti centimetra cubica 40 in cucurbita noti ponderis evaporata erunt, pondus eorum, quae supererunt, caloris gradu 100° siccatorum, milligrammatum 232 ad 248 sit, quod convenit cum chinini partibus centesimis 29 ad 31.

Chininum, ita e Tannate Chinini secretum, satisfaciat isdem postulatis, quibus Chininum.

Tannas Chinini, caloris gradu 100° siccatus, ponderis ne amittat plus quam partes centesimas 3.

Tannas Chinini combustus cineris ne plus quam partis centesimae partem quintam (0,2) relinquat.

A luce remotus servetur.

Tanninum.

Acidum tannicum.

Squamae leves, nitidae vel pulvis levis, e griseo flavus, odoris fere expers, saporis admodum adstringentis. Tanninum leniter calefactum, additis aquae vel spiritus partibus fere paribus, liquores praebet subfuscos, reactionis leviter acidae, qui, aquae volumine quintuplici diluti, clari sint; in glycerino Tanninum facile, in chloroformo non solvitur nec magis in aethere.

Tanninum in aqua (1=30) solutum, addito chloreto ferrico, praecipitatum e caeruleo nigrum, addito tartrate kalicostibico (1=20), praecipitatum album deponit.

Tanninum in aqua (1 = 30) solutum addita ammonia ne alio colore inficiatur nisi flavofusco. Tanninum in spiritu (1 = 3) solutum admixto aetheris pari volumine ne statim turbetur (*saccharum*, *sales*).

Tannini milligrammata 500 caloris gradu 100° siccata ponderis ne plus quam milligrammata 60 amittant; quae de Tannino combusto supererunt, ponderari nequeant.

+ Tartarus boraxatus.

Solve modico calore

Biboratis natrici partes duas 2

et

Tartratis kalici acidi in pulverem redacti partes quinque. 5

in

Aquae partibus quindecim 15

Liquorem clarum evapora dum residuum, refrigeratum, fragile factum sit. Contere, nonnullas horas caloris gradu 50° calface; antequam refrixerit, in lagenam bene claudendam inmitte.

Pulvis albus, siccus, hygroscopicus, saporis acidi, qui in aquae parte 1 solvitur. Calefactus vehementer intumescit, comburitur spargens odorem velut sacchari tosti; combustus cinerem relinquit carbone mixtum, qui chartam exploratoriam rubram, madefactam caeruleam reddit, et, per acidum hydrochloricum acidus factus, chartam curcumae arescentem colore e rubro fusco inficit. Tartari boraxati gramma 1 in aquae centimetris cubicis 5 solutum, conquassatum cum acidi tartarici grammate 1 in aquae centimetris cubicis 3 soluto, praecipitatum album, crystallinum deponit.

Tartarus boraxatus in aqua (1 = 10) solutus neve addito sulfohydrate ammonico neve oxalate ammonico speciem mutet; mixtus aquae pari volumine et acidi nitrici guttis nonnullis, calefactus, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, clarus sit per horae partem non minus quam duodecimam.

Si Tartarus boraxatus solutus praescriptus erit, pro Tartari boraxati partibus 10 Biboratis natrici partes 4,25 et Tartratis kalici acidi partes 8,35 dispensari licebit.

Per calcem vivam servandus.

Tartras kalico-natricus.

Sal Seignetti.

$C_2H_2(OH)_2COOK.COONa.4H_2O.$

Crystalla coloris expertia, perlucida, rhombea, quae calore liquescunt. Tartras kalico-natricus in aquae parte 1,2 solvitur.

Tartras kalico-natricus comburitur spargens odorem velut sacchari tosti ; combustus cinerem carbone mixtum relinquit, qui chartam exploratoriam rubram, madefactam caeruleam reddit et flammam non lucentem colore valde flavo inficit. In aqua (1 = 10) solutus, cum acidi acetici pari volumine conquassatus, praecipitatum album, crystallinum deponit.

Tartras kalico-natricus in aqua (1 = 10) solutus clarus sit, coloris expers, neutrius reactionis, neve addito sulfohydrate ammonico neve oxalate ammonico speciem mutet; per acidum nitricum acidus factus, calefactus, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, clarus sit per horae partem non minus quam sexagesimam.

Tartras kalico-natricus calefactus, addita solutione hydratis natrici, gaz ammoniae ne emittat.

Tartras kalico-stibicus.

Tartarus emeticus.

$C_2H_2(OH)_2COOK.COOSbO.{}^1/_2H_2O.$

Crystalla coloris expertia, aere facile fatiscentia, quo facto perlucida esse desinunt, rhombea, vel pulvis gravis, albus. Tartras kalico-stibicus in aquae partibus 17,1 solvitur, in spiritu non solvitur.

Tartras kalico-stibicus comburitur spargens fumum album oxydi stibici et odorem velut sacchari tosti; combustus cinerem carbone mixtum relinquit, qui chartam exploratoriam rubram, madefactam caeruleam reddit, flammam non lucentem colore violaceo inficit.

Tartras kalico-stibicus in aqua (1 = 100) solutus acidae reactionis est; acido hydrochlorico instillato, praecipitatum album deponit, quod, addito acido hydrosulfurico, colorem aurantiacum trahit.

Tartratis kalico-stibici pars 1 et acidi tartarici pars 1 in aquae partibus 100 solutae, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, clarae sint per horae partem non minus quam duodecimam.

Tartratis kalico-stibici grammati 1 in acidi hydrochlorici concentrati centimetris cubicis 4 soluto chloreti stannosi pari volumine addito, liquor speciem ne mutet intra horam 1 (*arsenicum*).

Tartras kalico-stibicus in aqua (1 = 20) solutus, addito thiosulfatis natrici decinormalis pari volumine, clarus sit per horae partem non minus quam duodecimam (*tartras kalicus acidus*).

Tartratis kalico-stibici milligrammata 200 et acidi tartarici milligrammata 200 in aquae centrimetris 20 soluta, bicarbonatis natrici grammatis 2 mixta, ut flava fiant iodii decinormalis centimetra cubica requirant ne minus quam 12,0 neve plus quam 12,1.

Doses maximae singulae milligrammatum **200**.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum **500**.

Tartras kalicus acidus.

Cremor Tartari depuratus.

$C_2H_2(OH)_2COOK.COOH.$

Pulvis albus, crystallinus, reactionis acidae. Tartras kalicus acidus in aquae partibus 219, in alcalinis facile solvitur, in spiritu non solvitur.

Tartras kalicus acidus comburitur spargens odorem velut sacchari tosti; combustus relinquit cinerem carbone mixtum, qui chartam exploratoriam rubram, madefactam caeruleam reddit et flammam non lucentem colore violaceo inficit.

Tartratis kalici acidi gramma 1 in ammoniae centimetris cubicis 2 et aquae centimetris cubicis 8 solutum, addito sulfohydrate ammonico, speciem ne mutet.

Aquae centimetrum cubicorum 10 cum Tartratis kalici acidi grammate 1 per horae partem sexagesimam 1 conquassatorum, filtratorum centimetra cubica 5, aquae pari volumine diluta, additis acido nitrico et nitrate argentico, clara sint per horae partem non minus quam sexagesimam 1; filtratorum quae restant, additis acido nitrico et nitrate barytico ne turbentur intra horae partem sextam.

Tartratis kalici acidi grammate 1 cum acidi acetici centimetris cubicis 10 per horae partem sexagesimam 1 concocto, liquoris ita parati, aquae centimetris cubicis 15 diluti, refrigerati filtrata, addito oxalate ammonico, clara sint per horae partem non minus quam sexagesimam 1.

Tartras kalicus acidus, una cum solutione hydratis natrici calefactus, gaz ammoniae ne emittat.

Tela.

Textum e filis lini xylini depurati confectum, quod prostat nomine „Hydrophilgaas".

Tela isdem puritatis legibus satisfaciat, quibus Gossypium depuratum.

Pondus metrum quadratorum 3 est grammatum fere 100.

Tela cum Iodoformo.

Tela iodoformo minutissimo aequabiliter praedita.

Tela cum Iodoformo contineat iodoformi partes centesimas 10, id quod statuitur, quo modo in Gossypio cum Iodoformo praescriptum est.

Praeter Telae cum Iodoformo genus supra memoratum adesse licet Telam plus minusve iodoformi continentem, dum ne iodoformi quantitas plus quam partem vicesimam differat ab iis, quae in involucro, quo venire solet, indicata erunt.

A luce et ab aere remota servetur.

+ Terebinthina laricina.

Terebinthina veneta.

Balsamum profluens e stirpe vulnerata arboris cui nomen est Larix europaea, DC. Fl. Fr. III. 277.

Spissior, valde glutinosa, perlucida, propemodum clara, flavida. Odor proprius; sapor aromaticoamarus.

Terebinthina laricina, calore adhibito, in spiritus partibus 5 tota solvitur; ita soluta fere clara est, reactionis acidae.

Terebinthina laricina per aquam destillata, olei volatilis partes centesimae fere 15 transeunt.

Terebinthinae laricinae grammata 2, si leniter calefacta in alcoholis absoluti centimetris cubicis 20 soluta erunt et, additis phenolphthaleini guttis 10, per solutionem hydratis kalici alcoholicam seminormalem retrotitrabitur, ut soluta

rubescant, solutionis centimetra cubica 4,6 ad 5,7 requirantur. Si deinde, eiusdem solutionis centimetris cubicis 15 additis et liquore per horae partem quartam cum restillatione cocto, per acidum hydrochloricum seminormale retrotitrabitur, acidi centimetra cubica 10,7 ad 11,8 requirantur. Prior index acidimetricus inde ductus est 65 ad 80, alter 60 ad 45.

Terebinthinae laricinae partes 15 oxydi magnesici parte 1 mixtae intra unius diei spatium ne durescant.

+ Theobrominum.

$C_5H_2(CH_3)_2N_4O_2$.

Pulvis albus, crystallinus, odoris expers, saporis subamari, qui calefactus, non liquescens, sublimatur. Theobrominum in aquae partibus fere 3300, in spiritus partibus fere 4300, in aethere, in chloroformo non facile, in acidis dilutis et in alcalinis facile solvitur.

Theobromini milligrammatis 5 una cum acidi hydrochlorici gutta 1 et chloratis kalici crystallo parvo in balneo aquae calefactis, quae supererunt, fuscorubra erunt et, addita ammoniae gutta 1, colorem purpureum trahent.

Theobromini milligrammatis 20 leni calore in ammoniae centimetris cubicis 2 solutis si nitratis argentici centimetra cubica 2 adduntur, e liquore claro, postquam per horae partes sexagesimas nonnullas ebullivit, praecipitatum album, abundans deponitur, constans acubus figuram stellae efficientibus.

Benzoli centimetris cubicis 5 una cum Theobromini milligrammatis 100 ad caloris gradum 50um calefactis et, cum refrixerint, filtratis atque evaporatis, quae supererunt, ponderari nequeant (*coffeinum*).

Theobrominum et in acido sulfurico et in acido nitrico (1 = 10) solutum coloris expers sit.

Liquor paratus Theobromini milligrammata 200 una cum aquae centimetris cubicis 3 et acidi sulfurici diluti guttis 3 calefaciendo et cum refrixerunt filtrando, addito tannino, praecipitatum deponit, quod in reagentis quantitate excedenti solvitur. Ne turbetur addito iodeto kalico hydrargyrico neve aqua chlorata neve solutione iodii.

+ Thymolum.

$C_6H_3.CH_3.OH.C_3H_7.1,3,4.$

Crystalla coloris expertia, perlucida, at saepe extrinsecus non nitentia, hexagonalia, rhomboedrohemiedra, odoris proprii. Liquescunt caloris gradu 49^0 ad 50um. Ebulliunt caloris gradu 232^0 ad 234um.

Crystalla Thymoli in aqua submerguntur, sed Thymoli liquefacti guttae, crystallis in aqua calefaciendis paratae, supernatant.

Thymolum in aquae partibus 1175 et in spiritus partibus 0,4 solvitur, at facile in chloroformo et in aethere. Ita solutum neutrius est reactionis.

Thymoli milligrammata 5, in aquae centimetris cubicis 5 soluta, additis solutionis hydratis natrici gutta 1 et solutionis iodii tanta quantitate, ut color subflavus sit, calefacta rubescunt et floccos rubros deponunt. Thymolum, in aqua solutum dum saturata sit, addita aqua bromata turbatur neque tamen praecipitatum in floccos concrescit.

Thymolum, in aqua solutum dum saturata sit, addito chloreto ferrico, caeruleum ne fiat (*phenolum*).

Thymoli milligrammata 100, in balneo aquae calefacta, volatilia fiant; quae supererunt, ponderari nequeant.

Tincturae.

Tincturae, nisi modus certus praescriptus erit, parentur aut percolando aut macerando.

Percolando ita parentur: Elementi in pulverem redacti aut concisi, quemadmodum praescriptum erit, partes 3 spiritus tam fortis, quam praescriptum erit, partibus 2 humecta; mixta accurate depse, deinde per horas 12 in vase bene clauso macera. Massam saepius leviter comprimens in percolatorem inmitte atque tanta quantitate spiritus tam fortis, quam praescriptum erit, superfunde, ut liquor defluere incipiat et massa liquoris strato tenui adhuc operta sit. Percolatorem clausum per horas 24 sepone. Fac liquor stillatim defluat et spiritus quantitatem praescriptam particulatim in percolatorem inmitte. Cum liquor defluere desierit, quae percolator continet exprime atque liquores mixtos, cum per dies 2 loco frigido quieverint, filtra, cura habita ut quam minimum evaporetur.

Macerando tincturae ita parentur: Elementum in pulverem redactum aut concisum, quemadmodum praescriptum erit, spiritus ea quantitate, quae praescripta erit, superfunde; frequenter quassans a luce remotum per dies 5 sepone, cola, exprime. Liquores mixtos, cum per dies 2 loco frigido quieverint, filtra, cura habita ut quam minimum evaporetur.

Mixtis tincturae cuiusquam centimetris cubicis 10 et aquae 10 destillatis dum centimetra cubica 10 transierint, atque destillatorum centimetris cubicis 5 chloreti hydrargyrici guttis 10 et aquae barytae centimetris cubicis 10 mixtis, praecipitatum flavum exsistat, quod liquore quassato non evanescat; quorum mixtorum filtrata, addito sulfohydrate ammonico, ne calore quidem adhibito, speciem mutent.

Quid de Tincturis evaporatis supersit, statuitur tincturae

grammata 3 ad 5 in balneo aquae evaporando et ea, quae supererunt, per horam 1 caloris gradu 100° siccando.

Tincturae in lagenis bene clausis a luce remotae loco frigido serventur.

+ Tinctura Acetatis ferrici aetherea.

Solutio Acetatis ferrici aetherea.

Misce

Ammoniae liquidae partes quadraginta 40

Aquae partibus octingentis 800

His conquassans adde mixtas

Solutionis Chloreti ferrici partes viginti sex . . 26

et

Aquae partes centum 100

Fac mixta subsidant; praecipitatum, iterata decantatione, in pannum linteum collectum tam diu aqua elue, ut liquor defluens addito nitrate argentico non amplius turbetur.

Praecipitatum fortiter exprime, massam expressam in frustula comminutam, frequenter conquassans, solve in

Acidi acetici partibus quadraginta duabus . 42

Soluta filtra; filtrum tanta quantitate aquae elue ut exsistant

partes octoginta 80

His adde tam lente, ut liquorem calefieri non percipias, commixtas

Spiritus partes duodecim 12

et

Acetatis aethylici partes octo 8

Liquor clarus, rubrofuscus, acetatem aethylicum redolens, saporis acidi, adstringentis. Pondus specificum 1,049 ad 1,053.

Tinctura Acetatis ferrici aetherea ferri contineat partes centesimas non minus quam 3,7, id quod ita statuitur:

Tincturae Acetatis ferrici aethereae grammatis 5, acidi hydrochlorici centimetris cubicis 2, aquae centimetris cubicis 23 commixtis adde iodeti kalici grammata 2 et post horam 1 titra per thiosulfatem natricum decinormalem, cuius, ut mixta decolorentur, centimetra cubica non minus quam 33,2 requirantur.

+ Tinctura acida aromatica.

Paranda e

Corticis Cinnamomi in pulverem (B_{10}) redacti partibus quinque 5

Rhizomatis Zingiberis in pulverem (B_{10}) redacti partibus quinque 5

mixtis refrigeratis

Spiritus diluti partibus nonaginta 90

et

Acidi sulfurici partibus decem 10

Liquor fuscoruber, saporis acidi, aromatici.

Pondus specificum 0,943 ad 0,952.

+ Tinctura Aconiti. F. I.

Aconiti Tinctura.

Madefac

Tuberum Aconiti in pulverem (B_{30}) redactorum partes decem. 10

Spiritus diluti partibus quattuor 4

Mixta diligenter depsta in vase clauso per horas 12 macera. Massam in percolatorem inmissam leniter preme et spiritus diluti tanta quantitate superfunde, ut, mixtis adhuc liquoris strato tenui opertis, liquor defluere incipiat. Percolatorem clausum per horas 24 sepone.

Quo tempore intermisso per spiritum dilutum percola dum collectae sint

partes centum 100

Modo infra indicato, quantum alcaloideorum tinctura contineat, statue et, si opus erit, spiritus diluti adde tantum ut alcaloideorum insit partis centesimae pars quadragesima (0,025).

Liquor fuscoflavus, saporis prius amari, deinde acris, qui, linguae extremae impositus, sensum pungentem diu relinquit.

Tincturae Aconiti centimetris cubicis 2 una cum aetheris centimetris cubicis 3 et ammoniae centimetro cubico 1 conquassatis, aquae centimetris cubicis 4 additis, liquoris aetherei secreti si centimetra cubica 2, additis acidi phosphorici guttis 6, evaporata erunt, liquor calore aucto colorem trahat violaceum.

Pondus specificum 0,895 ad 0,915. Tinctura Aconiti evaporata non minus quam partem centesimam 1,4 relinquat.

Alcaloideorum quantum in Tinctura Aconiti insit, ita statuitur: Grammatis 100, in balneo aquae evaporatis ad centimetra cubica fere 15, acidi sulfurici diluti guttas adde 3 et patellam tanta aquae quantitate ablue ut mixtorum volumen sit centimetrum cubicorum 20. Filtra; filtratorum centimetra cubica 10 una cum aetheris centimetris cubicis 30 et ammoniae centimetris cubicis 4 per horae partem sexagesimam 1 conquassa; additis pulveris tragacanthi grammatis 3, iterum fortiter conquassa; de liquoris clari centimetris cubicis 20 (= tincturae grammatis 33,3) aethera destillando remove. Iis, quae supererunt, in spiritus guttis nonnullis solutis, acidi centinormalis centimetra cubica adde 10 et acidi quantitatem excedentem, additis haematoxylini guttis 2, retrotitra per alcali centinormale. Acidi centinormalis coniuncti centimetra singula indicant alcaloideorum milligrammata 6,45.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.

Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 1,5.

+ Tinctura Aloes.

Solve

Aloes partes viginti. 20

in

Spiritus diluti partibus centum 100

Filtra.

Liquor fuscoviridis, peramarus.

Mixtis Tincturae Aloes guttis 5 et aquae centimetris cubicis 25 si sulfatis cuprici guttae 4 adduntur, exsistit liquor flavus, qui, additis aquae laurocerasi centimetris cubicis 10, colorem cerasinum ad purpureum trahit.

+ Tinctura Arnicae.

Paranda e

Florum Arnicae partibus decem 10

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor subfuscus, amarus.

Tinctura Arnicae aquae pari volumine diluta, liquor flavido-alba exsistit.

Pondus specificum 0,892 ad 0,898. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1 relinquat.

Tinctura Asae foetidae.

Paranda ex

Asae foetidae in pulverem ($A_{1,5}$) redactae partibus viginti 20

et

Spiritus partibus centum 100

Liquor subfuscoflavus, Asam foetidam valde redolens.

Tinctura Asae foetidae aqua diluta, liquor admodum lacteus exsistit.

Pondus specificum 0,850 ad 0,859. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 3,5 relinquat.

+ Tinctura Aurantiorum.

Paranda e

Corticis Fructus Aurantii in pulverem ($A_{1,5}$) redacti partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor fuscoflavus, odoris aromatici.

Tincturae Aurantiorum centimetris cubicis 5 cum aetheris petrolei centimetris cubicis 10 conquassatis, cum, nullo calore adhibito, aether evaporatus erit, quae relicta erunt, oleosa sint et Corticem Fructus Aurantii valde redoleant.

Pondus specificum 0,910 ad 0,915. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 4,5 relinquat.

+ Tinctura Belladonnae. F. I.

Belladonnae Tinctura.

Paranda e

Foliis Belladonnae in pulverem (B_{30}) redactis quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Liquor fuscoviridis.

Iis, quae de Tincturae Belladonnae centimetris cubicis 5 evaporatis relicta erunt, acidi hydrochlorici diluti guttis 2 et aquae centimetris cubicis 2 mixtis, quae de filtratis evaporatis supererunt, una cum acidi nitrosonitrici guttis 3 in balneo aquae calefacta dum vapores acidi non amplius

emittantur, additis solutionis hydratis kalici spirituosae guttis 2, colorem trahant violaceum.

Pondus specificum 0,900 ad 0,910. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 2,2 relinquat.

Doses maximae singulae grammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 3.

+ Tinctura Benzoes.

Solve

Benzoes in pulverem ($A_{1,5}$) redactae partes viginti 20

in

Spiritus partibus centum 100

Liquor fuscoruber.

Tinctura Benzoes aquae pari volumine diluta, liquor exsistit flavoalbus, reactionis acidae, e quo paulatim resina secernitur.

Pondus specificum 0,873 ad 0,882. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 15 relinquat.

+ Tinctura Cantharidum. F. I.

Cantharidis Tinctura.

Madefac

Cantharidum in pulverem (B_{20}) redactarum partes decem. 10

Spiritus diluti partibus tribus 3

Per spiritum dilutum percola quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Liquor viridiflavus, saporis urentis, qui in epidermide tritus ruborem excitat.

Tinctura Cantharidum aquae pari volumine diluta, liquor lacteus exsistit.

Pondus specificum 0,900 ad 0,910. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1,7 relinquat.

Doses maximae singulae milligrammatum 200.
Doses maximae in horas vicenas quaternas milligrammatum 600.

+ Tinctura Capsici.

Maceratione paranda e

Fructuum Capsici calicibus et seminibus liberatorum et minutissime concisorum partibus decem. 10

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor clare rubrofuscus, qui, aquae volumine vel decemplici dilutus, saporis est acerrimi et in epidermide tritus ruborem excitat.

Pondus specificum 0,895 ad 0,910. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1,5 relinquat.

+ Tinctura Catechu.

Paranda e

Catechu in pulverem ($A_{1,5}$) redacti partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor fuscus, saporis adstringentis.

Mixtis Tincturae Catechu guttae 1 et spiritus guttis 10 chloreti ferrici gutta 1 addita, liquor viridiniger exsistit.

Pondus specificum 0,945 ad 0,953. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 15 relinquat.

Tinctura Chinae.

Paranda e

Corticis Chinae in pulverem (B_{30}) redacti partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor fuscoruber, peramarus.

Mixtorum Tincturae Chinae centimetrum cubicorum 2 et solutionis acetatis plumbici basici centimetri cubici 1 filtratis evaporatis, ea, quae supererunt, in aquae acidum sulfuricum continentis centimetris cubicis 2 soluta, deinde filtrata, additis deinceps aqua chlorata et ammonia, colorem viridem trahant.

Pondus specificum 0,910 ad 0,918. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 4,5 relinquat.

Tinctura Chinae composita.

Tinctura composita Whytii.

Paranda e

Corticis Chinae in pulverem (B_{30}) redacti partibus viginti 20

Corticis Fructus Aurantii in pulverem ($A_{1,5}$) redacti partibus viginti. 20

Radicis Gentianae in pulverem (B_{10}) redactae partibus viginti 20

Spiritus diluti partibus trecentis. 300

Liquor fuscoruber, odoris aromatici, saporis amari.

Pondus specificum 0,910 ad 0,918. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 4 relinquat.

Hanc tincturam parari licet miscendis totidem partibus Tincturae Gentianae, Tincturae Chinae, Tincturae Aurantiorum.

+ Tinctura Cinnamomi.

Paranda e

Corticis Cinnamomi in pulverem (B_{20}) redacti partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor rubrofuscus, saporis dulcis, aromatici, paulum adstringentis.

Pondus specificum 0,895 ad 0,903. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 2 relinquat.

+ Tinctura Colchici. F. I.

Colchici Tinctura.

Madefac

Seminis Colchici recens moliti partes decem. 10

Spiritus diluti partibus tribus 3

Per spiritum dilutum percola quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Liquor flavus, saporis amari.

Iis, quae de Tincturae Colchici centimetro cubico 1 evaporato supererunt, acidi sulfurici guttis 5 mixtis, deinde addito nitratis kalici granulo, si mixta agitantur, striae exsistunt e caeruleo violaceae, quae mox pallescunt; deinde addita ammoniae quantitate excedenti, mixta colorem trahunt aurantiacum.

Pondus specificum 0,900 ad 0,910. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1,4 relinquat.

Doses maximae singulae grammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 3.

Tinctura Digitalis. F. I.

Digitalis Tinctura.

Paranda e

Foliis Digitalis in pulverem (B_{30}) redactis

quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Tincturae Digitalis centimetris cubicis 5 aquae centimetris cubicis 10 et solutionis acetatis plumbici basici guttis 5 mixtis, praecipitatum deponitur; quo facto si filtratur, filtrata cum chloroformi centimetris cubicis 10 conquassantur, chloroformum evaporatur, ea, quae supersunt, in acidi acetici concentrati centimetris cubicis 2 solvuntur, cum liquor ita paratus, addita chloreti ferrici minima quantitate, acido sulfurico superimpositus erit, stratum confine rubrum, stratum superius caeruleum fiat.

Pondus specificum 0,902 ad 0,912. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 2,8 relinquat.

Doses maximae singulae grammatum 1,5.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 5.

+ Tinctura Eucalypti.

Paranda e

Foliorum Eucalypti minutissime concisorum partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor fuscoviridis, odoris aromatici, saporis subamari.

Pondus specificum 0,902 ad 0,910. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 2,5 relinquat.

+ Tinctura Gallarum.

Paranda e

Gallarum in pulverem (B_{10}) redactarum partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor flavofuscus, saporis adstringentis, reactionis acidae.

Tinctura Gallarum, aqua pro quavis portione diluta, liquorem clarum praebet.

Mixta Tincturae Gallarum gutta 1 et aquae centimetra cubica 10, addito chloreto ferrico, colorem e caeruleo nigrum trahunt.

Pondus specificum 0,943 ad 0,950. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 12 relinquat.

+ Tinctura Gentianae.

Paranda e

Radicis Gentanae in pulverem (B_{10}) redactae partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor rubrofuscus, peramarus.

Pondus specificum 0,910 ad 0,920. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 3 relinquat.

+ Tinctura Hyoscyami. F. I.

Hyoscyami Tinctura.

Paranda e

Foliis Hyoscyami in pulverem (B_{30}) redactis

quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Liquor fuscoflavus.

Iis, quae de Tincturae Hyoscyami centimetris cubicis 10 evaporatis relicta erunt, acidi hydrochlorici diluti guttis 2 et aquae centimetris cubicis 2 mixtis, quae de filtratis evaporatis supererunt, una cum acidi nitrosonitrici guttis 3 in balneo aquae calefacta dum vapores acidi non amplius emittantur, additis solutionis hydratis kalici spirituosae guttis 2, colorem trahant violaceum.

Pondus specificum 0,906 ad 0,916. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 2,5 relinquat.

Tinctura Ipecacuanhae. F. I.

Ipecacuanhae Tinctura.

Paranda e

Corticis Radicis Ipecacuanhae in pulverem (B_{20}) redacti

quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Liquor fuscoflavus, saporis subamari.

Tincturae Ipecacuanhae guttae 5, admixtis acidi hydrochlorici diluti guttis 10, addito hypochloritis calcici granulo, colorem trahunt ex aurantiaco flavum, colore subrubro fluorescentes.

Pondus specificum 0,893 ad 0,903. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1,5 relinquat.

+ Tinctura Lobeliae. F. I.

Lobeliae Tinctura.

Paranda ex

Herba Lobeliae in pulverem (B_{30}) redacta

quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Liquor fuscoviridis, saporis acris.

Tincturae Lobeliae centimetris cubicis 5 per solutionem hydratis kalici alcalinis factis, deinde cum aethere petrolei conquassatis, quae de aethere, calore non adhibito, evaporato supererunt, odoris sint nauseosi et, addito molybdaenate ammonico in acido sulfurico (1 = 1000) soluto, colorem trahant prius fuscum, deinde viridem.

Pondus specificum 0,891 ad 0,901. Tinctura evaporata non minus quam partis centesimae partes quattuor (0,8) relinquat.

Doses maximae singulae grammatum 2.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 5.

+ Tinctura Moschi.

Paranda e

Moschi partibus duabus 2
Spiritus diluti partibus quinquaginta. 50
Aquae partibus quinquaginta 50

Liquor fuscus, Moschum valde redolens.

Tinctura Moschi, aqua pro quavis portione addita, liquorem praebet clarum.

Tinctura Myrrhae.

Paranda e

Myrrhae in pulverem (B_{20}) redactae partibus viginti 20

et

Spiritus partibus centum. 100

Liquor flavoruber, saporis amari, postea acris.

Tinctura Myrrhae aqua diluta praebet liquorem flavido-album.

Quae de Tinctura Myrrhae evaporata relicta erunt, una cum acido nitrico calefacta, colorem pulchre rubrum trahunt.

Pondus specificum 0,845 ad 0,851. Tinctura Myrrhae evaporata non minus quam partes centesimas 4 relinquat.

Tinctura nervina Bestucheffi.

Misce

Solutionis Chloreti ferrici partes decem 10

Spiritus partibus sexaginta 60

et

Aetheris partibus triginta 30

Mixta in lagenis bene obturatis, fere completis luci solis expone dum coloris expertia facta sint. Quo facto lagenas loco obscuro depositas interdum aperi dum liquor colorem aureum traxerit.

Liquor clarus, coloris aurei, aethera redolens, saporis acris, ferruginei.

Pondus specificum 0,843 ad 0,845.

Tinctura nervina Bestucheffi ferri contineat partem centesimam 1,48 ad 1,5, id quod ita statuitur: Tincturae grammata 5, additis acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10, in balneo aquae calface dum aether et spiritus evaporati sint. His refrigeratis adde permanganatis kalici (1 = 200) tantum ut color ruber non statim evanescat. In liquore ita parato iodeti kalici grammata 2 solve et post horam 1 titra per thiosulfatem natricum decinormalem, cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica 13,2 ad 13,4 requirantur.

Tinctura Opii. F. I.

Opii Tinctura.

Madefac

Pulveris Opii partes decem. 10
Spiritus diluti partibus duabus 2

Per spiritum dilutum percola quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Liquor rubrofuscus, saporis amari.

Tinctura Opii morphini contineat partem centesimam fere 1; quantum insit, ita statuitur: Tincturae Opii grammata 15 in balneo aquae evapora ad grammata 5, quibus, per aquae quantitatem parvam in cucurbitam noti ponderis immissis, adde hydratis calcici milligrammata 250 et aquae tantum, ut eorum, quae cucurbita continet, pondus sit grammatum 15,25. Frequenter convertens per horas 3 sepone; filtra et filtratorum grammata 10 (= Tincturae Opii grammata 10) cum aetheris centimetris cubicis 5 et chloreti ammonici milligrammatis 100 per horae partem quartam assidue conquassata, per horas 24 sepone. Adde aetheris centimetra cubica 2,5; liquorem aethereum in filtrum siccum immitte; liquorem aquosum iterum cum aetheris centimetris cubicis 2,5 converte, quae in idem filtrum immittes. Cum aether transmissus erit, morphini secreti quantum poteris in filtrum collige et cucurbitam filtrumque aqua ablue dum liquoris defluentis gutta 1 phenolphthaleinum non amplius coloret; quod ut fiat, aquae centimetra cubica 7,5 adhiberi licet. Filtrum et quae continet in cucurbitam inmitte et, additis acidi sulfurici decinormalis centimetris cubicis 10, converte dum morphinum solutum sit. Filtra; cucurbitam filtrumque aqua ablue dum liquor defluens non amplius reactionis sit acidae; additis haematoxylini guttis 3, acidi quantitatem excedentem per alcali retrotitra. Quod ut fiat, centimetra cubica 6,5 ad 6,8 requirantur.

Acidi coniuncti centimetra cubica singula morphini milligrammata 28,5 indicant.

Pondus specificum 0,904 ad 0,914. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 4,5 relinquat.

Doses maximae singulae grammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 4.

+ Tinctura Opii benzoica. F. I.

Opii Tinctura benzoica.

Elixir paregoricum.

Solve

Olei Anisi partem unam. 1
Camphorae partes duas 2
Acidi benzoici partes quattuor 4

in

Spiritus diluti partibus centum octoginta tribus. 183

quibus adde

Tincturae Opii partes decem. 10

Liquor fuscoflavus, saporis aromatici, acris, amari.

Tinctura Opii benzoica morphini partis centesimae partem vicesimam (0,05) contineat.

Pondus specificum 0,810 ad 0,901.

Tinctura Opii crocata. F. I.

Opii Tinctura crocata.

Laudanum liquidum Sydenhami.

Macera per dies 8, frequenter quassans,

Pulveris Opii partes sexaginta 60
Stigmatum Croci concisorum partes viginti . 20

Corticis Cinnamomi in pulverem (B_{20}) redacti partes quinque. 5
Caryophyllorum in pulverem (B_{20}) redactorum partes quinque. 5

per commixtas

Spiritus partes ducentas quinquaginta . . . 250

et

Aquae partes ducentas quinquaginta. . . . 250

Cola, exprime, expressa, ubi liquor dies 2 loco frigido quieverit, filtra.

Morphini quantum liquor contineat, modo infra indicato statue et, si opus erit, tanta quantitate mixtarum spiritus et aquae totidem partium dilue, ut liquor morphini partem centesimam 1 contineat.

Liquor obscure flavoruber, odoris aromatici, saporis amari et aromatici.

Tincturae Opii crocatae gutta 1 aquae centimetra cubica 1000 colore flavo non dubio inficiat.

Pondus specificum 0,957 ad 0,967. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 6,5 relinquat.

Morphini quantum Tinctura Opii crocata contineat, ita statuitur: Tincturae grammatis 15, addito carbonatis natrici grammate 1,5, in balneo aquae ad crassitudinem sirupi evaporatis, cum refrixerint, adde aquae centimetra cubica 10; liquor fac desidat, morphinum crudum secretum, in filtrum noti ponderis collectum, parvis aquae quantitatibus elue dum liquoris defluentis gutta 1 phenolphthaleinum non amplius coloret Liquoris quam plurimum remove materiam chartae bibulae impositam leniter premendo, deinde morphinum cum filtro in frustula parva divisum in cucurbitam parvam immitte et adde recens mixtorum hydratis calcici et aquae (1 = 20) centimetra cubica 5 et aquae tantum, ut totum pondus sit grammatis 15,25 maius quam pondus filtri cucurbitaeque. Frequenter convertens per horas 3 sepone, deinde filtra

et filtratorum grammata 10 (= Tincturae Opii crocatae grammata 10) cum aetheris centimetris cubicis 5 et chloreti ammonici milligrammatis 100, per horae partem quartam assidue conquassata, per horas 24 sepone. Adde aetheris centimetra cubica 5; liquorem aethereum in filtrum siccum immitte; liquorem aquosum iterum cum aetheris centimetris cubicis 5 converte, quae in idem filtrum immittes. Cum aether transmissus erit, morphini quantum poteris in filtrum collige et cucurbitam filtrumque aqua ablue, dum liquoris defluentis gutta 1 phenolphthaleinum non amplius coloret; quod ut fiat, aquae centimetra cubica 7,5 adhiberi licet. Filtrum et quae continet in cucurbitam immitte et, additis acidi sulfurici decinormalis centimetris cubicis 10, converte dum morphinum solutum sit. Filtra; cucurbitam filtrumque aqua elue dum liquor defluens non amplius reactionis sit acidae; additis haematoxylini guttis 3, acidi quantitatem excedentem per alcali decinormale retrotitra. Acidi coniuncti centimetra cubica singula morphini milligrammata 28,5 indicant.

Hoc praeparatum in locum Vini Opii aromatici in huius Pharmacopoeae editione tertia descripti succedit.

Doses maximae singulae grammatum 1.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 4.

+ Tinctura Quassiae.

Paranda e

Ligni Quassiae minutissime concisi et contusi partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor fuscoflavus, peramarus.

Pondus specificum 0,887 ad 0,895.

+ Tinctura Ratanhiae.

Paranda e

Radicis Ratanhiae in pulverem (A_3) redactae partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor obscure fuscoruber, saporis adstringentis.

Tinctura Ratanhiae, addito spiritu, liquorem praebet coloris rubri qualis est fructuum rubi Idaei, addita aqua, luce incidenti, latericii.

Mixtae Tincturae Ratanhiae gutta 1 et spiritus guttae 10, addita chloreti ferrici gutta 1, colorem trahunt viridifuscum.

Pondus specificum 0,906 ad 0,914. Tinctura evaporata non minus quam partes centesimas 4,5 relinquat.

+ Tinctura Rhei aquosa.

Macera per horas 24

Radicis Rhei in discos tenues concisae partes decem 10

per solutas

Carbonatis natrici partes duas 2

in

Aquae Cinnamomi partibus triginta 30

Massam in percolatorem inmissam per Aquam Cinnamomi percola dum paratae sint

partes centum 100

Liquor rubrofuscus, qui additis acidis turbatur.

Tinctura Secalis cornuti.

Paranda e

Secalis cornuti in pulverem (B_{10}) redacti et per aethera petrolei pinguedine liberati partibus viginti. 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor coloris clare vinosi.

Si mixtum Tincturae Secalis cornuti centimetrum cubicum 1 ammoniae gutta 1 cum aethere conquassatum et liquor aethereus acido sulfurico superimpositus erit, stratum confine colorem trahat violaceum.

Pondus specificum 0,892 ad 0,899. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1,7 relinquat.

Doses maximae singulae grammatum 2,5.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 10.

Tinctura Strophanthi. F. I.

Strophanthi Tinctura.

Madefac

Seminis Strophanthi in pulverem (B_{30}) redacti partes decem. 10

Spiritus diluti partibus tribus. 3

Percola per spiritum dilutum quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Liquor flavus, saporis amari.

Tinctura Strophanthi, addita aqua, praebet liquorem clarum, addito aethere, turbidum.

Quae de Tincturae Strophanthi centimetro cubico 1, evaporato dum sicca sit, supererunt, additis acidi sulfurici guttis 10, colorem viridem trahant.

Doses maximae singulae milligrammatum 500.

Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 2.

Tinctura Strychni. F. I.

Strychni Tinctura.

Paranda e

Semine Strychni in pulverem (B_{30}) redacto et per aethera petrolei pinguedine liberato

quo modo Tincturae Aconiti praescriptum est.

Modo infra indicato, quantum alcaloideorum tinctura contineat, statue et, si opus erit, spiritus diluti adde tantum, ut alcaloideorum insit partis centesimae pars quarta (0,25).

Liquor flavus, peramarus.

Tincturae Strychni guttae 10, una cum acidi sulfurici diluti centimetro cubico 1 in balneo aquae calefactae, colorem trahant violaceum.

Alcaloideorum quantum in tinctura insit, ita statuitur: Tincturae Strychni grammata 10 evapora dum pauca supersint; quae, aquae parva quantitate diluta, immittes in chloroformi centimetra cubica 30, ante cum ammoniae centimetris cubicis 5 conquassata. Frequenter et fortiter conquassa et post horas 3, cura habita ut quam minimum evaporetur, per filtrum siccum filtra. De filtratorum centimetris cubicis 24 (= Tincturae Strychni grammatis 8) chloroformum destillatione remove et iis, quae supererunt, in spiritus centimetris cubicis 2 solutis acidi hydrochlorici centinormalis adde centimetra cubica 10. Solutionem alcaloideorum acidam filtra per filtrum aqua madefactum et aquae quantitatibus parvis

elue dum liquor defluens neutrius sit reactionis et alcaloideorum expers. In filtratis acidum non coniunctum, additis haematoxylini guttis 2, retrotitra per alcali centinormale. Acidi coniuncti centimetra cubica singula indicant alcaloideorum milligrammata 3,64.

Doses maximae singulae grammatum 2,5.
Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 5.

+ Tinctura Succini.

Concoque cum restillatione per horam 1

Succini in pulverem (B_{30}) redacti partes viginti 20

et

Spiritus partes centum 100

Quae postquam refrixerint, spiritu supple ad pondus prius, quo facto filtra.

Liquor subflavus, odoris aromatici, reactionis acidae.

Pondus specificum 0,826 ad 0,832. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1,5 relinquat.

Tinctura Valerianae.

Paranda e

Radicis Valerianae in pulverem ($A_{1,5}$) redactae partibus viginti 20

et

Spiritus diluti partibus centum 100

Liquor fuscus, valerianam valde redolens.

Pondus specificum 0,902 ad 0,908. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1,5 relinquat.

+ Tinctura Valerianae aetherea.

Paranda e

Radicis Valerianae in pulverem (A 1,5) redactae partibus viginti 20

et commixtis

Aetheris partibus viginti quinque 25

et

Spiritus partibus septuaginta quinque. . . . 75

Liquor subflavus, aethera et valerianam redolens.

Pondus specificum 0,812 ad 0,820. Tinctura evaporata non minus quam partem centesimam 1,2 relinquat.

+ Tragacantha.

Mucus profluens e stirpibus vulneratis, quas praebent species quaedam generis Astragali, aere induratus.

Laminae et striae taeniatae vel falcatae, centimetra fere 2,5 longae, latae centimetrum 1, crassae non plus quam millimetra 3 nec minus quam millimetra 5 latae, propemodum albae, perlucidae, undulate striatae, leves, lentae, odoris expertes, saporis fatui.

Tragacantha aqua perfusa admodum tumescit; in pulverem redacta, addita aquae quantitate centuplici, praebet mucum turbidum, lubricum, coloris expertem, qui, una cum solutione hydratis natrici in balneo aquae calefactus, colorem trahit flavum sulfuris. Muci Tragacanthae aquae quantitate decemplici diluti filtrata, addita solutione iodii, caerulea ne fiant.

Tragacanthae pulvis, caloris gradu 100° siccatus, ponderis ne amittat plus quam partes centesimas 15; combustus cineris ne plus quam partes centesimas 3,5 relinquat, qui cinis albus sit.

+ Trisulfuretum kalicum.

Hepar Sulfuris.

Misce

Sulfuris depurati partes quattuor 4
Carbonatis kalici partibus septem 7

Mixtas in crucibulo operto liquefac et leni calore liquidas serva dum non amplius effervescant; tum effunde.

Frusta subfusca, superficie non raro olivacea, informia, acidum hydrosulfuricum leviter redolentia, quae, additis aquae partibus 2, liquorem clarum praebent.

Quo liquore per acidum aceticum acido facto, gaz acidum hydrosulfuricum emittitur et sulfur secernitur. In liquore, filtratione sulfure liberato, addita acidi tartarici parte 1 in aquae partibus 10 soluta, praecipitatum album, crystallinum deponitur.

Trisulfuretum kalicum ad balnea destinatum e Carbonate kalico crudo et Sulfure sublimato parari licet, dummodo e Sulfuris parte 1 et Carbonatis partibus 2 paretur.

+ Trochisci Bicarbonatis natrici.

Misce

Pulveris Bicarbonatis natrici grammata decem 10 G.
Pulveris Sacchari grammatis nonaginta . . 90 G.

E mixtis, addita mucilagine Gummi arabici, fac trochiscos centum (100).

+ Trochisci Bicarbonatis natrici compositi.

Misce

Salis Emsani facticii grammata viginti quinque 25 G.
Pulveris Sacchari grammatis septuaginta quinque . . . . . 75 G.

E mixtis, addita mucilagine Gummi arabici, fac trochiscos centum (100).

+ Trochisci Catechu.

Misce

Pulveris Catechu grammata decem. . . . . 10 G.
Pulveris Sacchari grammatis nonaginta. . . 90 G

E mixtis, addita mucilagine Gummi arabici, fac trochiscos centum (100).

+ Trochisci Chloratis kalici.

Misce

Pulveris Chloratis kalici grammata decem . . 10 G.
Pulveris Sacchari grammatis nonaginta. . . 90 G.

E mixtis, addita mucilagine Gummi arabici, fac trochiscos centum (100).

+ Trochisci Chloreti ammonici.

Misce

Pulveris Chloreti ammonici grammata quinque 5 G.
Pulveris Sacchari grammatis decem . . . . . 10 G.

et

Pulveris Succi Liquiritiae grammatis triginta quinque. . . . . 35 G.

E mixtis fac trochiscos centum (100).

+ Trochisci ferrati.

Misce

Pulveris Pyrophosphatis ferrici cum Citrate ammonico grammata decem . . . . . 10 G.
Pulveris Sacchari grammatis quadraginta quinque. . . . . 45 G.

et

Pastae Cacao grammatis quadraginta quinque . . . . . 45 G.

E mixtis fac trochiscos centum (100).

+ Trochisci Ipecacuanhae.

Misce

Pulveris Corticis Radicis Ipecacuanhae gramma unum . . . . . 1 G.

Pulveris Sacchari grammatis undecentum. . 99 G.

E mixtis, addita mucilagine Gummi arabici, fac trochiscos centum (100).

Trochisci Santonini.

Misce

Santonini in pulverem tenuissimum redacti grammata duo cum dimidio . . . . . 2,5 G.

Pulveris Sacchari grammatis quadraginta septem cum dimidio . . . . . 47,5 G.

et

Pastae Cacao grammatis quinquaginta . . . 50 G.

E mixtis fac trochiscos centum (100).

+ Tubera Aconiti.

Tubera quae praebet Aconitum Napellus, Linn. Sp. Pl. 532, collecta per anthesin.

Tubercula, quorum singula tubera anni superioris cum singulis tuberibus anni posterioris in basi lata ramulo

brevissimo coniuncta sunt; in merce venali disiuncta esse solent, qua re mixtis tuberibus utriusque generis solet constare; tubera autem anni posterioris tantum adhibeantur. Tubera ad centimetra 11 longa, crassa in basi ad 3 dura, satis fragilia, cum franguntur pulverem spargentia, extente conica, semper apice fracto. Superficies plerumque crassis rugis directis, non nitide obscure griseofusca; in basi cicatrix rami brevis coniungentis conspicua esse solet; porro per totum tuber, praesertim in parte crassiore, cicatrices radicum adventiciarum tenuium vel ipsarum frustula, utraque nonnunquam in ordinibus ad libram posita. Fractura transversa non nitida, aspera, farinulenta, alba vel plus minusve fusca. Tuberi transverse persecti stratum extremum tenuissimum, coloris obscuri; phloema secundarium et xylema secundarium, quae tuber fere totum efficiunt et fere aeque perfecta sunt; cambium figuram exhibet stellae, saepe radiis 5 ad 7, interdum coloris est paulo obscurioris. Tubera anni superioris in basi cum reliquiis caulis saepe cavi; tuber ipsum ponderis paulo levioris, extra et imprimis intra coloris obscurioris, intra saepe scissum vel cavum. Tubera anni posterioris in basi gemmate obscuro, vaginis circumdato, obtuso, vel eius reliquiis; tuber ipsum gravius, praesertim intra coloris clarioris, intra solidum, superficie minus rugosa, interdum aequa.

Microscopia pulveris. Amylum magnam partem solutum, at quoque in cellulis parenchymaticis; grana simplicia, saepe diametro 8 ad 15 μ, fere globosa, nucleo centrali, at quoque plurima grana composita diadelpha ad tetradelpha. Cellulae parenchymaticae, leptotichae, coloris expertes; cellulae tuberis partis exterioris membranas habent fuscas. Cellulae sclerenchymaticae formae diversissimae, oblonge quadratae ad linearem, quoque magis rotundae; membranae non ita tumefactae, subflavidae, scrobiculis altioribus conspicuis; massae luminibus amplis inclusae nonnunquam

fuscae. Vasa xylematis separata vel in fasciculos collecta, plerumque scrobiculis duplicibus rimalibus; interdum vasa spiralia.

Odor proprius; sapor prius subdulcis, mox acer et adstringens, simul sensum torporis in ore excitat.

Tubera Aconiti ne diutius quam unum annum serventur.

Tubera Saleb.

Tubercula quae praebet Orchis militaris, LINN. Sp. Pl. 941 aliaeque Ophrydeae, statim post anthesin collecta, purgata, in aquam ebullientem immersa, aere siccata.

Centimetra ad 4 longa, crassa centimetra ad 3, dura, satis gravia, semiperlucida, enormiter oblongorotunda, nonnunquam ovata vel subglobosa, interdum etiam palmate ramosa. Basis obtusa, gemmate parvo, vieto vel talis gemmatis cicatrice loco paulum depresso; apex subacuminatus. Superficies crassis sulcis transversis, interdum tenuius transverse rugosa, clare flavofusca, quodammodo aspere squamosa, praesertim in partibus prominentibus albida; fractura transversa cornea, aspera, eodem colore quo superficies, quodammodo albosquamosa.

Microscopia pulveris. Maximam partem cellulae parenchymaticae, subglobosae, oblongae vel ovatae, saepe in globos collectae, vel in frusta fractae; membranis tenuibus, coloris expertibus, prorsus impletae massa inclusa aequabili, coloris experti. Praesertim in hydrate chlorali iodato harum cellularum genera 2 esse apparet: 1° cellulas amyli, prorsus impletas gleba aequabili, ex amyli granis tumentibus orta; tantum hic illic grana non vel partim tumentia, ita ut

agnosci possint; 2° cellulas mucilaginosas, multas diametro 250 ad 350 μ, fere altero tanto maiores cellulis amyli, prorsus impletas massa mucilaginosa, quae, praesertim in strato satis crasso fere medio inter centrum et marginem, iodio addito, colorem fuscum trahit; saepe in medio fasciculus raphidum minimarum, in membrana opus reticulatum tenue, maculis quinquangulis vel sexangulis (inquisitio per aquam). Cellulae suberosae, plerumque in globos collectae, quinquangulae vel sexangulae, membranis tenuibus, clarissime fuscis. Raphides solutae. Vasa spiralia et vasa retifera eorumque fasciculi.

Odor nullus; sapor fatuus, mucilaginosus.

Tuberum Saleb pulvis combustus cineris ne minus quam partes centesimas 1,5 neve plus quam 4,0 relinquat.

Unguenta.

Unguenta, nisi aliter praescriptum erit, ita parentur:

Elementa, quae liquefieri nequeant, ante in pulverem tenuissimum redigantur.

Unguenta si liquefaciendo parantur, mixta dum refrixerint agitentur.

Unguenta massam prorsus aequabilem efficiant neve rancide oleant.

Nisi contrarium statutum erit, unguenta parata adesse licet.

In unguentis ad usum in coloniis destinatis pro Adipis suilli vel Vaselini partibus centesimis 20 ad 30 totidem partes Cerae flavae et Paraffini substitui licet.

Unguenta a luce remota serventur.

+ Unguentum Acetatis plumbici basici.

Unguentum nutritum.

Misce

Adipis Lanae partes viginti quinque 25

et

Unguenti simplicis partes quinquaginta. . . . 50

Solutionis Acetatis plumbici basici partibus viginti quinque 25

Unguentum flavum.

Unguentum Acetatis plumbici basici ex tempore paretur.

Unguentum Acidi borici.

Misce

Acidi borici partes decem 10

Vaselini albi partibus nonaginta 90

Unguentum album.

+ Unguentum Carbonatis plumbici camphoratum.

Contere

Camphorae partes quinque. 5

et

Olei Sesami partes quinque 5

Adde

Carbonatis plumbici partes viginti. 20

et

Adipis suilli partes septuaginta. 70

Unguentum album, camphoram redolens.

+ Unguentum Chloreti hydrargyrico-ammonici.

Unguentum Mercurii praecipitati albi.

Misce

Chloreti hydrargyrico-ammonici partes decem. . 10
Vaselini albi partibus nonaginta 90

Unguentum album.

+ Unguentum Diachylon.

Liquefac

Emplastri Oxydi plumbici partes quinquaginta 50

in

Olei Sesami partibus quinquaginta. 50

Unguentum album ad flavoalbum.

Unguentum Diachylon ex tempore paretur.

+ Unguentum Elemi.

Liquefac

Elemi partes triginta 30
Cerae flavae partes decem 10
Adipis suilli partes quadraginta 40

Una liquefactas cola et, ubi paululum refrixerint, adde

Terebinthinae laricinae partes viginti 20

Unguentum subflavum.

Unguentum Hydrargyri. F. I.

Unguentum Neapolitanum.

Contere

Hydrargyri partes triginta 30

et

Adipis Lanae partes quinque 5

dum globuli metallici iam nulli conspicui sint.

Tum admisce

Adipis suilli benzoati partes sexaginta quinque 65

Unguentum ex subcaeruleo griseum.

Unguentum Hydrargyri contineat hydrargyri partes centesimas 28 ad 30. Quantum insit, ita statuitur: Unguenti Hydrargyri gramma 1 una cum aetheris petrolei centimetris cubicis 20 leniter calface dum adeps solutus sit; liquorem defunde. Idem itera per chloroformi centimetra cubica 10. Hydrargyrum sicca caloris gradu 50°; refrigeratum pondera. Pondus sit milligrammatum 280 ad 300.

Hydrargyrum secretum isdem postulatis satisfaciat, quibus Hydrargyrum.

+ Unguentum Hydrargyri fortius.

Contere

Hydrargyri partes quinquaginta 50

et

Adipis Lanae partes octo 8

dum globuli metallici iam nulli conspicui sint.

Tum admisce

Adipis suilli benzoati partes quadraginta duas 42

Unguentum e subcaeruleo griseum.

Unguentum Hydrargyri fortius hydrargyri contineat partes centesimas 48 ad 50. Quantum insit, statuitur quo modo Unguento Hydrargyri praescriptum est.

Hydrargyrum secretum satisfaciat isdem postulatis, quibus Hydrargyrum.

+ Unguentum Iodeti kalici.

Solve

Iodeti kalici partes decem 10

in

Aquae partibus decem 10

Adde

Unguenti simplicis partes octoginta. 80

Unguentum flavum.

Unguentum Iodeti kalici ex tempore paretur.

+ Unguentum Iodii.

Unguentum iodatum.

Solve

Iodeti kalici partes tres 3

et

Iodii partes duas 2

in

Aquae partibus quinque 5

Adde

Unguenti simplicis partes nonaginta. 90

Unguentum fuscum.

Unguentum Iodii ex tempore paretur.

+ Unguentum Iodoformi.

Misce

Iodoformi partes decem 10

Vaselini flavi partibus nonaginta. 90

Unguentum flavum.

+ Unguentum Lanolini.

Misce

Lanolini partes sexaginta. 60

Vaselini flavi partibus quadraginta. 40

Unguentum flavoalbum.

+ Unguentum leniens.

Una liquefac

Cerae flavae partes quinque. 5
Cetacei partes decem 10
Adipis Lanae partes decem. 10

in

Olei Sesami partibus quinquaginta. 50

Quibus liquefactis et propemodum refrigeratis admisce

Aquae Rosarum partes viginti quinque. . . . 25

Unguentum flavoalbum, cremori simile.

+ Unguentum Oxydi hydrargyrici flavi.

Misce

Oxydi hydrargyrici flavi partes quinque 5
Vaselini albi partibus nonaginta quinque . . 95

Unguentum flavum.

Unguentum Oxydi hydrargyrici flavi ex tempore paretur.

+ Unguentum Oxydi hydrargyrici rubri.

Misce

Oxydi hydrargyrici rubri partes quinque . . . 5
Vaselini albi partibus nonaginta quinque . . 95

Unguentum rubrum.

Unguentum Oxydi zincici.

Misce

Oxydi zincici partes decem 10
Adipis suilli benzoati partibus nonaginta . . . 90

Unguentum album.

+ Unguentum Picis.

Liquefac

Colophonii partes quindecim 15

et

Picis solidae partes quindecim 15

His adde mixtas ante liquefactas

Cerae flavae partes decem 10

et

Olei Sesami partes sexaginta 60

Unguentum fuscum.

+ Unguentum Picis compositum.

Unguentum contra Tineam Capitis.

Calface

Aquae partes viginti 20

Picis solidae partes sedecim 16

Colophonii partes quattuor 4

dum haec duo elementa liquefacta sint; liquefactis admisce

Farinae Tritici partes sedecim 16

ante mixtas

Aquae partibus triginta 30

Calefacere perge dum mixta aequabilia facta sint, quibus, cum paululum refrixerint, addantur

Terebinthinae laricinae partes quattuor 4

tum

Acidi acetici partes octo. 8

et tantum aquae, ut totum pondus sit

partium centum 100

Unguentum fuscum, aeri expositum mox durescens.

Unguentum Picis compositum ex tempore paretur.

+ Unguentum resinosum flavum.

Unguentum Althaeae.

Liquefac

Cerae flavae partes duodeviginti 18

et

Colophonii partes octo. 8

in

Olei Sesami partibus septuaginta 70

Cola et paulum refrigeratis adde

Terebinthinae laricinae partes quattuor 4

Unguentum flavum.

Unguentum simplex.

Liquefac

Cerae flavae partes triginta. 30

in

Olei Sesami partibus septuaginta. 70

Unguentum flavum.

+ Unguentum sulfuratum compositum.

Unguentum ad Scabiem.

Misce

Sulfuris sublimati partes quindecim 15

Pulveris Marmoris partibus viginti 20

Adde

Vaselini flavi partes triginta 30

Saponis kalini partes viginti 20

Olei cadini partes quindecim 15

Unguentum flavofuscum.

+ Unguentum Tartratis kalico-stibici.

Misce

Tartratis kalico-stibici partes viginti 20

Vaselini albi partibus octoginta 80

Unguentum album.

+ Unguentum terebinthinaceum.

Balsamum Locatelli.

Liquefac

Cerae flavae partes viginti quinque. 25

in

Olei Sesami partibus triginta sex 36

et

Terebinthinae laricinae partibus triginta sex. 36

Adde

Ligni Santalini in pulverem redacti (B_{20}) partes tres 3

Mixtas digere per dimidium horae; tum cola et paulum refrigeratis admisce

Balsami peruviani partes tres 3

Unguentum ex subfusco rubrum.

+ Valerianas zincicus.

$(C_4H_9.COO)_2Zn.2H_2O.$

Lamellae crystallinae, nitidae, albae, tactu pingues, acidum valerianicum redolentia, saporis subdulciter adstringentis. Valerianas zincicus, additis aquae partibus fere 90 vel spiritus partibus fere 40, liquorem clarum praebet.

Valerianas zincicus in aqua (1 = 100) solutus chartam exploratoriam caeruleam reddit rubram, calefactus turbatur; addito sulfohydrate ammonico, praecipitatum album, quod in acido hydrochlorico solvitur, addito chloreto ferrico, praecipitatum latericium deponit.

Liquor de praecipitato per chloretum ferricum filtratus ruber ne sit (*acetas*).

Aquae centimetrum cubicorum 5 cum Valerianatis zincici grammate 1 conquassatorum filtrata, addito nitrate barytico, tantum leviter opalescant.

Valerianatis zincici milligrammatis 500 una cum acidi nitrici centimetro cubico 1 in balneo aquae dum sicca sint evaporatis iisque, quae relicta erunt, candefactis, ea, quae supererunt, milligrammatum 132 ad 135 sint et isdem legibus puritatis satisfaciant, quibus Oxydum zincicum.

Vaselinum album.

Vaselinum.

Carbonii hydrogenati varia genera mixta, e petroleo crudo parata.

Massa alba, odoris fere expers, aequalis, semiperlucida, unguinosa, quae caloris gradu 40° ad 41um liquescit in liquorem clarum, colore caeruleo fluorescentem.

Vaselini albi grammata 5 si una cum mixtis aquae grammate 1 et acidi sulfurici grammatis 4 in balneo aquae calefacta erunt dum vaselinum liquefactum sit, deinde per horae partem duodecimam conquassata, tum calefacta dum vaselinum rursus secretum sit, acidum coloris sit expers.

Vaselino albo cum spiritus pondere duplici concocto, liquor spirituosus refrigeratus colorem chartae exploratoriae ne mutet.

Vaselini albi grammatis 5 una cum solutionis hydratis natrici centimetris cubicis 3 in balneo aquae calefactis dum vaselinum liquefactum sit atque refrigeratis, liquor aquosus secretus, per acidum hydrochloricum acidus factus, clarus sit.

Vaselinum flavum.

Carbonii hydrogenati varia genera mixta, e petroleo crudo parata.

Massa subflava, odoris fere expers, aequalis, unguinosa, quae caloris gradu 38° ad 40um liquescit in liquorem clarum, colore caeruleo fluorescentem.

Vaselini flavi grammata 5 si una cum mixtis aquae grammate 1 et acidi sulfurici grammatis 4 in balneo aquae calefacta erunt dum vaselinum liquefactum sit, deinde per horae partem duodecimam conquassata, tum calefacta dum vaselinum rursus secretum sit, acidum fuscum sit, ne tamen nigrum.

Ceterum Vaselinum flavum isdem puritatis legibus satisfaciat, quibus Vaselinum album.

Vina.

Vina, nisi aliter praescriptum erit, parentur elemento, in pulverem redacto quemadmodum praescriptum erit, superfundendo Vini Malacensis vel Vini Malacensis et Spiritus quantitatibus praescriptis, superfuso frequenter quassato per dies 5, a luce remoto, macerando, colando, exprimendo. Liquores ita parati miscentur et, per biduum loco frigido sepositi, filtrantur, cura habita ut quam minimum evaporetur.

Vina a luce remota serventur.

Vinum amarum.

Parandum e

Corticis Cascarillae in pulverem (B_{10}) redacti partibus octo. 8

Herbae Centaurii minutissime concisae partibus quattuor 4

Herbae Cardui benedicti minutissime concisae partibus quattuor 4

Radicis Gentianae in pulverem (B_{10}) redactae partibus duabus 2

Corticis Fructus Aurantii in pulverem (B_{10}) redacti parte una 1

Spiritus diluti partibus quinque 5

Vini Malacensis partibus nonaginta quinque. 95

Liquor clarus, obscure fuscus, peramarus.

+ Vinum Chinae.

Misce

Pulveris Corticis Chinae partes viginti. 20

partibus quadraginta mixtarum

Spiritus diluti partis unius 1

Vini Malacensis partium quattuor 4

Aquae partium trium 3

Mixta per horas 24 in vase clauso sepone, in percolatorem saepius leviter premens paulatim inmitte, percola per mixta supra memorata dum collectae sint

partes octingentae. 800

In percolatis solve

Sacchari partes ducentas 200

Per horas 24 loco frigido sepone, deinde filtra.

Liquor clarus, rubrofuscus, Corticem Chinae redolens et sapiens.

Vini Chinae centimetro cubico 1 et solutionis hydratis natrici guttis 2 commixtis cum aetheris centimetris cubicis 2

conquassatis, quae de liquore aethereo evaporato supererunt, in acidi sulfurici diluti gutta 1, additis aquae guttis 20, soluta, liquorem praebeant, qui, addita iodeti kalicohydrargyrici gutta 1, praecipitatum secernit album, floccosum.

+ Vinum Chinae ferratum.

Solve

Pyrophosphatis ferrici cum Citrate ammonico partem unam 1

in

Aquae partibus quattuor. . . . . .

quae soluta misce

Vini Chinae partibus nonaginta quinque . . 95

Vinum Chinae ferratum, antequam dispensetur, filtrandum est.

+ Vinum Colchici.

Parandum e

Seminis Colchici recens moliti partibus decem 10

Spiritus diluti partibus decem. 10

Vini Malacensis partibus nonaginta 90

Liquor clarus, flavofuscus.

Vini Colchici centimetris cubicis 2 et aquae centimetris cubicis 3 commixtis cum chloroformi centimetris cubicis 5 conquassatis, iis, quae de chloroformo evaporato supererunt, acidi sulfurici guttis 5 mixtis, deinde addito nitratis kalici granulo, si mixta agitantur, striae exsistunt e caeruleo violaceae, quae mox pallescunt; deinde, addita ammoniae quantitate excedenti, mixta colorem aurantiacum trahunt.

Doses maximae singulae grammatum 1.

Doses maximae in horas vicenas quaternas grammatum 3.

+ Vinum Condurango.

Parandum e

Corticis Condurango in pulverem (B_{10}) redacti partibus decem. 10

et

Vini Malacensis partibus centum 100

Liquor clarus, rubrofuscus.

Cum Vinum Condurango aquae pari volumine mixtum et, si opus erit, filtratum erit, filtrata calefacta turbentur.

Vinum Ipecacuanhae.

Parandum e

Corticis Radicis Ipecacuanhae in pulverem (B_{20}) redacti partibus decem 10

Spiritus diluti partibus decem. 10

Vini Malacensis partibus nonaginta. 90

Liquor clarus, flavofuscus.

Vini Ipecacuanhae centimetro cubico 1 et aquae centimetris cubicis 3 et ammoniae guttis nonnullis commixtis cum chloroformi centimetris cubicis 5 conquassatis, iis, quae de chloroformo evaporato supererunt, acidi hydrochlorici diluti guttis 10 mixtis, deinde addito hypochloritis calcici granulo, liquor colorem trahit ex aurantiaco flavum, colore subrubro fluorescens.

Vinum Malacense.

Vinum Hispanum validum, dulce, coloris rubrofusci, saporis puri. Pondus specificum 1,066 ad 1,087.

Cum de Vini Malacensis centimetris cubicis 100 et aquae centimetris cubicis 50 commixtis centimetra cubica fere 75 destillata erunt, destillatorum, aqua ad centimetra cubica 100

suppletorum, pondus specificum sit 0,9823 ad 0,9802, id quod convenit cum alcoholis partibus centesimis 13 ad 15.

Eorum, quae destillatione peracta supererunt, aqua ad centimetra cubica 100 suppletorum pondus specificum sit 1,096 ad 1,104, id quod convenit cum extracti partibus centesimis 25 ad 27.

Huius liquoris centimetrum cubicorum 50, acidi hydrochlorici diluti centimetris cubicis 2 mixtorum, tum calefactorum dum ebulliant, deinde, additis solutis nitratis barytici milligrammatis 150 in aquae centimetris cubicis 5, refrigeratorum filtrata addito nitrate barytico ne turbentur.

+ Vinum Pepsini.

Misce

Pepsini partes viginti quattuor 24
Glycerini partibus viginti. 20
Acidi hydrochlorici diluti partibus sex 6
Aquae partibus duodeviginti. 18

Mixta per horas 24, saepe quassans, sepone, deinde filtra et filtrum aquae tanta quantitate elue ut filtrata sint
partium duodeseptuaginta 68

Liquor ita paratus servetur licet.

Vinum Pepsini cum dispensandum erit, misce
huius liquoris partes duodeseptuaginta . . 68
Sirupi simplicis partibus nonaginta. 90
Tincturae Aurantiorum partibus duabus 2
Vini Malacensis partibus octingentis quadraginta 840

Liquor clarus, subrubrofuscus, saporis quodammodo adstringentis.

Vinum Pepsini ex tempore paretur

+ Vinum Rhamni Purshianae.

Vinum Cascara Sagrada.

Parandum e

Corticis Rhamni Purshianae in pulverem (B_{10}) redacti partibus decem 10

et

Vini Malacensis partibus centum 100

Liquor clarus, rubrofuscus, amarus.

Vini Rhamni Purshianae guttis 5 et aquae centimetro cubico 1 commixtis cum aetheris centimetris cubicis 5 conquassatis, liquor aethereus flavus sit. Quo liquore cum ammoniae centimetris cubicis 3 conquassato, liquor aquosus colorem trahit obscure rubrum.

+ Vinum Rhei.

Parandum e

Radicis Rhei in discos tenuissimos concisae partibus novem 9

Seminis Cardamomi in pulverem (B_{10}) redacti parte una. 1

Vini Malacensis partibus centum 100

Liquor clarus, rubrofuscus.

Vini Rhei guttis 5 et aquae centimetris cubicis 2 commixtis cum aetheris centimetris cubicis 5 conquassatis, liquor aethereus flavus sit. Quo liquore cum ammoniae centimetris cubicis 3 conquassato, liquor aquosus colorem trahit obscure rubrum.

Vinum stibiatum. F. I.

Stibiatum Vinum.

Vinum emeticum.

Solve

Tartratis kalico-stibici partes duas 2

in

Vini Malacensis partibus quingentis 500

Soluta per dies nonnullos sepone, deinde filtra.

Liquor clarus, rubrofuscus.

+ Vinum Tartratis kalici ferrati.

Vinum ferratum.

Misce

Ferri pulverati partes centum. 100

et

Tartratis kalici acidi partes quadringentas . 400

Aquae partibus trecentis. 300

Mixta in balneo aquae per horae partem dimidiam calface, deinde per nonnullos dies sepone. Massam in frustula divide, quae per horas 24 sepone. Haec misce

Aquae partium milibus quattuor 4000

et filtra.

Filtrata caloris gradu non plus quam 40° evapora; quae supererunt, in pulverem redige.

Cuius pulveris partes decem 10

solve in

Aquae partibus quinquaginta 50

Post nonnullos dies soluta filtra et filtratis adde

Vini Malacensis partes quinquaginta. 50

Liquor nigrofuscus, ferrum sapiens.

Vinum Tartratis kalici ferrati contineat ferri non minus quam partem centesimam 1, id quod ita statuitur: Vini Tartratis kalici ferrati grammatis 5 et acidi sulfurici diluti centimetris cubicis 10 commixtis permanganatem kalicum (1 = 200), in balneo aquae calefaciens, stillatim adde dum color ruber non amplius statim evanescat. Ut permanganatis kalici quantitas excedens dissolvatur, liquorem calface cum spiritus parva quantitate. In liquore refrigerato solve iodeti kalici grammata 2, post horam 1 titra per thiosulfatem natricum decinormalem, cuius, ut liquor decoloretur, centimetra cubica ne minus quam 9 requirantur.

Vinum Tartratis kalici ferrati a luce remotum paretur et servetur.

Primum auxilium in veneficio repentino.

A. Si venenum obductum erit, temptandum est:

1⁰ ut venenum quam citissime e stomacho removeatur

2⁰ ut venenum ita coniungatur ut innoxium fiat aut eius vis prohibeatur;

3⁰ ut alvus exinaniatur.

Ad 1um. Stomachus exinaniri potest:

a. per specillum stomachi;

b. vomitione concitanda.

Specillum celerrimum atque maxime innoxium est auxilium ad exinaniendum stomachum. Si opus erit, tubus e gummi elastico, diametro millimetrum 8 ad 10 poterit adhiberi.

Vomitio (ne tamen adhibeatur in veneficiis per acida fortiora neve per alcali factis) concitari potest:

1. faucibus digito vel pinna titillandis; quod nisi expedit,

2. adhibendo uno e vomitoriis infra indicatis.

Ad 2um. Venenum ut innoxium fiat, coniungi aut eius vis prohiberi potest adhibendo uno ex antidotis infra indicatis.

Ad 3um. Alvus exinaniri potest aegrotanti soluta Sulfatis magnesici vel natrici grammata 30 ad 50 in aquae quantitate decemplici potanda dando.

B. Si venenum per vulnus corpus intraverit (ut morsu canis rabidi vel serpentis), vulnus exsugendum est, partis corporis vulneratae venae adstringendae, vulnus ferro candenti urendum.

Vulnus per ictum insecti factum exsugendum, deinde Ammonia liquida vel Bicarbonate natrico perfricandum est.

C. *Si venenum inhalatum erit* (e.g. Aether, Gaz ammoniae, Chlorium, Chloroformum, Oxydum carbonicum, Gaz ad collustrandum, Gaz cloacale, Dioxydum Sulfuris, Gaz acidum hydrosulfuricum) aer quam purissimus adducendus est (aegrotans sub divum portandus est vel fenestrae et ostia late patefiant) et oxygenium ab aegrotante inhaletur; praeterea si spiritus deficiet, arte restitui, membranae pituitariae narium titillari, stimulantia adhiberi possunt.

Vomitoria.

Sulfas cupricus (1 = 100). Bis deinceps, intermissa horae parte duodecima vel sexta, solutionis grammata 50. Adhibendus est in veneficiis factis per: Aconitum, Atropinum, Belladonnam, Semen Physostigmatis, Conium, Cytisum, Digitalem, Hyoscyamum eaque quae ex elementis indicatis parata sunt; per Fructus Cocculi, Sales plumbi, Conchas (Crangones vulgares, Ostreas, cet), Opium et ex Opio praeparata, Hymenomycetas, Phosphorum, Pilocarpinum, Scillam, Solaninum, Stramonium, Semen Strychni eaque quae ex his elementis indicatis parata sunt.

Pulvis Radicis Ipecacuanhae (Gramma 1 cum Vini grammatis 10). Bis deinceps, intermissa horae parte duodecima vel sexta. Adhibendus est in veneficiis factis per: Arsenicalia (si antidotum Arsenici paratum non adest), Delphinium, Secale Cornutum et ea, quae ex illo parata sunt, Nitrobenzolum, Aquam cloacalem, Cantharides, Sulfida, Veratrinum, Cicutam virosam, Argentum vel Zincum continentia, Acidum oxalicum et ea quae ex illo parata sunt, Acidum hydrosulfuricum.

Hydrochloras Apomorphini. Milligrammatum 10 in aquae centimetro 1 solutorum iniectio subcutanea.

Antidota.

Antidota adhibenda sunt ratione habita praeceptorum sub *A* indicatorum.

In veneficiis factis per:

Acida. Oxydum magnesicum (grammata 10 cum aquae centimetris cubicis 200) vel lac calcis dilutum.

Acidum chromicum et **Chromates.** Bicarbonatis natrici (solutionis partibus centesimis 5) cochlearia singula.

Acidum hydrocyanicum et **Cyaneta.** Permanganatis kalici grammata 2,5 in aquae centimetris cubicis 500 soluta. Spiritus arte restituatur.

Alcali. Acida diluta [sucus citri cum aqua, acidum aceticum (parte centesima 1), acidum citricum (parte centesima 1)].

Alcaloidea (praeter ea, quae hac in tabula expresse nominantur). Solutio Tannini (parte centesima 1) vel Theae decoctum fortius.

Aquam chloratam. Solutio albuminis (albumen ovorum 5 in aquae centimetris cubicis 500 solutum) vel lac.

Argentum continentia. Solutio albuminis (ut per Aquam chloratam) et Solutio chloreti natrici (grammata 3 in aquae centimetris cubicis 300 soluta).

Arsenicalia. Puls recens parata e conquassatis: *a.* Solutionis Chloreti ferrici grammatis sexaginta (60), aquae centimetris cubicis 250 dilutis, et *b.* mixtis aequaliter Oxydi magnesici grammatis quattuordecim (14) et aquae centimetris cubicis 250. Cuius pultis initio horae partibus sexagesimis quinis (5) cochlearia bina (2) danda sunt, deinde eadem dosis maioribus temporis spatiis intermissis.

Atropinum. Hydrochloras Morphini. Milligrammatum 10 in aquae centimetro cubico 1 solutorum iniectio subcutanea.

Belladonnam ut per Atropinum.

Bioxalatem kalicum ut per Acida.

Cuprum continentia. Oxydum magnesicum (grammata 5 cum aquae centimetris cubicis 100) vel lac calcis dilutum. Solutio albuminis (ut per Aquam chloratam). Postea alvus exianienda est.

Hydrargyrum continentia. Statim solutio albuminis (ut per Aquam chloratam), lac, lac calcis dilutum. Commixtae Pulveris ferri partes 9 et Sulfuris partes 4 vel sulfidum ferrosum recens praecipitatum.

Hydratem chlorali. Sulfas Atropini ut per Semen Physostigmatis.

Hypochloritem calcicum. Thiosulfas natricus (grammata 10 in aquae centimetris cubicis 250 soluta).

Iodoformum. Bicarbonatis natrici (solutionis partibus centesimis 5) cochlearia singula.

Metadioxybenzolum (Resorcinum). Lac calcis dilutum. Postea alvus exinanienda est. Nulla pinguia neque lac!

Metallum quoddam continentia (praeter ea, quae hac in tabula expresse nominantur). Solutio albuminis (ut per Aquam chloratam) vel lac.

Opium et ea, quae ex illo parata sunt. Sulfas Atropini (ut per Semen Physostigmatis).

Petroleum. Solutio albuminis (ut per Aquam chloratam) vel lac.

Phenolum. (Creolinum, Kresolum, Liquorem Kresoli saponatum), ut per Metadioxybenzolum.

Phosphorum. Pro vomitorio Sulfas cupricus; post vomitionem Oleum Terebinthinae (guttarum 30 ad 40 potio mucilaginosa). Nulla pinguia neque lac.

Semen Physostigmatis et ea, quae ex illo parata sunt. Sulfas Atropini (milligrammata 10 in aquae centimetris cubicis 10 soluta, cuius solutionis centimetri cubici dimidia pars ad centimetrum cubicum 1 (!) sub cutem inicienda est.

Zincum continentia ut per Cuprum continentia.

I. Tabula Reagentia indicans.

Reagentia asterisco * notata a luce remota serventur.

Reagentia, quae in corporibus inquirendis nominantur nec in hanc tabulam recepta sunt, cum huius Pharmacopoeae corporibus eodem nomine conveniunt.

Ubi in nonnullis reagentibus indicia facta sunt de modo corpora cognoscendi et eorum puritatem inquirendi, eo non significatur modum inquirendi perfectum esse perscriptum.

Acetas ammonicus.

Acetas natricus.

a. Sal.
b. In aqua (1 = 5) solutus.

Acetas natricus anhydricus.

Acetatem natricum, assidue agitans, fervefac dum nullus iam vapor aquae emittatur.

Acetas plumbicus.

In aqua (1 = 10) solutus, filtratus.

Acidum aceticum.

Acidum aceticum anhydricum.

Liquor coloris expers, acidum aceticum redolens. Pondus specificum 1,080. Ebullit caloris gradu 138°.

Acidum aceticum dilutum.

Acidum aceticum concentratum.

Ad solutionem Chloreti Iodii parandum Acidum aceticum concentratum satisfaciat postulatis in eo capite scriptis, praeterea huice:

Acidi acetici concentrati centimetra cubica 5 si per horae partem duodecimam cum acidi sulfurici centimetris cubicis 3 et bichromatis kalici gutta 1 conquassantur, mixta ne virescant.

Acidum hydrochloricum.

Acidum hydrochloricum concentratum.

Acidum hydrochloricum pondere specifico 1,180 ad 1,190.

Acidum hydrochloricum dilutum.

Acidum hydrosulfuricum.

Gaz aqua elutum.

***Acidum nitricum.**

Acidum nitricum dilutum.

***Acidum nitroso-nitricum.**

Liquor rubroflavus. Pondus specificum 1,480 ad 1,525.

Acidum nitroso-nitricum et aqua (1 = 50) commixta addito nitrate barytico vel nitrate argentico ne turbentur.

Acidi nitroso-nitrici grammatis 10 combustis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Acidum oxalicum.

a. Acidum.

Grammatis 2 combustis, quae supererunt, ponderari nequeant.

b. Acidum normale.

Acidum sulfuricum.

Acidum sulfuricum dilutum.

Acidum tartaricum.

***Aether.**

Aether Petrolei.

Alcohol absolutus.

Alcohol amylicus.

Liquor coloris expers, odoris proprii. Pondus specificum 0,814. Ebullit caloris gradu 131,6°.

Grammatis 10 evaporatis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Ammonia.

***Anilinum.**

Liquor coloris expers, qui mox fuscus fit. Pondus specificum 1,270. Ebullit caloris gradu 183,7°.

Aqua Barytae.

Hydras baryticus in aqua (1 = 25) solutus.

***Aqua bromata.**

Bromium in aqua solutum dum saturata sit.

Aqua Calcis.

***Aqua chlorata.**

Aqua hydrosulfurata.

Gaz in aqua solutum dum saturata sit.

Benzolum.

Bichromas kalicus.

a. Sal.

b. In aqua (1 = 20) solutus. Solutus acidi nitrici diluti pari volumine mixtus, addito nitrate barytico, clarus sit.

Bisulfis natricus.

In aqua (30 = 100) solutus.

Solutorum grammatum 5, ad centimetra cubica 250 aqua dilutorum, centimetra cubica 10, additis aquae centimetris cubicis 100 et solutionis amyli parva quantitate, si per iodium decinormale titrantur, ut liquor caeruleus fiat iodii non minus quam centimetra cubica 10,4 requirantur.

Carbonas ammonicus.

In aqua (1 = 10) solutus.

Carbonas natricus.

In aqua (1 = 5) solutus.

Carbonas natricus exsiccatus.

Carbonas natricus, in stratum tenue extentus, fac aere fatiscat, quo facto in balneo aquae sicca dum ponderis non amplius quicquam amittat.

***Charta Congo.**

Chartam bibulam Rubro-Congo, spiritu diluto (1 = 1000) soluto, imbutam sicca.

Charta Congo, acido hydrochlorico valde diluto (acidi hydrochlorici decinormalis centimetro cubico 1 cum aquae centimetris cubicis 50) madefacta, statim caerulea fit.

***Charta Curcumae.**

E Radicis Curcumae in pulverem (B_{20}) redacti partibus 10 et Spiritus partibus 100 tincturam para. Cuius tincturae partes 10 per commixtorum Spiritus et aquae parium voluminum partes 80 dilue; chartam bibulam liquore ita parato imbutam sicca.

Charta Curcumae, ammonia valde diluta (ammoniae gutta 1 cum aquae centimetris cubicis 100) madefacta, colorem cerasinum statim trahat.

In lagena servanda.

***Charta exploratoria caerulea.**

Chartam exploratoriam Tinctura Laccae Musci imbutam sicca.

Charta exploratoria caerulea, addita acidi hydrochlorici valde diluti (acidi hydrochlorici decinormalis centimetri cubici 1 cum aquae centimetris cubicis 100) gutta 1, statim rubescat.

In lagena servanda.

***Charta exploratoria rubra.**

Tincturae Laccae Musci Acidi hydrochlorici diluti adde tantum ut liquoris color e caeruleo transierit in rubrum; chartam exploratoriam liquore ita parato imbutam sicca.

Charta exploratoria rubra, addita alcali valde diluti (alcali decinormalis centimetri cubici 1 cum aquae centimetris cubicis 100) gutta 1, statim caerulea fit.

In lagena servanda.

Chloretum ammonicum.

In aqua (1 = 10) solutum.

***Chloretum auricum.**

Chloretum aurico-natricum in aqua (1 = 20) solutum.

Chloretum calcicum.

In aqua (1 = 10) solutum.

***Chloretum ferricum.**

In aqua (1 = 10) solutum.

Chloretum hydrargyricum.

In aqua (1 = 20) solutum.

Chloretum stannosum.

Chloreti stannosi partes 5 Acidi hydrochlorici parte 1 superfusas gaz acido hydrochlorico sicco satura.

***Chloroformum.**

Chromas kalicus.

In aqua (1 = 10) solutus.
Soluta acidi nitrici diluti pari volumine mixta, addito nitrate barytico vel nitrate argentico, clara sint.

Cuprum.

Tornatum vel folium.

Dimethylamidoazobenzolum.

In spiritu (1 = 1000) solutum.
Dimethylamidoazobenzoli gutta 1 et aquae centimetra cubica 25 commixta, additis acidi hydrochlorici decinormalis guttis 2, rubescant.

Diphenylaminum.

Crystalla.
In acido sulfurico (1 = 1000) solutum, addita acidi nitrici vel minima quantitate, caeruleum fit.

Ferricyanetum kalicum.

In aqua (1 = 10) recens solvendum.

Ferrocyanetum kalicum.

In aqua (1 = 10) solutum.

Furolum.

In spiritu (1 = 100) solutum.

Glycerinum.

Haematoxylinum.

In spiritu (1 = 100) solutum.

Haematoxylini gutta 1 et aquae centimetra cubica 10 commixta, addita alcali centinormalis gutta 1, agitata, e caeruleo violacea fiunt.

Hydras calcicus.

Pulvis tenuis, albus, Oxydo calcico aqua exstinguendo paratus. Ex tempore paretur.

Hydras Chlorali.

In aqua (7 = 10) solutus.

Hydras Chlorali iodatus.

Iodium in solutione hydratis chlorali (7 = 10) solutum dum saturata sit.

Hypochloris calcicus.

Hypochloritis calcici (in quo Chlorii activi partes centesimae insunt non minus quam 25) pars 1 recens ita soluta in aquae partibus 20 ut liquor clarus sit.

***Hypochloris natricus.**

Hypochloritis calcici (in quo Chlorii activi partes centesimae insunt non minus quam 25) pars 1 in aquae partibus 20 soluta mi-

sceatur Carbonatis natrici partis 1 in aquae partibus 4 solutae tanta quantitate, quanta requiritur ad calcem praecipitandam.
Liquor fac desidat; liquorem clarum adhibe.

Iodetum kalico-hydrargyricum.

Chloreti hydrargyrici pars 1 et Iodeti kalici partes 4 in aquae partibus 95 solutae.

Iodetum kalicum.

In aqua (1 = 10) recens solutum.

Iodetum kalicum cum Amylo.

Iodeti kalici milligrammata 100 in Solutionis Amyli centimetris cubicis 50 recens soluta.

Liquor Nessleri.

Iodeti kalici grammatis 5 in aquae centimetris cubicis 5 solutis adde Chloreti hydrargyrici in aqua (1 = 20) soluti tantum ut praecipitatum rubrum, quod deponitur, liquore quassato, non amplius evanescat. Per lanam vitream filtra; filtrata, Hydratis kalici grammatis 15 in aquae centimetris cubicis 30 solutis mixta, aqua supple ad centimetra cubica 100. Liquor fac desidat, liquorem clarum defunde.

Mixtura Magnesiae.

Chloreti magnesici partes 10 et Chloreti ammonici partes 14 solutae in Ammoniae partibus 70 et aquae partibus 150 commixtis.

Nitras argenticus.

In aqua (1 = 20) solutus.

Nitras baryticus.

In aqua (1 = 20) solutus.

Nitras kalicus.

In aqua (1 = 3) recens solutus.

Oxalas ammonicus.

In aqua (1 = 20) solutus.

Permanganas kalicus.

a. Sal.
b. In aqua (1 = 10) recens solvendus.

Phenolphthaleinum.

In Spiritu diluto (1 = 100) solutus, coloris expers.

Phenolphthaleini gutta 1 et aquae centimetra cubica 25 commixta, addita alcali decinormalis gutta 1, rubescant.

Phosphas natricus.

In aqua (1 = 10) solutus.

Pulvis Pellis.

Aquae centimetrum cubicorum 100 cum Pulveris Pellis grammatis 4 per horas 24 frequenter conquassatorum, filtratorum centimetris cubicis 50 evaporatis, quae supererunt, dempto cinere relicto, ne sint plus quam milligrammatum 30.

Solutio Acetatis plumbici basici.

Solutio Amyli.

Amyli Solani partem 1, Glycerini centimetris cubicis 25 mixtam, tam diu caloris gradu 170° ad 180um calface ut liquoris, aquae centimetris cubicis 10 diluti, gutta 1, addita solutionis iodii gutta 1, aequalis fiat, coloris clare caerulei.

Mixta servari licet; ad usum aquae quantitate octies tanta diluantur.

Solutio Hydratis kalici.

Solutio Hydratis kalici spirituosa.

Hydratis kalici pars 1 in aquae parte 1 recens soluta, cui Alcoholis absoluti partes 8 adduntur.

Solutio Hydratis natrici.

Solutio Iodii.

Iodii partem 1 et Iodeti kalici partes 2 in aquae partibus 97 solve.

Solutio Laccae Musci.

Laccae Musci in pulverem grossum redactae partes 10 per horam 1 cum Spiritus partibus 100 concoque. Filtra; quae soluta non sunt, per dies 2 macera per Spiritus et aquae parium voluminum commixtorum partes 100. Soluta filtra; in 2 pares partes divisorum parti alteri acidi sulfurici diluti adde tantum ut liquoris color in rubrum transierit, quo facto altera parte misce.

Liquorem in lagena ita serva ut aeri expositus sit.

Solutionis Laccae Musci guttae 3 et aquae centimetra cubica 25 commixta, addita acidi hydrochlorici decinormalis gutta 1, rubescant; addita alcali decinormalis gutta 1, caerulea fiant.

Spiritus.

Spiritus dilutus.

Sulfas ammonico-ferricus.

In aqua solutus dum saturata sit.

Sulfas calcicus.

In aqua solutus dum saturata sit.

Sulfas cupricus.

In aqua (1 = 10) solutus.

Sulfas ferrosus.

a. Crystalla.

b. In aqua (1 = 3) recens solutus.

Sulfas hydrargyricus.

Oxydi hydrargyrici partes 5 in Acidi sulfurici partibus 20 et aquae partibus 100 commixtis solutae.

Sulfas natricus exsiccatus.

***Sulfidum carbonicum.**

Liquor coloris expers, lucem admodum diffringens, odoris proprii, qui facile exardescit.

Pondus specificum 1,27. Ebullit caloris gradu 46° ad 47um.

Sulfidum carbonicum chartae exploratoriae madefactae colorem ne mutet neve carbonatem plumbicum quassatum colore fusco inficiat.

Centimetris cubicis 5 combustis, quae superunt, ponderari nequeant.

Sulfis natricus.

Crystalla. Crystalla in aqua (1 = 10) soluta reactionis sint neutrius vel alcalinae; addito acido sulfurico diluto, dioxydi sulfuris magnam copiam emittant.

Sulfocyanetum kalicum.

In aqua (1 = 20) solutum.

Sulfodimethylamidoazobenzolas natricus.

In aqua (1 = 1000) solutus. Sulfodimethylamidoazobenzolatis natrici gutta 1 et aquae centimetra cubica 25 commixta, additis acidi hydrochlorici decinormalis guttis 2, rubescant.

Sulfohydras ammonicus.

Ammoniam gaz acido hydrosulfurico eluto satura.

Tanninum.

In aqua (1 = 20) recens solutum.

Tetrachloretum carbonicum.

Liquor coloris expers, odoris proprii. Pondus specificum 1,60. Ebullit caloris gradu 75° ad 76um.

Tetrachloreti carbonici centimetris cubicis 5 per horae partem duodecimam cum acidi sulfurici centimetris cubicis 3 et bichromatis kalici gutta 1 conquassatis, liquoris stratum imum ne virescat.

Centimetris cubicis 10 evaporatis, quae supererunt, ponderari nequeant.

Zincum.

Gaz oriens e Zinci grammatis 3 reagentibus in acidi hydrochlorici centimetra cubica 20 et aquae centimetra cubica 60 commixta chartam bibulam, chloreto hydrargyrico madefactam, colore flavo no inficiat intra horas 3.

II. Tabula liquores titrimetricos continens.

Liquores asterisco * notati a luce remoti serventur.

Acida.

Acidum normale.

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant

Acidi oxalici grammata 63,024,
aut H_2SO_4 grammata 49,038,
aut HCl grammata 36,46.

Acidum decinormale.

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant

Acidi oxalici grammata 6,302,
aut H_2SO_4 grammata 4,904,
aut HCl grammata 3,646.

Acidum centinormale.

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant

H_2SO_4 grammata 0,490,
aut HCl grammata 0,365.

Acidum hydrochloricum seminormale.

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant HCl grammata 18,23.

Alcali.

Alcali normale.

Hydras kalicus vel Hydras natricus solutus in aquae tanta quantitate ut solutorum centimetra cubica 10, quo neutrius reactionis sint, acidi normalis centimetra cubica 10 requirant.

Alcali decinormale.

Hydras kalicus vel Hydras natricus solutus in aquae tanta quantitate ut solutorum centimetra cubica 10, quo neutrius reactionis sint, acidi decinormalis centimetra cubica 10 requirant.

Alcali centinormale.

Hydras kalicus vel Hydras natricus solutus in aquae tanta quantitate ut solutorum centimetra cubica 10, quo neutrius reactionis sint, acidi centinormalis centimetra cubica 10 requirant.

Chloretum hydrargyricum decinormale.

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant Chloreti hydrargyrici grammata 13,545.

Iodium decinormale.

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant Iodii grammata 12,697 et Iodeti kalici grammata 20.

Liquor exploratorius Fehlingi.

a. Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant Sulfatis cuprici grammata 69,278.

b. Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant Tartratis kalico-natrici grammata 300 et Solutionis Hydratis natrici centimetra cubica 500.

Ad usum commisce utriusque liquoris par volumen.

Nitras argenticus decinormalis.

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant Nitratis argentici grammata 16,997.

Nitras argenticus centinormalis.

Nitratis argentici decinormalis centimetra cubica 100 soluta in aquae tanta quantitate, quanta requiritur ad liquoris centimetra cubica 1000 paranda.

Permanganas kalicus decinormalis.

Permanganatis kalici grammata 3,5 in aquae centimetris cubicis 500 solve; soluta clara aquae tanta quantitate dilue ut solutorum dilutorum centimetra cubica 10, additis Solutionis Iodeti kalici (1 = 10) centimetris cubicis 10 et acidi hydrochlorici centimetris cubicis 10, quo decolorentur thiosulfatis natrici decinormalis centimetra cubica 10 requirant.

Permanganas kalicus centinormalis.

Permanganatis kalici milligrammata 350 in aquae centimetris cubicis 500 solve; soluta clara aquae tanta quantitate dilue ut solutorum dilutorum centimetra cubica 10, additis acidi sulfurici diluti centimetris

cubicis 5, calefacta, quo decolorentur acidi oxalici centinormalis centimetra cubica 10 requirant.

***Solutio Chloreti Iodii.**

Trichloreti Iodii grammata 9 solve in commixtis Acidi acetici concentrati centimetris cubicis 700 et Tetrachloreti carbonici centimetris cubicis 300; modo infra indicato Chloreti Iodii quantum in solutis insit statue. Quo facto soluta cum Iodii ante in pulverem redacti grammatis 10 conquassa, dum solutorum paratorum centimetra cubica 5 e solutione iodeti kalici liberent iodii quantitatem non minus quam sesquiplicem quam quae in priore inquisitione reperta est. Soluta filtrata Acidi acetici concentrati tanta quantitate dilue ut solutionis chloreti iodii centimetra cubica 5 cum thiosulfatis natrici centimetris cubicis 10 conveniant.

Chloreti Iodii quantum soluta contineant, ita statuitur: Solutorum centimetra cubica 5 misce solutionis iodeti kalici (1 = 10) centimetris cubicis 10 et aquae centimetris cubicis 30; solutione amyli indicatore, titra per thiosulfatem natricum decinormalem.

Solutio spirituosa Hydratis kalici normalis.

Hydras kalicus solutus in Spiritus tanta quantitate ut solutorum centimetra cubica 10, quo neutrius reactionis sint, acidi normalis centimetra cubica 10 requirant.

Solutio spirituosa Hydratis kalici seminormalis.

Hydras kalicus solutus in Spiritus tanta

quantitate ut solutorum centimetra cubica 10, quo neutrius reactionis sint, acidi hydrochlorici seminormalis centimetra cubica 10 requirant.

Sulfocyanetum ammonicum decinormale.

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant Sulfocyaneti ammonici grammata 7,617.

***Thiosulfas natricus decinormalis.**

Liquor aquosus, cuius centimetra cubica 1000 contineant Thiosulfatis natrici grammata 24,830. Horum solutorum centimetra cubica 10 iodii decinormalis centimetra cubica 10 decolorant.

III. Tabulae,

indicantes pondera specifica nonnullorum Alcali et Acidorum caloris gradu 15° solutorum (ad pondus specificum aquae, caloris gradu 4° computata) et ponderum partes centesimas cum iis convenientes et grammata in centimetra cubica 1000 et titrum i. e. rationem quae intercedit inter liquorem et liquorem normalem cum eo convenientem.

Ammonia.

Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	NH_3 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer	Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	NH_3 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.
1	0,9957	9,96	0,58	18	0,9321	167,8	9,83
2	0,9914	19,83	1,12	19	0,9288	176,5	10,34
3	0,9872	29,62	1,74	20	0,9256	185,1	10,85
4	0,9832	39,33	2,31	21	0,9224	193,7	11,35
5	0,9792	48,96	2,87	22	0,9192	202,2	11,85
6	0,9752	58,51	3,43	23	0,9161	210,7	12,35
7	0,9712	67,98	3,98	24	0,9130	219,1	12,84
8	0,9674	77,39	4,53	25	0,9100	227,5	13,32
9	0,9634	86,71	5,08	26	0,9070	235,8	13,82
10	0,9596	95,96	5,62	27	0,9040	244,1	14,31
11	0,9561	105,2	6,17	28	0,9010	252,3	14,79
12	0,9526	114,3	6,70	29	0,8981	260,4	15,26
13	0,9491	123,4	7,23	30	0,8951	268,5	15,73
14	0,9456	132,4	7,76	31	0,8922	276,6	16,21
15	0,9421	141,3	8,28	32	0,8894	284,6	16,68
16	0,9388	150,2	8,80	33	0,8867	292,6	17,15
17	0,9354	159,0	9,32	34	0,8842	300,6	17,61

Solutio Hydratis kalici.

Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	KOH grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.	Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	KOH grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.
1	1,0083	10,08	0,18	27	1,2592	340,0	6,05
2	1,0175	20,35	0,36	28	1,2695	355,5	6,33
3	1,0267	30,79	0,55	29	1,2800	371,2	6,61
4	1,0359	41,44	0,74	30	1,2905	387,2	6,90
5	1,0452	52,26	0,93	31	1,3010	403,3	7,18
6	1,0544	63,26	1,13	32	1,3117	419,7	7,47
7	1,0637	74,46	1,33	33	1,3224	436,4	7,77
8	1,0730	85,84	1,53	34	1,3331	453,3	8,07
9	1,0824	97,42	1,73	35	1,3440	470,4	8,38
10	1,0918	109,2	1,94	36	1,3549	487,8	8,69
11	1,1013	121,1	2,16	37	1,3659	505,4	9,00
12	1,1108	133,3	2,37	38	1,3769	523,2	9,32
13	1,1203	145,6	2,59	39	1,3879	541,3	9,64
14	1,1299	158,2	2,82	40	1,3991	559,6	9,96
15	1,1396	170,9	3,04	41	1,4103	578,2	10,30
16	1,1493	183,9	3,27	42	1,4215	597,0	10,63
17	1,1590	197,0	3,51	43	1,4329	616,1	10,97
18	1,1688	210,4	3,75	44	1,4443	635,5	11,32
19	1,1786	223,9	3,99	45	1,4558	655,1	11,67
20	1,1884	237,7	4,23	46	1,4673	675,0	12,02
21	1,1984	251,7	4,48	47	1,4790	695,1	12,38
22	1,2083	265,8	4,73	48	1,4907	715,5	12,74
23	1,2184	280,2	4,99	49	1,5025	736,2	13,11
24	1,2285	294,8	5,25	50	1,5143	757,2	13,48
25	1.2387	309,7	5,51	51	1,5262	778,4	13,86
26	1,2489	324,7	5,78				

Solutio Hydratis natrici.

Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	NaOH grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.	Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	NaOH grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.
1	1,0106	10,11	0,25	26	1,2880	334,9	8,36
2	1,0219	20,44	0,51	27	1,2989	350,7	8,75
3	1,0331	30,99	0,77	28	1,3097	366,7	9,15
4	1,0443	41,77	1,04	29	1,3205	382,9	9,56
5	1,0555	52,78	1,32	30	1,3312	399,4	9,97
6	1,0666	64,00	1,60	31	1,3419	416,0	10,39
7	1,0777	75,44	1,88	32	1,3525	432,8	10,80
8	1,0889	87,11	2,17	33	1,3630	449,8	11,23
9	1,1000	99,00	2,47	34	1,3735	467,0	11,66
10	1,1111	111,1	2,77	35	1,3838	484,3	12,09
11	1,1222	123,4	3,08	36	1,3941	501,9	12,53
12	1,1333	136,0	3,40	37	1,4043	519,6	12,97
13	1,1444	148,8	3,72	38	1.4144	537,5	13,42
14	1,1555	161,8	4,04	39	1,4244	555,5	13,87
15	1,1665	175,0	4,37	40	1,4343	573,7	14,32
16	1,1776	188,4	4,70	41	1,4442	592,1	14,78
17	1,1887	202,1	5,04	42	1,4539	610,6	15,24
18	1,1998	216,0	5,39	43	1,4636	629,3	15,71
19	1,2109	230,1	5,74	44	1,4732	648,2	16,18
20	1,2219	244,4	6,10	45	1,4829	667,3	16,66
21	1,2331	259,0	6,47	46	1.4924	686,5	17,14
22	1,2441	273,7	6,83	47	1,5019	705,9	17,62
23	1,2551	288,7	7,21	48	1,5114	725,5	18,11
24	1,2661	303,9	7,59	49	1,5209	745,2	18,60
25	1,2771	319,3	7,97	50	1,5303	765,2	19,10

Acidum hydrochloricum.

Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	HCl grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.	Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	HCl grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.
1	1,0043	10,04	0,28	21	1,1055	232,2	6,37
2	1,0093	20,19	0,55	22	1,1102	244,2	6,70
3	1,0143	30,43	0,83	23	1,1156	256,6	7,04
4	1,0193	40,77	1,12	24	1,1210	269,0	7,38
5	1,0243	51,21	1,40	25	1,1260	281,5	7,72
6	1,0293	61,76	1,69	26	1,1312	294,1	8,07
7	1,0343	72,40	1,99	27	1,1365	306,9	8,42
8	1,0392	83,14	2,28	28	1,1420	319,8	8,77
9	1,0442	93,98	2,58	29	1,1472	332,7	9,13
10	1,0492	104,9	2,88	30	1,1522	345,7	9,48
11	1,0542	116,0	3,18	31	1,1574	358,8	9,84
12	1,0592	127,1	3,49	32	1,1625	372,0	10,20
13	1,0642	138,3	3,79	33	1,1676	385,3	10,57
14	1,0692	149,7	4,11	34	1,1727	398,7	10,94
15	1,0742	161,1	4,42	35	1,1779	412,3	11,31
16	1,0793	172,7	4,74	36	1,1832	426,0	11,69
17	1,0844	184,3	5,06	37	1,1886	439,8	12,06
18	1,0894	196,1	5,38	38	1,1940	453,7	12,44
19	1,0946	208,0	5,71	39	1,1994	467,8	12,83
20	1,0998	220,0	6,03				

Acidum nitricum.

Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	HNO_3 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.	Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum	HNO_3 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.
1	1,005	10,05	0,16	29	1,177	341,3	5,41
2	1,0105	20,21	0,32	30	1,184	355,2	5,63
3	1,016	30,48	0,48	31	1,191	369,2	5,86
4	1,0215	40,86	0,65	32	1,198	383,4	6,08
5	1,027	51,35	0,81	33	1,2045	397,5	6,31
6	1,033	61,98	0,98	34	1,211	411,7	6,53
7	1,038	72,66	1,15	35	1,218	426,3	6,76
8	1,044	83,52	1,32	36	1,225	441,0	7,00
9	1,050	94,50	1,50	37	1,231	455,5	7,23
10	1,056	105,6	1,68	38	1,238	470,4	7,46
11	1,062	116,8	1,85	39	1,2445	485,4	7,70
12	1,068	128,2	2,03	40	1,251	500,4	7,94
13	1,074	139,6	2,21	41	1,258	515,8	8,18
14	1,080	151,2	2,40	42	1,264	530,9	8,42
15	1,086	162,9	2,58	43	1,271	546,5	8,67
16	1,092	174,7	2,77	44	1,277	561,9	8,91
17	1,099	186,8	2,96	45	1,284	577,8	9,17
18	1,106	199,1	3,16	46	1,291	593,9	9,42
19	1,112	211,3	3,35	47	1,297	609,6	9,67
20	1,118	223,6	3,54	48	1,303	625,4	9,92
21	1,125	236,2	3,75	49	1,309	641,4	10,17
22	1,131	248,8	3,95	50	1,316	658,0	10,44
23	1,138	261,7	4,15	51	1,322	674,2	10,70
24	1,144	274,6	4,36	52	1,328	690,6	10,96
25	1,151	287,8	4,57	53	1,334	707,0	11,22
26	1,157	300,8	4,77	54	1,339	723,1	11,47
27	1,164	314,3	4,99	55	1,345	739,8	11,74
28	1,171	327,9	5,20	56	1,351	756,6	12,00

Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	HNO_3 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.	Ponderum. partes centesimae.	Pondus specificum.	HNO_3 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.
57	1,356	772,9	12,26	79	1,457	1151,0	18,26
58	1,362	790,0	12,53	80	1,460	1168,0	18,53
59	1,368	807,1	12,80	81	1,463	1185,0	18,80
60	1,373	823,8	13,06	82	1,467	1202,9	19,08
61	1,3785	840,9	13,34	83	1,470	1220,1	19,35
62	1,384	858,1	13,61	84	1,474	1238,1	19,64
63	1,389	875,1	13,88	85	1,477	1255,4	19,91
64	1,394	892,2	14,15	86	1,480	1272,8	20,19
65	1,399	909,4	14,43	87	1,483	1290,2	20,47
66	1,403	926,0	14,69	88	1,486	1307,7	20,74
67	1,408	943,4	14,97	89	1,489	1325,2	21,02
68	1,412	960,2	15,23	90	1,491	1341,9	21,29
69	1,416	977,0	15,50	91	1,493	1358,6	21,55
70	1,421	994,7	15,78	92	1,496	1376,3	21,83
71	1,425	1011,8	16,05	93	1,498	1393,1	22,10
72	1,429	1028,9	16,32	94	1,500	1410,0	22,37
73	1,433	1046,1	16,59	95	1,502	1426,9	22,63
74	1,437	1063,4	16,87	96	1,504	1443,8	22,90
75	1,441	1080,8	17,14	97	1,506	1460,8	23,17
76	1,445	1098,2	17,42	98	1,509	1478,8	23,46
77	1,449	1115,7	17,70	99	1,514	1498,9	23,77
78	1,453	1133,3	17,98				

Acidum sulfuricum.

Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	H_2SO_4 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.	Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	H_2SO_4 grammata in centimetra cubica 1000	Titer.
1	1,006	10,06	0,21	29	1,213	351,8	7,17
2	1,013	20,26	0,41	30	1,221	366,3	7,47
3	1,020	30,60	0,62	31	1,229	381,0	7,77
4	1,027	41,08	0,84	32	1,237	395,8	8,07
5	1,034	51,70	1,05	33	1,246	411,2	8,39
6	1,041	62,46	1,27	34	1,255	426,7	8,70
7	1,047	73,29	1,50	35	1,264	442,4	9,02
8	1,054	84,32	1,72	36	1,273	458,3	9,35
9	1,061	95,49	1,95	37	1,281	474,0	9,67
10	1,069	106,9	2,18	38	1,289	489,8	9,99
11	1,076	118,4	2,41	39	1,298	506,2	10,32
12	1,083	130,0	2,65	40	1,307	522,8	10,66
13	1,090	141,7	2,89	41	1,316	539,6	11,00
14	1,097	153,6	3,13	42	1,325	556,5	11,35
15	1,105	165,8	3,38	43	1,333	573,2	11,69
16	1,112	177,9	3,63	44	1,342	590,9	12,05
17	1,120	190,4	3,88	45	1,352	608,4	12,41
18	1,128	203,0	4,14	46	1,361	626,1	12,77
19	1,135	215,6	4,40	47	1,370	643,9	13,13
20	1,143	228,6	4,67	48	1,380	662,4	13,51
21	1,151	241,7	4,93	49	1,390	681,1	13,89
22	1,158	254,8	5,20	50	1,399	699,5	14,27
23	1,166	268,2	5,46	51	1,408	718,1	14,64
24	1,174	281,8	5,75	52	1,418	737,4	15,04
25	1,182	295,5	6,03	53	1,429	757,4	15,45
26	1,190	309,4	6,31	54	1,440	777,6	15,86
27	1,198	323,5	6,60	55	1,450	797,5	16,26
28	1,206	337,7	6,89	56	1,460	817,6	16,67

Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	H_2SO_4 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.	Ponderum partes centesimae.	Pondus specificum.	H_2SO_4 grammata in centimetra cubica 1000.	Titer.
57	1,471	838,5	17,10	79	1,720	1358,8	27,71
58	1,482	859,6	17,53	80	1,732	1385,6	28,26
59	1,493	880,9	17,96	81	1,744	1412,6	28,81
60	1,503	901,8	18,39	82	1,755	1439,1	29,35
61	1,513	922,9	18,82	83	1,767	1466,6	29,91
62	1,524	944,9	19,27	84	1,776	1491,8	30,42
63	1,535	967,0	19,72	85	1,784	1516.4	30,92
64	1,547	990,1	20,19	86	1,793	1542,0	31,45
65	1,559	1013,4	20,66	87	1,801	1566,9	31,95
66	1,571	1036,9	21,15	88	1,808	1591,0	32,45
67	1,583	1060,6	21,63	89	1,814	1614,5	32,92
68	1,594	1083,9	22,10	90	1,820	1638,0	33,40
69	1,605	1107,4	22,58	91	1,825	1660,7	33,87
70	1,616	1131,2	23,07	92	1,8295	1683,2	34,33
71	1,628	1155,9	23,57	93	1,8338	1705,4	34,78
72	1,640	1180,8	24,08	94	1,8365	1726,3	35,20
73	1,652	1206,0	24,59	95	1,8390	1747,0	35,63
74	1,664	1231,4	25,11	96	1,8406	1767,0	36,03
75	1,676	1257,0	25,63	97	1,8410	1785,8	36,42
76	1,687	1282,1	26,15	98	1,8412	1804,4	36,80
77	1,698	1307,5	26,66	99	1,8401	1821,7	37,15
78	1,710	1333,8	27,20				

V. Tabula

indicans numerum guttarum quas nonnullorum liquorum gramma 1 continet, statutum per Stillatorium internationale quod dicitur.

	Guttae in gramma 1.		Guttae in gramma 1.
Acetas aethylicus.....	65	Solutio Iodii spirituosa	62
Acidum hydrochloricum dilutum.....	20	Solutio Nitroglycerini.	60
Acidum sulfuricum dilutum.....	20	Spiritus.....	60
Aether.....	90	Spiritus dilutus.....	55
Aether cum Spiritu...	72	Sulfas aethylicus acidus cum Spiritu.....	40
Aqua destillata.....	20	Tinctura Aconiti.....	55
Aqua Laurocerasi.....	20	Tinctura Belladonnae.	55
Glycerinum.....	26	Tinctura Benzoes.....	60
Kreosotum.....	38	Tinctura Cantharidum.	55
Liquor arsenicalis Fowleri.....	32	Tinctura Digitalis....	55
Oleum Citri.....	50	Tinctura Hyoscyami..	55
Oleum Foeniculi.....	44	Tinctura Ipecacuanhae	55
Oleum Menthae piperitae.....	50	Tinctura Opii.....	55
Oleum Ricini.....	44	Tinctura Opii benzoica	55
Oleum Santali.....	40	Tinctura Opii crocata.	50
Phenolum liquefactum.	38	Tinctura Strophanthi..	55
Solutio Ammoniae spirituosa anisata.....	56	Tinctura Strychni....	55
		Tinctura Valerianae...	55
		Vinum Ipecacuanhae..	35
		Vinum stibiatum.....	35

VI. Tabula

indicans quae ratio intercedat inter pondera specifica et volumina alcoholis (C_2H_6O) in Spiritu caloris gradu 15° [secundum disquisitiones v. d. E. H. von Baumhauer.[1]]

A. littera significat portionem alcoholis, i. e. quot alcoholis (C_2H_6O) volumina caloris gradu 15° insint in spiritus eiusdem caloris voluminibus 100.

S. littera significat spiritus caloris gradu 15° pondus specificum, ad aquae caloris gradu 4° pondus specificum computatum.

G. littera indicat quot gradus in spiritum caloris gradu 15° submergatur aerometrum vitreum, de quo agit decretum Regium d.d. XX mensis Aprilis a^i. MDCCCLXIII (Acta publica n°. 19).

A.	S.	G.	A.	S.	G.
100	0,7941	25,9	96	0,8120	23,1
99	0,7989	25,2	95	0,8159	22,6
98	0,8035	24,5	94	0,8197	22,0
97	0,8079	23,8	93	0,8233	21,5

(1) In commentatione, quae inscribitur: „Verhandeling over de dichtheid, de uitzetting, het kookpunt en de spanning van den damp van alkohol en van mengsels van alkohol en water." *(In Actis Academiae Regiae, Vol. IX).*

V. Tabula

indicans numerum guttarum quas nonnullorum liquorum gramma 1 continet, statutum per Stillatorium internationale quod dicitur.

	Guttae in gramma 1.		Guttae in gramma 1.
Acetas aethylicus.....	65	Solutio Iodii spirituosa	62
Acidum hydrochloricum dilutum.....	20	Solutio Nitroglycerini.	60
Acidum sulfuricum dilutum.....	20	Spiritus.....	60
Aether.....	90	Spiritus dilutus.....	55
Aether cum Spiritu...	72	Sulfas aethylicus acidus cum Spiritu.....	40
Aqua destillata.....	20	Tinctura Aconiti.....	55
Aqua Laurocerasi.....	20	Tinctura Belladonnae.	55
Glycerinum.....	26	Tinctura Benzoes.....	60
Kreosotum.....	38	Tinctura Cantharidum.	55
Liquor arsenicalis Fowleri.....	32	Tinctura Digitalis....	55
Oleum Citri.....	50	Tinctura Hyoscyami..	55
Oleum Foeniculi.....	44	Tinctura Ipecacuanhae	55
Oleum Menthae piperitae.....	50	Tinctura Opii.....	55
Oleum Ricini.....	44	Tinctura Opii benzoica	55
Oleum Santali.....	40	Tinctura Opii crocata.	50
Phenolum liquefactum.	38	Tinctura Strophanthi..	55
Solutio Ammoniae spirituosa anisata.....	56	Tinctura Strychni....	55
		Tinctura Valerianae...	55
		Vinum Ipecacuanhae..	35
		Vinum stibiatum.....	35

VI. Tabula

indicans quae ratio intercedat inter pondera specifica et volumina alcoholis (C_2H_6O) in Spiritu caloris gradu 15° [secundum disquisitiones v. d. E. H. von Baumhauer.[1]]

A. littera significat portionem alcoholis, i. e. quot alcoholis (C_2H_6O) volumina caloris gradu 15° insint in spiritus eiusdem caloris voluminibus 100.

S. littera significat spiritus caloris gradu 15° pondus specificum, ad aquae caloris gradu 4° pondus specificum computatum.

G. littera indicat quot gradus in spiritum caloris gradu 15° submergatur aerometrum vitreum, de quo agit decretum Regium d.d. XX mensis Aprilis a^i. MDCCCLXIII (Acta publica n°. 19).

A.	S.	G.	A.	S.	G.
100	0,7941	25,9	96	0,8120	23,1
99	0,7989	25,2	95	0,8159	22,6
98	0,8035	24,5	94	0,8197	22,0
97	0,8079	23,8	93	0,8233	21,5

(1) In commentatione, quae inscribitur: „Verhandeling over de dichtheid, de uitzetting, het kookpunt en de spanning van den damp van alkohol en van mengsels van alkohol en water." *(In Actis Academiae Regiae, Vol. IX).*

A.	S.	G.	A.	S.	G.
92	0,8268	20,9	69	0,8921	12,1
91	0,8304	20,4	68	0,8945	11,8
90	0,8338	19,9	67	0,8969	11,5
89	0,8373	19,4	66	0,8993	11,2
88	0,8406	18,9	65	0,9017	10,9
87	0,8438	18,5	64	0,9040	10,6
86	0,8469	18,1	63	0,9064	10,4
85	0,8498	17,7	62	0,9087	10,1
84	0,8526	17,3	61	0,9109	9,8
83	0,8554	16,9	60	0,9131	9,6
82	0,8581	16,5	59	0,9153	9,3
81	0,8609	16,2	58	0,9175	9,0
80	0,8636	15,8	57	0,9196	8,75
79	0,8663	15,4	56	0,9218	8,50
78	0,8690	15,1	55	0,9239	8,25
77	0,8717	14,7	54	0,9260	8,0
76	0,8743	14,4	53	0,9280	7,75
75	0,8770	14,0	52	0,9300	7,55
74	0,8796	13,7	51	0,9320	7,30
73	0,8822	13,3	50	0,9338	7,10
72	0,8847	13,0	49	0,9356	6,90
71	0,8872	12,7	48	0,9374	6,70
70	0,8897	12,4	47	0,9392	6,50

A.	S.	G.	A.	S.	G.
46	0,9410	6,30	22	0,9731	2,75
45	0,9427	6,10	21	0,9741	2,65
44	0,9445	5,90	20	0,9751	2,55
43	0,9462	5,70	19	0,9761	2,45
42	0,9479	5,50	18	0,9771	2,35
41	0,9496	5,30	17	0,9781	2,25
40	0,9512	5,15	16	0,9792	2,15
39	0,9527	4,95	15	0,9802	2,00
38	0,9542	4,80	14	0,9812	1,90
37	0,9557	4,65	13	0,9823	1,80
36	0,9571	4,50	12	0,9834	1,70
35	0,9585	4,35	11	0,9846	1,60
34	0,9599	4,20	10	0,9857	1,45
33	0,9611	4,05	9	0,9869	1,35
32	0,9623	3,95	8	0,9881	1,20
31	0,9635	3,80	7	0,9894	1,10
30	0,9646	3,70	6	0,9906	0,95
29	0,9657	3,55	5	0,9920	0,80
28	0,9668	3,45	4	0,9933	0,70
27	0,9679	3,30	3	0,9947	0,55
26	0,9690	3,20	2	0,9961	0,40
25	0,9700	3,10	1	0,9976	0,25
24	0,9711	3,00	0	0,9991	0,10
23	0,9721	2,90			

Sub G. tantum gradus eorumque partes enumerata sunt, quae aerometri tabula exhibet. Ubi numeri computati cum iis non conveniebant, gradus proximi vel eorum partes indicata sunt. Si quis quot gradus aerometrum in liquorem quendam submersum sit, ad pondus specificum et alcoholis volumen computare volet, hanc ineat rationem:

Si numerum exploratum ad 100 addiderit, quae summa quoties in 100 contineatur ubi computaverit, habebit numerum pondus specificum, de quo quaerebat, indicantem.

VII. Tabula Saturationis quae dicitur.

Pro Grammate 1.	Acidum aceticum dilutum	Acidum citricum	Succus Citri artificialis	Acidum salicylicum	Acidum tartaricum
Ammonia liquida.	5,9 G.	0,42 G.	4,2 G.	0,81 G.	0,45 G.
Carbonas kalicus	14,4 „	1,0 „	10,0 „	1,97 „	1,1 „
Carbonas natricus	7 „	0,49 „	4,9 „	0,97 „	0,53 „
Bicarbonas natricus	11,9 „	0,83 „	8,3 „	1,63 „	0,9 „

Pro Grammatis 10.	Ammonia liquida	Carbonas kalicus	Carbonas natricus	Bicarbonas natricus
Acidum aceticum dilutum	1,7 G.	0,69 G.	1,43 G.	0,84 G.
Acidum citricum.	23,8 „	10 „	20,4 „	12,0 „
Succus Citri artificialis . .	2,4 „	1,00 „	2,0 „	1,2 „
Acidum salicylicum.	12,3 „	5,1 „	10,3 „	6,1 „
Acidum tartaricum	22,2 „	9,3 „	18,9 „	11,2 „

VIII. Tabula

indicans numeros ponderum atomorum in computando adhibitos.

Aluminium	27,1	Hydrogenium	1,008
Antimonium	120,2	Iodium	126,97
Argentum	107,93	Kalium	39,15
Arsenicum	75,0	Lithium	7,03
Baryum	137,4	Magnesium	24,36
Bismuthum	208,5	Manganum	55,0
Borium	11,0	Natrium	23,05
Bromium	79,96	Nitrogenium	14,04
Calcium	40,1	Oxygenium	16,00
Carbonium	12,00	Phosphorus	31,0
Chlorium	35,45	Plumbum	206,9
Chromium	52,1	Sulfur	32,06
Ferrum	55,9	Zincum	65,4
Hydrargyrum	200,0		

INDEX ALPHABETICUS.

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina. (*)	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
A.							
+Acetanilidum.....	1			500 mG.	2 G.	210	3,6
+Acetas aethylicus.....	2						
Acetas kalicus.....	2		×			0,3	1,25
Acetas plumbicus.....	3			50 mG.	300 mG.	2,4	
+Acetotartras aluminicus.	4						
Acetum.....	*10*						
Acetum Digitalis.....	5	×		2 G.	6 G.		
Acetum Lythargyri....	*384*						
+Acetum Mylabridum....	6			60 mG.	200 mG.		
Acetum pyrolignosum..	*6*						
+Acetum pyrolignosum depuratum.	6						
+Acetum Rhinacanthi....	7	×					
+Acetum Scillae.....	7	×					
+Acidum aceticum.....	8						
+Acidum aceticum concentratum.	9						
Acidum aceticum dilutum	10						
Acidum aceticum glaciale	*9*						
Acidum arsenicosum....	10			5 mG.	10 mG.	70	
Acidum benzoicum.....	11	×				± 420	3
Acidum boricum.....	12					25	22
+Acidum camphoricum...	13					156	1,1

(*) Numeri notis inclinatis indicati ad synonyma spectant.

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Acidum carbolicum.....	*298*						
+ Acidum chromicum.....	14		×			0,6	
Acidum citricum.....	14					0,6	1
+ Acidum hydrobromicum.	15	×					
+ Acidum hydrochloricum.	16						
Acidum hydrochloricum dilutum.	17						
+ Acidum hydrocyanicum dilutum F. I..	18	×		100 mG.	400 mG.		
+ Acidum lacticum.....	19						
+ Acidum nitricum.....	19	×					
+ Acidum nitricum dilutum	20						
Acidum phosphoricum..	20						
Acidum salicylicum	21					± 500	3,5
+ Acidum sulfuricum.....	22						
Acidum sulfuricum dilutum.	23						
Acidum tannicum.....	*429*						
Acidum tartaricum.....	24					0,8	2,6
+ Acidum trichloraceticum.	24						
Aconiti Tinctura.....	*439*						
+ Adeps Lanae.....	25						
Adeps Lanae cum Aqua.	26						
Adeps suillus.....	26						
Adeps suillus benzoatus.	27						
Aether.....	27	×					
Aether aceticus.....	2						
Aether ad Narcosin....	28	×					
+ Aether cum Spiritu....	29						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Aether Petrolei.....	29						
+Albumen Ovi siccum...	30						
+Alcohol absolutus.....	31						
+Aloe.....	31						
Alumen.....	*415*						
Alumen ustum.....	*416*						
Ammonia liquida.....	32						
+Ammoniacum.....	32		×				
+Amygdalae dulces.....	33						
Amylum.....	*35*						
+Amylum Marantae.....	34						
Amylum Oryzae.....	35						
+Amylum Solani.....	35						
+Amylum Tritici.....	36						
+Anetholum.....	37						
Antifebrinum.....	*1*						
Antipyrinum.....	37			1 G.	3 G.	1,2	1,3
Aqua.....	38						
Aqua Calcis.....	*393*						
Aqua chlorata.....	*387*						
Aqua chloroformata....	*388*						
Aqua Cinnamomi.....	39	×					
+Aqua communis.....	38						
Aqua destillata.....	*38*						
Aquae aromaticae.....	39	×					
+Aqua Florum Aurantii..	40	×					
Aqua Foeniculi.....	40	×					
Aqua Goulardi.....	*42*						
Aqua Laurocerasi F. I..	40	×		2 G.	8 G.		

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Aqua laxativa viennensis	*222*						
Aqua Menthae piperitae	41	×					
Aqua Naphae	*40*						
Aqua phenolata.	*398*						
+ Aqua Picis.	41						
Aqua Picis concentrata.	*398*						
+ Aqua Plumbi Goulardi. .	42						
+ Aqua Rosarum	42	×					
+ Argentum foliatum.	42						
Argilla	*54*						
+ Arsenas natricus F. I. . .	43			5 mG.	10 mG.	4	55
Asa foetida.	44		×				
Axungia.	*26*						
Axungia benzoata.	27						
B.							
Bacilla	45						
Bacilla gelatinosa	45						
Balsamum Copaivae. . . .	45						
Balsamum Locatelli. . . .	*474*						
Balsamum Opodeldoch. .	*357*						
Balsamum peruvianum.	46						
+ Balsamum tolutanum. . .	47						
+ Balsamum Vitae Hoffmanni.	47						
Belladonnae Tinctura. . .	*442*						
+ Benzoas natricus.	48					1,7	23
+ Benzoas natricus cum Coffeino.	49					2	26

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Benzoe.....	49						
+Benzolum.....	50						
Biboras natricus.....	51					23,7	
Bicarbonas natricus....	52					11,1	
+Bisulfas Chinini.....	53	×				11	32
Bolus alba.....	54						
+Brometum aethylicum..	54	×					
Brometum ammonicum.	55					1,4	12,4
Brometum kalicum.....	56					1,6	106
Brometum natricum....	57					1,15	11,7
Bromoformum.....	58	×		500 mG.	1,5 G.		
+Bulbus Scillae.....	59		×				
Butyrum Cacao.....	*263*						
C.							
Calomel.....	*87*						
Camphora.....	60					±1200	1,25
+Camphora monobromata	60	×					± 15
+Cantharides.....	61		×	25 mG.	100 mG.		
Cantharidis Tinctura...	*443*						
+Capsulae Balsami Copaivae.	63						
+Capsulae Olei Ricini...	64						
+Carbo Ligni.....	64						
+Carbonas ammonicus...	64						
+Carbonas bismuthicus basicus.	65						
Carbonas calcicus.....	66						
+Carbonas Guaiacoli....	67						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus
Carbonas kalicus.....	68		×			0,92	
+Carbonas kalicus crudus.	69						
+Carbonas lithicus.....	69					75	
Carbonas magnesicus ..	70						
Carbonas natricus	71					1,7	
+Carbonas plumbicus....	72						
Carrageen	73						
+Caryophylli.....	74						
Cascara Sagrada.....	*110*						
+Catechu	75						
+Cera alba.....	76						
Cera flava.....	76						
+Cera Foliorum	77						
Cerussa	72						
+Cetaceum.....	78						
+Cevadinum.....	79			5 mG.	50 mG.		37
+Charta antasthmatica ..	80						
+Charta sinapizata.....	80						
China liquida	*130*						
+Chininum.....	81	×				1970	0,75
Chloras kalicus.....	82					16,5	
+Chloretum aethylicum..	83	×					
Chloretum ammonicum.	83					2,8	
+Chloretum ferricum....	84	×					
+Chloretum ferricum et Chloretum ammonicum.	85	×	×			3	
Chloretum hydrargyrico-ammonicum.	86	×					

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Chloretum hydrargyricum.	86			10 mG.	50 mG.	17,5	3,1
Chloretum hydrargyrosum.	87	×					
+ Chloretum hydrargyrosum ope Vaporis Aquae paratum.	88	×					
Chloretum natricum....	88					2,8	
+ Chloretum zincicum....	89					0,35	
Chloroformum	90	×					
Chloroformum ad Narcosin.	91	×					
+ Chrysarobinum.....	92						
+ Citras magnesicus effervescens.	93		×				
+ Codeinum.....	94			50 mG.	200 mG.	120	2,8
+ Coffeinum.....	95			250 mG.	1 G.	± 80	± 50
Colchici Tinctura.....	*446*						
Collemplastrum.....	*118*						
Collodium	95						
+ Collodium cum Acido salicylico.	97						
+ Collodium cum Oleo Ricini.	97						
Collodium elasticum....	*97*						
+ Colophonium,.....	97						
+ Cornu Cervi.....	98						
+ Cortex Alyxiae.....	98						
Cortex Aurantiorum ...	*104*						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+ Cortex Cascarillae.....	99						
Cortex Chinae	100						
+ Cortex Cinnamomi.....	102						
+ Cortex Condurango....	104						
+ Cortex Fructus Aurantii	104						
+ Cortex Fructus Citri recens.	106						
+ Cortex Fructus Granati.	106						
+ Cortex Granati.....	107						
Cortex Granatorum....	*106*						
Cortex Rhamni Frangulae.	109						
+ Cortex Rhamni Purshianae.	110						
+ Cortex Simarubae	112						
+ Cortex Syzygii.....	113						
+ Cortex Viburni prunifolii	113						
Cremor Tartari depuratus.	*433*						
Crocus.....	*406*						
Crocus Martis.....	114						
D.							
Decocta.....	115						
Decoctum album Sydenhami.	*116*						
Decoctum Amyli.....	*244*						
+ Decoctum Cornus Cervi compositum.	116						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Dermatolum.....	*190*						
Digitalis Tinctura.....	*447*						
Dilatatio Saleb.....	*245*						
Diuretinum.....	*354*						
E.							
+ Elaeosacchara.....	116						
Electuarium lenitivum..	*117*						
+ Electuarium Sennae compositum.	117						
+ Elemi.....	117						
Elixir acidum Halleri..	*409*						
Elixir paregoricum.....	*453*						
Emplastra.....	118						
+ Emplastrum adhaesivum.	118						
+ Emplastrum aromaticum.	119						
+ Emplastrum Cantharidum.	119						
Emplastrum Diapalmae.	*121*						
Emplastrum gummosum.	120						
Emplastrum Hydrargyri.	120						
Emplastrum Oxydi plumbici.	121						
+ Emplastrum saponatum.	121						
Emplastrum vesicatorium.	*119*						
Emulsa.....	122						
+ Eugenolum.....	122						
Extracta.....	123	×					

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Extractum Aloes.....	125	×					
Extractum Belladonnae F. I.	125	×		20 mG.	80 mG.		
+Extractum Calumba ...	127	×	×				
+Extractum Cannabis indicae.	127	×		100 mG.	300 mG.		
+Extractum Cardui benedicti.	128	×					
Extractum Cascara sagrada liquidum.	*142*						
+Extractum Cascarillae..	128	×					
+Extractum Centaurii ...	129	×					
Extractum Chinae	129	×					
Extractum Chinae liquidum.	130	×					
+Extractum Colocynthidis	132	×	×	50 mG.	150 mG.		
+Extractum Condurango liquidum.	132	×					
Extractum Filicis.....	133	×		8 G.	8 G.		
Extractum Gentianae ..	134	×					
+Extractum Granati	135	×					
+Extractum Helenii.....	135	×					
Extractum Hydrastis liquidum.	136	×		1 G.	4 G.		
+Extractum Hyoscyami F. I..	137	×		100 mG.	300 mG.		
Extractum Liquiritae ..	138	×					
Extractum Opii F. I. .	139	×	×	50 mG.	200 mG.		
Extractum Ratanhiae ..	141	×	×				

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Extractum Rhamni Frangulae.	142	×	×				
Extractum Rhamni Purshianae liquidum.	142	×					
Extractum Rhei.....	143	×	×				
+Extractum Rhei compositum.	144	×	×				
Extractum Secalis cornuti F. I..	144	×					
+Extractum Secalis cornuti liquidum F. I..	145	×		500mG. Iniectionis subcutaneae. 250mG.	2 G. Iniectionis subcutaneae. 2 G.		
Extractum Strychni F. I.	146	×	×	25 mG.	50 mG.		
+Extractum Taraxaci ...	147	×					
+Extractum Trifolii.....	148	×					
+Extractum Valerianae..	148	×					
+Extractum Viburni prunifolii liquidum.	149	×					
F.							
Farina Lini.....	149						
+Fel Tauri inspissatum .	151						
Ferrum ope Hydrogenii reductum.	*152*						
Ferrum pulveratum....	151						
+Ferrum reductum.....	152						
+Flores Arnicae	153						
+Flores Chamomillae romanae.	154						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Flores Chamomillae vulgaris.	154						
+Flores Cinae.....	155						
+Flores Sambuci	156						
Flores Sulfuris	*425*						
Flores Sulfuris loti	*423*						
+Flores Tiliae.....	157						
Flores Zinci	*291*						
+Folia Abri.....	158						
+Folia Althaeae	159						
+Folia Anacardii	159						
+Folia Belladonnae	160						
+Folia Bidentis	161						
+Folia Bixae.....	162						
+Folia Blumeae	163						
Folia Digitalis	163		×	150mG. Infusorum. 500mG.	500mG. Infusorum. 2 G.		
+Folia Eucalypti	164						
+Folia Hydrocotyles	165						
+Folia Hyoscyami	166						
+FoliaLaurocerasi recentia	166						
+Folia Menthae piperitae	167						
+Folia Orthosiphonis ...	167						
+Folia Psidii.....	168						
+Folia Salviae	169						
Folia Sennae	169						
+Folia Stramonii	170						
+Folia Symploci.....	172						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Folia Trifolii fibrini ...	172						
Folia Uvae ursi	173						
Formalinum	*391*						
Fructus Anisi	173						
+Fructus Bruceae.....	175						
+Fructus Capsici	176						
+Fructus Cardamomi....	178						
+Fructus Colocynthidis..	180						
+Fructus Coriandri	181						
+Fructus Cubebae	182						
+Fructus Foeniculi	183						
+Fructus Hordei decorticati.	184						
+Fructus Iuniperi	185						
+Fructus Myrtilli.....	185						
+Fructus Papaveris	186						
+Fructus Rubi Idaei recentes.	187						
+Fructus Sambuci recentes.	188						
G.							
+Galbanum	188		×				
+Gallae	189						
+Gallas bismuthicus basicus.	190						
Gelatina.....	191						
+Gelatina Oxydi zincici .	192						
+Glandulae Lupuli	192	×					

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Glycerinum	193						
+Glycerinum cum Tragacantha.	194						
Gossypium cum Hydrochlorate Chinini.	194	×					
+Gossypium cum Iodoformo.	194	×					
+Gossypium depuratum	195						
Gossypium stypticum	*194*						
Granula	196						
+Guaiacolum	197	×		500mG. Ad usum in dermate. 2 G.	3 G. Ad usum in dermate. 2 G.	± 60	
Gummi Acaciae	*197*						
Gummi arabicum	197						
+Gummi elasticum	198	×					
+Gummi plasticum	200						
+Gummi plasticum depuratum.	201	×					
H.							
Hepar Sulfuris	*461*						
+Herba Cannabis indicae.	201						
+Herba Cardui benedicti.	202						
+Herba Centaurii	203						
+Herba Cochleariae recens.	204						
+Herba Lobeliae	204						
+Herba Maioranae	205						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Herba Sabinae	206						
+Hirudines	207						
+Hydrargyrum	208						
Hydras Chlorali.....	208			2 G.	4 G.	0,25	0,2
+Hydras kalicus.....	209		×			0,5	2,4
+Hydras natricus.....	209		×			0,5	4,2
+Hydras Terpini	210					230	12,8
+Hydrobromas Homatropini.	210					7,2	25,7
+Hydrobromas Scopolamini.	211			$^1/_2$ mG. Iniectionis subcutaneae. $^1/_4$ mG.	1 mG.		
Hydrochloras Apomorphini.	212	×		10 mG. Iniectionis subcutaneae. 10 mG.	50 mG. Iniectionis subcutaneae. 25 mG.	40,4	
Hydrochloras Chinini ..	213	×				29,9	0,8
Hydrochloras Cocaini F. I..	215			50 mG.	150 mG.		
Hydrochloras Codeini ..	216			50 mG.	200 mG.	26	
Hydrochloras Morphini.	216			20 mG. Iniectionis subcutaneae. 20 mG.	100mG. Iniectionis subcutaneae. 60 mG.	25	57,7
+Hydrochloras Pilocarpini	217			20 mG.	50 mG.		
Hyoscyami Tinctura ...	*448*						
Hypophosphis calcicus .	218					6 – 7	
+Hypophosphis natricus .	219		×			0,8	9,2
I.							
Infusa	220						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Infusum Hyoscyami oleosum.	221	×					
+Infusum Sennae compositum.	222						
+Iodetum hydrargyricum	222	×		15 mG.	50 mG.		167
Iodetum hydrargyrosum	223	×		50 mG.	200 mG.		
Iodetum kalicum	224	×				0,75	10,8
Iodetum natricum	225					0,6	1,8
Iodi Tinctura	*395*						
Iodium.....	226			15 mG.	60 mG.	±5000	10,4
Iodoformum	227	×		150mG. Clysmatis. 500mG.	400mG. Clysmatis. 1 G.		67
Ipecacuanhae Tinctura .	*449*						
K.							
Kreosotum	228			200 mG.	1 G.		
+Kresolum crudum.....	229					± 50	
L.							
Lactas ferrosus	230					± 40	
+Lactucarium	230						
Lanolinum.....	*26*						
Lapis infernalis	*249*						
Laudanum liquidum Sydenhami.	*453*						
+Lichen islandicus.....	231						
+Lignum Quassiae	232						
+Lignum Santalinum....	233						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Lignum Sassafras	234						
+Linimentum Ammoniae.	235						
+Linimentum Calcis	235						
Liquor anodynus Hoffmanni.	*29*						
Liquor arsenicalis Fowleri F. I..	235			500 mG.	1 G.		
Liquor Burowii	*383*						
Liquor Kresoli saponatus	236						
+Liquor Picis Lithanthracis.	237						
Liquor stypticus.....	*386*						
Lithargyrum.....	*290*						
Lobeliae Tinctura.....	*449*						
Lupulinum.....	*192*						
Lycopodium.....	237						
Lysolum.....	*236*						
M.							
Magisterium Bismuthi..	*249*						
Magnesia alba.....	*70*						
Magnesia usta.....	*289*						
+Mannitum	238					6,3	
+Marmor album.....	239						
+Mel.....	239						
+Mel depuratum.....	240						
+Mel rosatum.....	240						
+Mentholum.....	241						0,2
Mercurius dulcis.....	*87*						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Mercurius praecipitatus albus.	*86*						
Mercurius praecipitatus flavus.	*287*						
Mercurius praecipitatus ruber.	*288*						
Mercurius sublimatus corrosivus.	*86*						
+Metadioxybenzolum	241	×		500 mG.	2 G.	0,9	0,5
+Methylsulfonalum.....	242			2 G.	2 G.	280	9,4
Mixtura oleoso-balsamica	*47*						
+Moschus.....	243						
+Mucilago Amyli	244						
+Mucilago Gummi arabici	244						
+Mucilago Saleb.....	245						
+Mucilago Tragacanthae.	245						
+Mylabrides	245		×				
+Myrrha	246						
N.							
+Naphthalinum.....	247			500 mG.	1 G.		
+Naphtholum	248	×		500mG. Ad usum quoque externum.	1 G. Ad usum quoque externum.		
Nitras argenticus.....	248			20 mG.	100 mG.	0,53	10,9
Nitras argenticus in Bacillis.	249						
Nitras bismuthicus basicus.	249						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Nitras bismuthicus basicus elutus.	251						
+Nitras kalicus.....	252					3,8	
+Nitras natricus.....	253					1,2	65,2
+Nitras Strychnini.....	254			5 mG. Iniectionis subcutaneae. 2 mG.	10 mG. Iniectionis subcutaneae. 10 mG.	61,5	
Nitris aethylicus cum Spiritu.	254	×					
+Nitris amylicus	257	×					
Nux moschata	*365*						
Nux vomica	*370*						
O.							
Olea pinguia.....	258	×					
Olea volatilia	260	×					
Oleum Amygdalarum...	260	×					
Oleum Anisi	261	×					
+Oleum Aurantiorum....	262	×					
+Oleum Betulae empyreumaticum depuratum.	262	×					
Oleum Cacao	263	×					
Oleum cadinum	*272*						
+Oleum Cajuputi	263	×					
Oleum camphoratum...	*385*						
+Oleum Caryophyllorum.	264	×					
+Oleum Cinnamomi.....	264	×					
+Oleum Citri	265	×					
+Oleum Cocos	266	×					

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Oleum Crotonis	266	×		50 mG.	100 mG.		
+Oleum Fagi empyreumaticum depuratum.	267	×					
Oleum Foeniculi.....	268	×					
Oleum Hyoscyami	*221*						
Oleum Iecoris Aselli ...	268	×					
+Oleum Iecoris Aselli cum Benzoate ferrico.	269	×					
+Oleum Iecoris Aselli cum Iodeto ferroso.	271	×					
Oleum Iecoris Aselli ferratum.	*269*						
+Oleum Iuniperi empyreumaticum.	272	×					
+Oleum Lauri.....	273	×					
+Oleum Laurocerasi.....	273	×					
+Oleum Lavandulae.....	274	×					
Oleum Lini	275	×					
+Oleum Macidis	275	×					
Oleum Menthae piperitae	276	×					
+Oleum Myristicae expressum.	276	×					
Oleum Olivarum	277	×					
Oleum Ricini	278	×					
+Oleum Rosarum	279	×					
+Oleum Rosmarini.....	279	×					
Oleum Rusci depuratum	*262*						
Oleum Santali	280	×					
+Oleum Schleicherae	281	×					

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Oleum Sesami.....	281	×					
+Oleum Shoreae.....	282	×					
+Oleum Sinapis	282	×					
+Oleum Terebinthinae...	283	×					
Oleum Terebinthinae depuratum.	284	×					
+Olibanum.....	284						
Opii Tinctura	*452*						
Opii Tinctura benzoica .	*453*						
Opii Tinctura crocata ..	*453*						
Opium	285	×	×	100 mG.	400 mG.		
+Oxydum calcicum.....	287						
Oxydum hydrargyricum flavum.	287	×					
+Oxydum hydrargyricum rubrum.	288	×					
Oxydum magnesicum ..	289						
+Oxydum plumbicum semivitreum.	290						
Oxydum zincicum	291						
+Oxymel Scillae.....	292						
+Oxymel simplex	292						
P.							
+Paraffinum liquidum ...	292						
+Paraffinum solidum	293						
+Pasta Cacao	293						
Pasta Zinci	*294*						
+Pasta Zinci oleosa	294						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+ Pasta Zinci salicylata ..	294						
Pastillae Chloreti hydrargyrici.	294						
+ Pastillae Saccharini	295						
+ Pepsinum	295	×	×				
Permanganas kalicus...	296					18,8	
+ Petala Rhoeados.....	296						
+ Petala Rosae.....	297						
+ Phenacetinum	297			500 mG.	2 G.	1800	25
Phenolum	298	×		100 mG.	300 mG.	12,5	0,15
Phenolum liquefactum..	299	×					
Phenyldimethylpyrazolonum.	*37*						
+ Phosphas calcicus.....	299						
+ Phosphas natricus	300					7	
+ Phosphorus	301	×		1 mG.	3 mG.		
Pilulae Blancardi.....	*302*						
+ Pilulae Blaudi.....	302						
+ Pilulae Iodeti ferrosi...	302						
+ Pilulae laxantes	303						
+ Pilulae Sulfatis Chinini.	303						
+ Pix liquida	303						
+ Pix Lithanthracis.....	304						
+ Pix solida	305						
Podophyllinum	*332*						
+ Potio Riveri	305						
+ Pruna.....	306						
+ Pulpa Tamarindorum cruda.	306						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Pulveres	307						
+ Pulvis Acidi salicylici cum Talco.	310						
Pulvis aerophorus	310		×				
+ Pulvis antacidus.....	310						
+ Pulvis aromaticus	311	×					
+ Pulvis gummosus	311						
Pulvis Doveri.....	*312*						
Pulvis Liquiritiae compositus.	311	×					
Pulvis Opii compositus F. I..	312	×	×				
+ Pyrogallolum	313	×					
+ Pyrophosphas ferricus cum Citrate ammonico.	313	×					
+ Pyrophosphas natricus..	315					12,3	
R.							
Radix Althaeae.....	315						
+ Radix Armoraciae recens	317						
+ Radix Calumba	317						
+ Radix et Herba Taraxaci recentes.	318						
+ Radix Gentianae.....	319						
+ Radix Helenii.....	320						
Radix Ipecacuanhae....	321						
+ Radix Ialapae.....	323						
Radix Liquiritiae	324						
+ Radix Ratanhiae	325						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus
Radix Rhei	326						
+Radix Rhinacanthi	328						
+Radix Sarsaparillae	328						
Radix Senegae	329						
+Radix Valerianae	330						
Rasura Ligni Santalini rubri.	*233*						
+Resina Ialapae	331						
+Resina Podophylli	332						
Resorcinum	*241*						
+Rhizoma Calami	333						
+Rhizoma Curcumae Javanicae.	334						
+Rhizoma Filicis	335						
+Rhizoma Hydrastis	336						
+Rhizoma Iridis	337						
+Rhizoma Podophylli	339						
+Rhizoma Zingiberis	340						
Rob Iuniperi	341						
+Rob Sambuci	342						
S.							
+Saccharas ferricus	342						
Saccharinum	344					360	37,5
Saccharum	345						
Saccharum Lactis	345					6	
Saccharum Saturni	*3*						
+Sal Carolinum facticium.	346		×				
+Sal Emsanum facticium.	346		×				

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Sal Hunyadi Ianos facticium.	347		×				
Sal Seignetti.....	*431*						
+Sal Vichy facticium....	347		×				
+Sal Wildungense facticium.	348		×				
+Salicylas ammonicus ...	348					1,15	2,2
Salicylas Antipyrini....	349					270	3,4
Salicylas bismuthicus basicus.	350						
+Salicylas methylicus ...	351						
Salicylas natricus.....	352					0,83	4,3
Salicylas natricus cum Coffeino.	353						
+Salicylas natricus cum Theobromino-Natrio.	354			1 G.	5 G.		
+Salicylas phenylicus....	355						15
Salipyrinum	*349*						
Salolum.....	*355*						
Santoninum.....	356	×		100 mG.	300 mG.		52
Sapo aromaticus.....	357						
+Sapo Cocos.....	358						
+Sapo kalinus.....	359						
Sapo medicatus	359						
+Sapo superadipatus.....	361						
+Sapo superadipatus cum Pice liquida.	361						
+Sapo superadipatus cum Sulfure praecipitato.	361						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Secale cornutum.	362		×	1 G. Infusorum. 2 G.	1 G. Infusorum. 10 G.		
Semen Cinae.....	*155*						
+Semen Colchici	363						
+Semen Crotonis	363						
Semen Lini	364						
+Semen Myristicae.....	365						
Semen Santonici	*155*						
+Semen Sinapis	366						
+Semen Staphisagriae...	368						
+Semen Strophanthi	369						
+Semen Strychni	370			150 mG.	500 mG.		
+Semen Syzygii	372						
Sirupi	373						
Sirupus Althaeae	373						
Sirupus Aurantiorum...	374						
+Sirupus Cinnamomi....	374						
+Sirupus Codeini	375						
+Sirupus Diacodii	375						
Sirupus Iodeti ferrosi F.I.	376						
+Sirupus iodotannicus...	376						
+Sirupus Ipecacuanhae F.I.	377						
+Sirupus Liquiritiae.....	377						
+Sirupus opiatus	378						
+Sirupus Papaveris	378						
+Sirupus Rhamni Frangulae.	378						
+Sirupus Rhei.....	379						
Sirupus Rhoeados.....	379						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Sirupus Rubi Idaei	380						
+Sirupus Senegae.....	381						
Sirupus Sennae	381						
Sirupus simplex	381						
Sodii Arsenas.....	*43*						
+Solutio Acetatis aluminici	382						
+Solutio Acetatis aluminici Burowii.	383						
+Solutio Acetatis ammonici.	383						
Solutio Acetatis ferrici aetherea.	*438*						
Solutio Acetatis plumbici basici.	384						
Solutio Albuminatis ferrici dialysata.	*389*						
Solutio Ammoniae spirituosa anisata.	385						
+Solutio Camphorae oleosa.	385	×					
Solutio Camphorae spirituosa.	385						
Solutio Chloreti ferrici.	386	×					
+Solutio Chlorii	387	×					
+Solutio Chloroformi aquosa.	388						
+Solutio Citratis magnesici.	388						
Solutio Ferri albuminata	389						

NOMEN MEDICAMENTI	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Solutio Ferri pomata ..	390						
Solutio Formaldehydi ..	391	×					
+Solutio Gummi arabici .	392						
+Solutio Gummi plastici in Chloroformo.	392						
+Solutio gummosa.....	392						
+Solutio gummosa tenuis.	393						
Solutio Hydratis calcici.	393						
+Solutio Hydratis kalici.	394						
+Solutio Hydratis natrici	394						
Solutio Iodeti kalici cum Iodio.	*396*						
Solutio Iodii spirituosa F. I..	395	×		150 mG.	600 mG.		
Solutio Leras	*399*						
+Solutio Lugoli	396						
+Solutio Nitroglycerini ..	396			25 mG.	100 mG.		
+Solutio Peroxydi Hydrogenii.	397	×					
+Solutio Phenoli F. I....	398						
+Solutio Picis concentrata	398						
+Solutio Pyrophosphatis natrico-ferrici.	399	×					
+Solutio Saccharatis ferrici aromatica.	399						
+Species amarae.....	400						
+Species antiaphthosae ..	400						
+Species laxantes.....	401						
+Species pectorales	401						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Spermaceti	*78*						
Spiritus	401						
Spiritus Ammoniae anisatus.	*385*						
Spiritus aromaticus	402						
Spiritus carminativus ..	*402*						
+Spiritus Cinnamomi....	403						
+Spiritus Citri	403						
+Spiritus Cochleariae ...	404						
Spiritus dilutus	404						
Spiritus fortior	404						
+Spiritus Lavandulae ...	405						
Spiritus Mindereri	*383*						
Spiritus Nitri dulcis ...	*254*						
+Spiritus saponatus.....	405						
Stibiatum Vinum	*482*						
+Stigmata Croci	406	×					
Strophanthi Tinctura...	*457*						
Strychni Tinctura	*458*						
+Styrax	407						
+Succinum.....	407						
+Succus Citri artificalis .	408						
Succus Liquiritae.....	408						
Sulfas aethylicus acidus cum Spiritu.	409						
+Sulfas aluminicus.....	410					0,52	
Sulfas Atropini	411			1 mG. Injectionis subcutaneae. 0,5 mG.	3 mG.	1	3

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Sulfas Chinini	412	×				900	112
Sulfas cupricus.....	413					2,8	
+Sulfas ferrosus.....	414					1,5	
Sulfas ferrosus exsiccatus	414		×				
Sulfas kalico-aluminicus	415					10	
+Sulfas kalico-aluminicus exsiccatus.	416		×				
Sulfas kalicus.....	416					9,8	
Sulfas magnesicus	417					1,5	
Sulfas natricus.....	418					2,7	
+Sulfas natricus exsiccatus	419		×				
Sulfas Physostigmini...	419	×	×	1 mG.	3 mG.		
Sulfas zincicus	420					0,65	
Sulfidum stibicum	420		×				
+Sulfonalum	422			2 G.	2 G.	450	80
+Sulfophenylas zincicus..	422					2,7	
Sulfur auratum Antimonii.	*421*						
Sulfur depuratum	423						
+Sulfur praecipitatum ...	424						
+Sulfur sublimatum.....	425						
+Summitates Absinthii...	425						
Suppositoria	426						
T.							
Talcum	426						
Talcum venetum	*426*						
Tannalbinum	*426*						
Tannalbuminum	426						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Tannas Chinini	428						
Tanninum	429						
+Tartarus boraxatus	430		×			1	
Tartarus emeticus	*431*						
Tartras kalico-natricus .	431					1,2	
Tartras kalico-stibicus .	431			200 mG.	500 mG.	17,1	
Tartras kalicus acidus..	433					219	
Tela	433						
Tela cum Iodoformo ...	434	×					
+Terebinthina laricina...	434						
Terebinthina veneta....	*434*						
+Theobrominum	435					±3300	±4300
+Thymolum	436					1175	0,4
+Tinctura Acetatis ferrici aetherea.	438	×					
+Tinctura acida aromatica	439	×					
+Tinctura Aconiti F. I..	439	×		500 mG.	1,5 G.		
+Tinctura Aloes.....	441	×					
+Tinctura Arnicae	441	×					
Tinctura Asae foetidae.	441	×					
+Tinctura Aurantiorum..	442	×					
+Tinctura Belladonnae F. I.	442	×		1 G.	3 G.		
+Tinctura Benzoes.....	443	×					
+Tinctura Cantharidum F. I.	443	×		200 mG.	600 mG.		
+Tinctura Capsici.....	444	×					
+Tinctura Catechu.....	444	×					
Tinctura Chinae.....	445	×					

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Tinctura Chinae composita.	445	×					
+Tinctura Cinnamomi...	446	×					
+Tinctura Colchici F. I.	446	×		1 G.	3 G.		
Tinctura composita Whytii.	*445*						
Tinctura Digitalis F. I.	447	×		1,5 G.	5 G.		
+Tinctura Eucalypti.....	447	×					
Tinctura Ferri aromatica.	*399*						
Tinctura Ferri pomata..	*390*						
+Tinctura Gallarum.....	448	×					
+Tinctura Gentianae	448	×					
+Tinctura Hyoscyami F. I.	448	×					
Tinctura Iodii.....	*395*						
Tinctura Ipecacuanhae F. I.	449	×					
+Tinctura Lobeliae F. I.	449	×		2 G.	5 G.		
+Tinctura Moschi.....	450	×					
Tinctura Myrrhae.....	450	×					
Tinctura nervina Bestucheffi.	451	×					
Tinctura Opii F. I.....	452	×		1 G.	4 G.		
+Tinctura Opii benzoica F. I.	453	×					
Tinctura Opii crocata F. I.	453	×		1 G.	4 G.		
+Tinctura Quassiae.....	455	×					
+Tinctura Ratanhiae	456	×					
+Tinctura Rhei aquosa..	456	×					

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
Tinctura Secalis cornuti.	457	×		2,5 G.	10 G.		
Tinctura Strophanthi F. I.	457	×		500 mG.	2 G.		
Tinctura Strychni F. I.	458	×		2,5 G.	5 G.		
+Tinctura Succini.....	459	×					
Tinctura Valerianae....	459	×					
+Tinctura Valerianae aetherea.	460	×					
Tincturae.....	437	×					
+Tragacantha.....	460						
Traumaticinum.....	*392*						
Trionalum.....	*242*						
+Trisulfuretum kalicum..	461						
+Trochisci Bicarbonatis natrici.	461						
+Trochisci Bicarbonatis natrici compositi.	461						
+Trochisci Catechu.....	462						
+Trochisci Chloratis kalici	462						
+Trochisci Chloreti ammonici.	462						
+Trochisci ferrati.....	462						
+Trochisci Ipecacuanhae.	463						
Trochisci Santonini....	463						
+Tubera Aconiti.....	463						
Tubera Saleb.....	465						
U.							
Unguenta.....	466	×					

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Unguentum Acetatis plumbici basici.	467	×					
Unguentum Acidi borici.	467						
Unguentum ad Scabiem	*473*						
Unguentum Althaeae...	*473*						
+Unguentum Carbonatis plumbici camphoratum.	467	×					
+Unguentum Chloreti hydrargyrico-ammonici.	468	×					
Unguentum contra Tineam Capitis.	*472*						
+Unguentum Diachylon.	468	×					
+Unguentum Elemi.....	468	×					
Unguentum Hydrargyri F. I.	469	×					
+Unguentum Hydrargyri fortius.	469	×					
Unguentum iodatum...	*470*						
+Unguentum Iodeti kalici.	469	×					
+Unguentum Iodii.....	470	×					
+Unguentum Iodoformi..	470	×					
+Unguentum Lanolini...	470	×					
+Unguentum leniens	471	×					
Unguentum Mercurii praecipitati albi.	*468*						
Unguentum Neapolitanum.	*468*						
Unguentum nutritum...	*467*						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus.	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+Unguentum Oxydi hydrargyrici flavi.	471	×					
+Unguentum Oxydi hydrargyrici rubri.	471	×					
Unguentum Oxydi zincici.	471	×					
+Unguentum Picis.....	472	×					
+Unguentum Picis compositum.	472	×					
+Unguentum resinosum flavum.	473	×					
Unguentum simplex....	473	×					
+Unguentum sulfuratum compositum.	473	×					
+Unguentum Tartratis kalico-stibici.	474	×					
+Unguentum terebinthinaceum.	474	×					
V.							
+Valerianas zincicus.....	474					± 90	± 40
Vaselinum.....	*475*						
Vaselinum album.....	475						
Vaselinum flavum.....	476						
Veratrinum crystallisatum.	*79*						
Vina.....	476	×					
Vinum amarum.....	477	×					
Vinum Cascara Sagrada.	*481*						

NOMEN MEDICAMENTI.	Pagina.	A luce remotum servetur.	Per calcem vivam servetur.	Dosis maxima		Solvitur in partibus	
				singula.	in horas vicenas quaternas.	Aquae.	Spiritus.
+ Vinum Chinae.....	477	×					
+ Vinum Chinae ferratum	478	×					
+ Vinum Colchici.....	478	×		1 G.	3 G.		
+ Vinum Condurango....	479	×					
Vinum emeticum.....	*482*						
Vinum ferratum.....	*482*						
Vinum Ipecacuanhae...	479	×					
Vinum Malacense.....	479	×					
+ Vinum Pepsini.....	480	×					
+ Vinum Rhamni Purshianae.	481	×					
+ Vinum Rhei.....	481	×					
Vinum stibiatum F. I..	482	×					
+ Vinum Tartratis kalici ferrati.	482	×					